image not available

HISTORIAE AVGVSTÆ SCRIPTORES,

Ab Imperio NERVÆ vsque ad Constantium Constantini filium, Rerum per ccc. ann. variis mundi partibus gestarum seriem & circunstantias explicantes.

His nunc primùm accesserunt

Breuiaria singulis libris præfixa.
Perpetuæ ad marginem Notæ morales ac politicæ.
Gnomologia historica.
Orationum, Epistolarum, & Rerum insignium INDEX.

Subiuncta est ad lectorem,
De instituto & vsu huius historiæ Præfatio.

LVGDVNI,
Apud Franciscum le Preux.

CIↃ.IↃ.XCII.

IN

HISTORIÆ AVGVSTÆ

SCRIPTORES

A Nerua ad Conſtantium,

PRÆFATIO

Ad candidum lectorem.

ET multorum hæc ſenten-tia eſt,& hoc res ipſa do-cet, pleroſque nouiſſimis hiſce temporibus ad fer-rum toto impetu ferri, & de gladiis potiùs quàm de libris tractandis cogi-tare, ídque naturali quodam feruore,quem ſeculi vel hominum malitia indies accen-di . Et tamen è contrario inter tot publicos & priuatos tumultus non pauci adhuc re-periuntur, qui Martis officinam fugientes, Muſarum ſacros colunt receſſus, & libera-liores artes profitentur: quidam etiam qui Martem Muſis adiungunt. Hinc euenit vt quamuis ſileant inter arma Muſę,adhuc ta-men reperiantur homines, ad priuatorum ſtudia iuuanda & promouenda nati, qui

dum omnia tubarum clangore, tympanorum sonitu, armorum fragore, præliorum cladibus, morientium aut vulneratorum querulis vocibus, bellicorum tormentorum horrendis tonitruis vndique perstrepunt, ad edendos libros, & studia literarum pro virili promouenda, operam suam opémq; conferant. Horum numero adscribimus bibliopolam nostrum, qui in iuuandis studiis artium per multos annos iam bene de literis meritus, amicorum quorundam suasu de Historia Augusta tomis aliquot complectenda & in publicum edenda iniit consilium. Porrò, quum idem opus olim alij aggressi sint variis locis: vt nouitate quadam vtili lectores alliceret, miscerétque vtile dulci, cuidam historiarum studioso quum nobis obtulisset in Ammiani Marcellini libros *breuiaria atque notas politicas & morales*, ab huius historici editione initium sumere visum est. Qua absoluta, vt librorum amissorum iactura vtcunque sarciretur, subiuncta est Chronologia seu temporum supputatio ab imperio Neruæ vsque ad Valentis obitum, quæ esset lectoribus instar breuis alicuius supplementi horum librorum quos inclementia fati & temporis iniuria nobis eripuit. Quum verò riuulus iste sitim potius accendere quàm exstin-

guere videretur, ad ipſos fontes recurrendum fuit, & Marcellinus ex ipſis veteribus hiſtoricis veluti adimplendus, vt flumen illud hiſtoriæ vno fluxu decurreret, & tot amnibus auctum iucundo quodam ſtrepitu curſum gratiorem perficeret. Videntur nonnulla in hiſtoricis, hoc volumine comprehenſis, leui brachio perſtricta, atque etiam negligentius deſcripta, quæ non immeritò aduerſaria vel commentaria hiſtorica nuncupare poſſis, præſertim ſi Marcellini diligentiam, aut aliorum ſcriptorum qui melioribus ſeculis floruerunt nitorem ſpectes: verumetiam non inficiandum eſt, quemadmodum ex attenta rerum deſcriptione & collatione conſtat, Lampridium, Spartianum, Capitolinum, & alios, ex antiquitatis venerandæ monumentis certiſſimis, & publicis Reipub. Romanæ archiuis, multa collegiſſe quæ poſteritati conſecrarũt. Nec Diocletianus, Conſtãtinus, aliique rerum moderatores peritiſſimi, quibus hiſtorica monumenta olim dicata ſunt, facilè tuliſſent nomen ſuum fabulis aut incertis narrationibus commiſceri. Dion accuratus & diligens in rerum Romanarum inueſtigatione cenſetur. Herodianus apud doctos fidelitatis, eloquentiæ, ſedulitatis & multi iudicij nomen ſibi merito ſuo comparauit.

Zoſimus, etſi ethnicus, & afflicto gentilium ſuperſtitionum ſtatu atque ſeculo natus, infenſior Conſtantino, nec non Conſtantini filiis aduerſarius videatur & à ſcriptoribus Eccleſiaſticis iudicetur, tamen multis locis candore prudentiáque politica, nonnullíſque aliis hiſtorico conuenientibus donis ornatus apparet. Quum igitur ab Ammiano Marcellino factum eſſet initium, eiuſdem notæ homines ei comites adiungere placuit. Ex recentioribus, propter argumenti conuenientiam & hiſtoriæ continuationem, Pomponius Lætus adiectus eſt. Cuſpinianus, Onuphrius, Goltzius & alij prolixiores deſcriptiones ſuppeditabant: Sigonius autem omnium maximè, præcipuè vero à Diocletiani initio vſque ad Conſtantium. Sed ne lectoris manum grauaremus, & vt prolixitatem vitaremus, Sigonio denique illibatos labores relinqueremus, veteres tantùm hoc volumine complecti nobis propoſitum fuit.

Supereſt, vt de vſu harum hiſtoriarum pauca quædam adiiciamus. Harum ſcriptores, quum ethnicorum perpetuo morbo, id eſt veri Dei ignorantia & in Chriſtianã Eccleſiam odio laborarent, quod præcipuum fuit in Rom. hiſtoria ſilentio premere maluerunt quàm ignotæ & exoſæ veritati fer-

re testimonium. Igitur nulla penè vox in tota hac historiarũ farragine de Sancta Ecclesia, cuius dogmata, mores, disciplina, patientia & constantia inuicta sub cruce, certamina aduersus persecutores, hæreticos, schismaticos, desertores, hypocritas, illustribus præsentiæ diuinæ testimoniis abundant. Horrendi impiorum exitus causæ pręcipuæ, induciæ piis concessæ, liberationes prorsus miraculosæ, immunitates & priuilegia, edicta honorificentissima, pax & gloria sub Constantini imperio, illustrium martyrum, confessorum, pastorum, doctorum, piorum omnis ætatis, sexus & vocationis, eximia fide, spe, charitate, aliísque Spiritus S. donis præditorum, nomina reticentur. At occurrunt istorum loco documenta alia insignia, principibus viris & priuatis quibuscunque ad vitam humanam commodè regendam & transigendam inprimis vtilia. Nec illud ethnicis cõueniens decorúmve fuisset, res sacras tractare manibus illotis, ac pollutis pedibus Sanctuarium ingredi: denique de mysteriis differere quibus initiati nullo modo fuissent. Ista delibauit Marcellinus, quum de Liberio, Damaso & Vrsicino meminit: at quantumuis sobriè, & sicuti canis ad Nilum, apparent tamen profana vestigia, & ethnici hominis

non puri affectus. Cæterum, rerum Ecclesiasticarum sub Imperatoribus Romanis narratio, quum Spiritu Dei purgatas mentes & manus requirat, age sacra profanis ne misceamus, &, si ita visum erit dominantium dominatori, aliis temporibus & libris reseruemus.

Tametsi in amplissimo venerandæ antiquitatis theatro multa visu & auditu digna lateant, hac præfatione non instituimus verborum & rerum quæ ad disciplinarum liberalium isagógen referuntur, aut Rhetorices præcepta in concionibus & epistolis conspicua, aut mores, ritus, leges Romanorum, aut domesticam, ciuilem, militarémve eorum disciplinam, aut aulæ principum aut prouinciarum administrationem (quorum omnium præclara in his historiis extant documenta) aperire. Quas ex hoc thesauro gemmas colligi cupimus, in aureo illo præstantissimi poetarum scrinio lector reperiet:

Discite iustitiam moniti, et non temnere Diuos.

Impietas & Iniustitia, post lapsum hominis, præcipuè verò sub Augustis, hoc historicæ narrationis circulo conclusis, mundum inuaserunt. Horum verò, ferè omnium, vita mórsque Virgilianum illud auribus nostris singulis momentis instillat.

Quis talia & tam nefanda rerum monſtra crederet, niſi penicillis ethnicorum tot tyranni ad viuum depicti etiamnum permanerent? Hîc igitur hiſtoriæ noſtræ primarius vſus eſto: Quòd mentibus noſtris proponit Oculum illum iuſtitiæ perpetuò vigilantem, Deum videlicet æternum, mundi principes intrepidè aggredientem, & obtorto collo quolibet raptantem, illis cor in ira ſua auferētem: quorum ſceptra comminuit, ſolia inuertit & vertit in puluerē, potentioréſque ceu formidandæ ſuæ vindictæ victimas trahit ad mactationē. Cernimus præterea Numen illud prouidentia quadā prorſus incomprehenſibili viam iudiciis ſuis aduerſus principes & ſubditos exequendis facilè aperire. In ſingulis ingreſſus & exitus ipſorum Imperatorum momentis extare circunſtantias, quæ nobis tanquam exerto digito diuinam illam adminiſtrationem oſtentant, vt eam debita reuerentia proſequamur. Principes, qui dolis, latrociniis, voluptatibus, tyrannide, ſtultitiæ ſuæ ſedem firmare ſe putant, turpiter falli: in aliorum capita infamiam & exitium molientes, ſibiipſis foueam fodere, in quam tandem iuſto ſummi rerum arbitri iudicio deiiciuntur. Summum illud Numen, ſocietatis publicæ amicum, Reſpublicas, imperia, principéſ-

que multis fœdatos sceleribus arcana quadam patientia tolerare:idque in eorum gratiam quos in filio suo dilecto diligit: propter illos enim Romam, Augustos, cælum, terram, & quæcunque ingens orbis machina complectitur, omnipotens sapientia sua condidit. Multa in administratione publica priuatáque nonnullorum principum & illustrium virorum, quorum hoc volumine nomina exprimuntur, laude digna gesta, & scitè dicta, patientiæ benignitatíque diuinæ luculentum ferre testimonium:atque in cordibus piorum spem misericordiæ eius non parum augere. Enimuero, quum adeo liberali manu in eos qui cæca viuunt, & digitorum suorum ludibria reuerentur, non modò lucis diurnæ florem, gratásque anni vices,terræ munera, mundi honores sparsit ac distribuit, verùm etiam eximiis quibusdam animi donis eos abundè dotauit: quid à Diuina illa Bonitate honoris vasa, ad gratiam & gloriam summam aptata, expectare debent?

Aliquid præterea addamus. Heroica illa principum ethnicorum gesta, Numinis peculiarem de rebus humanis prouidentiam & sine labore solicitudinem confirmant: surdorum auribus occinunt, prouidentiam illam, quum opus est, heroas quosdam ex-

citare qui columnis Rerum publicarum ad ruinam inclinantibus validos humeros admoueant: horum corda pro ſuo arbitrio mouere & deducere quocunque conſtituit, ad ſui nominis gloriam, dilectorúmque ſuorum ſalutem: ſicuti inter tot imperij Romani tumultus & incendia inducias ſæpiſſimè Chriſtus Eccleſiis ſuis conceſſit, & è flammis ſuos eripuit illæſos. Execranda illa Commodi, Heliogabali & aliorum, tum principum tum priuatorum, flagitia, innatam illam generis humani vitioſitatem & labem triſtiſſimam refricant. Horribiles & luctuoſiſſimi atheiſmi ſeu πολυθεΐας effectus, humanæ ſapientiæ cæcitas, oſtendunt conſuetudinem extra veri Dei verbum agentem eſſe vetuſtatem erroris: multitudinem, mendacij magiſtram: terrenæ potentiæ faſtigium: culicis veſtigium hominum lucem & ſplendorem, meras tenebras & vanitates: conſilia, fumum: conatus eorũ, nihil eſſe aliud quàm vmbræ ſomnium. Et quid miſerorum euanida felicitas, firmitas, vita, tandem eſt ac erit quàm miſeria, infirmitas & æternum exitium?

Equidem mundi fortuna vitrea, quantò magis ſplendet, eò citius frangitur: immenſa illa Romani imperij moles, miraculoſæ Numinis omnipotentiæ baſi innitens, ho-

ſpitium fuit per aliquot ſecula hominibus Chriſtum profeſſis, in quorum gratiam altera illa Ægyptus & Babylon durauit, donec annis impletis, & piis in tuto collectis, de impiis iuſtus ille iudex ſumeret ſupplicium. Tunc enim Roma ſuis armis confecta, & quibus artibus tot populos ac principes obruerat, ipſamet oppreſſa iacuit. Quæ tantæ molis rudera ſuperſunt, coloſſi enormem celſitudinem oſtendunt, & Numinis vindictam prædicant, ſonoríſque vocibus illud intonant,

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Numen.

Cæterùm principibus viris, de officio ſuo diligenter exequendo præclara documenta tradit hoc Auguſtæ hiſtoriæ volumen. Iubet eos auream colere mediocritatem, ex alienis incommodis ſua non captare commoda, aulicarum Sirenũ voces fugere, quæ adulationibus, ſycophanticis ſuſurris, & ſplendidis mendaciis in irremeabiles bellorum domeſticorum abyſſos nimium credulos principes præcipitant. Tot interfecti Cæſares, etiamnum in ſuo ſanguine volutati, & pugionum ictus oſtentantes, vociferantur, Cauete vobis Principes, non tantum à patricidis & perduellibus nefariis, ſed à vobis ipſis, & à veſtris affectibus. auari-

tiæ,ambitionis,iræ consilia,in cordibus vestris latentia, indesinenter fugate & fugite. Nunquam tyrannicum illud mentibus vestris insideat, aut ex dentium claustro egrediatur, *Quod libet,licet*:at cogitate(ni in vos ipsimet censuram instituatis) Deum, qui in vos imperium retinet, cum virga ferrea, & iustæ indignationis suæ instrumentis, aliquoties adfuturum, qui audaciæ vestræ impetum coerceat. Principum consiliarij, domestici, & ministri reipublicæ, ad modestiam, prudentiam, pacem, temperantiam, humanitatem amplectendam & aliis inculcandã inuitantur,ni velint sibiipsis accersere lethale periculum. Discãt subditi,quibus tot mutationes & rerum vicissitudines horrendæ occurrunt,principibus salutem & sanam mentem à Deo precari: seditiones ac perduellionis crimen solicitè caueant & abominentur. furiosis populis tyrannos dari nouerint: & quales seruos tales esse dominos, vt alij aliis sint offendiculo & exitio. Contrà, piorum magistratuum & principum dominationem seculum esse aureum & Saturnia reducere regna,effectus ipsi,& tot malorum quos tyrannis inuexit sensus ac experientia,nos tandem edocent.Virtutum præmia, vitiorum pœnæ Deum in iustitiæ throno firmissimo sedentem demonstrant.

Impius quiſpiam longas æquiſſimi illius Iudicis manus euaſiſſe videtur: ſed meminerimus, vindictam tametſi claudis vel laneis pedibus incedentem peccatores opportunè ſemper apprehendiſſe, & tarditatem ſuam compenſaſſe grauitate & numero ſuppliciorum. Pręterea diem cõſtitutum eſſe quo impietatis & iniuſtitiæ ſuæ reprobi rationem reddituri pœnáſque luituri ſunt. Quandoquidem verò nouiſſimis noſtris temporibus, veriſſimum eſſe quiſque reipſa comperiat à veteribus dictum, Res humanas in ſeipſas tandem conuerti, & circulo prorſus eſſe ſimiles:& Cæſares iſtos tum virtute ornatos tũ vitiis pollutos noſtro ſeculo reuixiſſe, antiquáſq; tragœdias in dies renouari videamus, decet pias mentes lætari, quum ſibi perpetuò ſimilis æternus rerum moderator appareat. Tutam eſſe pietatis mercedem, vel ipſa experientia teſte, malum cõſilium conſultoribus peſſimum, iuſti & æqui cultoribus omnia cedere in bonum, impiis flagella, gladios & ignes tremendos imminere credamus: & Dominum Opt. Max. placidis animis expectantes, iuſtè, piè, temperanter munus nobis commiſſum libenter exequamur: donec ad ſalutem noſtram vindex ille appareat. Kalen. Feb. anno immenſæ Dei patientiæ M.D.XCII.

CATALOGVS
ET ORDO IMPERATORVM,
vbi vides etiam à quo autore, ſeu à quibus autoribus, & quota pagina de vnoquoque ſcribatur.

AVGVSTI & CAESARES à Diocletiano ad Constantij & Iuliani imperium: nempe

Galerius.
Constantius Chlorus.
Seuerus.
Maximinus.
Maxentius.
Licinius.
Constantinus.
Constantini filij. Zosim. 771. Sext. Aurel. Victor 811.

DIONIS NICÆI
Nerua.

BREVIARIVM.

1 Domitiano ſublato, eiuſdémque memoriâ damnatâ, Nerua creatur Imperator, & propter nimiam tum clementiam, tum ſeueritatem, à Frontone perſtringitur.

2 In corpore infirmo Neruæ lucent eximiæ animi virtutes, nempe moderatio inſignis, liberalitas, æquitas, benignitas, prudentia, lenitas, ſapiens adminiſtratio, & morum integritas.

3 Eluſo coniuratorum nonnullorum conatu, ac propter ſenectutem contemptus, Traianum adoptat quem paulò poſt in Senatu deſignat Cæſarem, deinde moritur. Tempus imperii & vitæ eiuſdem.

POST cædem Domitiani, Nerua Cocceius Romæ imperator deſignatus eſt: deinde pleræque ſtatuæ Domitiani, argenteæ atque aureæ (quippe odio apud omnes erat) ſublatæ ac diſſipatæ ſunt, ex quibus grandis pecunia redacta eſt. Fuêre quoque arcus triumphales, quos ei plurimos fecerant, diſturbati. Nerua autem eos qui rei facti erant impietatis, abſoluit, exuléſque reſtituit. Seruos verò ac libertos qui inſidias dominis patroníſque ſuis fecerant, omnes interfici iuſſit, cauítque ne eis liceret crimen vllius facinoris, dominis inferre: nemi-

1 Peſſimo principi optimus ſuccedit. Sic rerum ſummus arbiter tranſmutat incertos honores, hominum ſocietati ſapienter conſulens.

nem quoque impietatis aut ritus Iudaici accusari permisit. Sed & delatorum multi adiudicati sunt morti: inter quos fuit etiam Seras philosophus. Cum ergo turbæ exstitissent haud vulgares, ex eo quod omnes omnibus accusare permitteretur, ferunt Frontonem consulem dixisse, *malum quidem esse, Imperatorem habere, sub quo nemini licet quicquam facere, sed multò peius esse, quum omnia licent omnibus.* Quibus cognitis rebus, Nerua talia fieri in reliquum tempus vetuit.

Noui principis administratio ferè turbulenta.

Apophthegmate etiam perstricta.

2 ERAT Nerua senectute & languenti stomacho imbecillior: nam ex eo cibum, quem ceperat, euomebat. Statuas aureas & argenteas sibi fieri vetuit, bonáque, quæcunque adhuc inuenta sunt in palatio, restituit iis quibus ea Domitianus per iniuriam ademerat. Ciuibus Romanis, qui in summa forent egestate, agrum dedit ad mille quingentas myriades drachmarum, eius agri emptione diuisionéque quibusdam viris Senatorij ordinis imperata. Quúmque egeret pecunia, magnum numerum vestium, multaque vasa aurea, atque argentea, & reliquam supellectilem non modo de priuatis suis, sed etiam de principalibus rebus, multa etiam prædia, multásque domos, atque in summa omnia, præter ea quæ necessaria erant, vendidit. Neque vero in pretiis harum rerum sordidus, sed in hoc ipso benignus erga multos & liberalis fuit. Multa sacrificia, multósque ludos Circenses, aliaque nonnulla spectacula sustulit, vt sumptus, quoad eius fieri posset, minueret. Iurauit in Senatu, nullum è Senatoribus suo iussu interfectum iri: idque iusiurandum, facta etiam coniuratione contra se ratū fecit. Quúmque nihil absque primariis viris gereret, multas leges tulit, præsertim ne quis eunuchum faceret néue quis neptem in vxorem duceret. Virginium Rufum, qui sæpe Imperator appellatus fuerat, non est grau

Senectus & corporis languor virtutes non tollunt, immò reddunt splẽdidiores.

Neruæ moderatio animi & liberalitas.

Aequitas item atque benignitas.

Prudentia.

Lenitas.

Sapiens administratio.

grauatus collegam in consulatu assumere: in cuius mortui sepulchro inscriptum fuit, eum superato Vindice, nequaquam sibi imperium peperisse, sed patriæ. Nerua quidem vsque adeo bonus princeps fuit vt aliquando dicere ausus sit, *Se nihil fecisse, quo minus posset deposito imperio priuatus tutò viuere.*

Morum integritas, vnde pacata mens.

3 QVVM autem Calphurnius Crassus, illorum Crassorum nepos, atque alij nonnulli contra eum coniurassent, eos, quum nondum rescirent patefactam esse coniurationem, in spectaculo iuxta se collocauit, iisque gladios tradidit in manus, vt (sicuti dicebat) an satis acuti essent, inspicerent, quemadmodum fieri solet: reuera autem id fecit, vt eis ostenderet sibi nequaquam curæ esse si vel in eodem loco statim necaretur. Casperius quoque Aelianus, quem, vt antea factum erat à Domitiano, prætorianis præfecerat, milites in eum concitauit, efficiens vt quosdam ad supplicium deposcerent. Quibus adeo restitit Nerua, vt etiam nudum iugulum præbuerit, quanuis nihil egerit: ij enim, quos voluit Aelianus, interfecti sunt. Hac de causa Nerua, qui propter senectutem minime honorabatur, sed contemptus erat, in Capitolium conscendit, ibique magna voce, *Quod felix faustúmque sit*, inquit, *Senatui populóque Romano, mihique ipsi, Marcum Vlpium Neruam Traianum principem facio*: eundémque postea in senatu Cæsarem designauit, atque ad eum sua manu scripsit, (is tum præerat Germaniæ)

Murus aheneus, bona conscientia.

Mortis contemptus, argumentum animi ab altiori sede venientis.

Senectus ab iis pridem contempta qui leges & disciplinam odio prosequuntur.

Sed sapientia telis inuidiæ conatus euertit.

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι,
Telis Nerua tuis lachrymas vlciscere nostras.

Itaque Trajanus, quanquam Neruę propinqui non deerant, tunc Cæsar, ac postea Imperator factus est. Nec enim ille coniunctionem sanguinis antepostuit publicę vtilitati: neque rursum eum deterruit quod Trajanus homo Hispanus, nec Italus erat, nec Ita-

Traianus factus imperator, habi-

ta non nationis, sed virtutis ratione.

licus, quódque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanorum obtinuerat. Censebat enim *virtutem cuiusque, non patriam existimari & ponderari oportere.* His confectis rebus mortuus est. Regnauit annum vnum, menses quatuor, dies nouem. Vixit annos LXV. menses decem, dies decem.

Neruæ excessus, tempus imperii & vita.

SEXTI AVR. VICT.

Nerua.

HACTENVS Romæ seu per Italiam orti imperium rexere: hinc aduenæ. Vnde compertum est vrbem Romam externorum virtute creuisse. Quid enim Nerua prudentius aut moderatius? Quid Trajano diuinius? Quid præstantius Adriano? Cocceius Nerua oppido Narniensi genitus, imperauit menses XIII, dies X. Iste quum imperium suscepisset, mox rumore orto viuere atque affore Domitianum, perinde trepidauit vt colore mutato, verbis amissis, vix consisteret. Sed à Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad solenne delinimentum conuersus est. Qui quum in curiam à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antoninus vir acer, eíque amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari se ait senatui & populo prouinciisque, ipsi autem nequaquam: cui satius fuerat malos semper principes eludere quàm tanti oneris vim sustinentem, non molestiis modò & periculis subiici, sed famæ etiam inimicorum

rum

rum pariter & amicorum: *qui quum se mereri omnia præsumunt, si quicquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus.* Iste quicquid antea pœnæ nomine tributis accesserat indulsit: afflictas ciuitates releuauit: puellas puerósque natos parentibus egestosis, sumptu publico per Italiæ oppida ali iussit. Hic ne accessu malignorum terreret. Iunij Maurici constantis viri dicto ita admonetur: Qui conuiuio familiari adhibitus, quum Veientonem consulari honore functum quidem, apud Domitianum tamen multos occultis criminationibus persequutum, adesse vidisset, inter colloquia mentione Catulli facta, calumniatoris præcipui, dicente Nerua, *Quid nunc faceret si Domitiano superuixisset? Nobiscum*, inquit Mauricus, *cænaret*. Hic iurgiorum disceptator & scientissimus & frequens fuit. Calpurnium Crassum, promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum confessúmque, Tarentum cum vxore remouit, patribus lenitatem eius increpantibus. Quúmque interfectores Domitiani ad exitium poscerentur, tantum est consternatus vt neque vomitum neque impetum ventris valeret differre: & tamen vehementer obstitit, dictitans *æquius esse mortem subire, quàm autoritatem imperii fœdare, proditis potentiæ sumendæ autoribus*. Sed milites neglecto principe, requisitos Petronium vno ictu, Parthenium verò demptis prius genitalibus & in os coniectis, iugulauere, redempto magnis sumptibus Casperio: qui scelere tam truci insolentior, Neruam compulit referre apud populum gratias militibus, quia nefandos pessimósque omnium mortalium peremissent. Hic Trajanum in liberi locum inque partem imperij adoptauit: cum quo tribus vixit mensibus. Qui dum suggerente ira, voce quam maxima contra quendam Regulum nomine inclamaret, sudore correptus est. Quo re-

frigescente, horror corporis nimius initium febri fuit: nec multò post, vitam finiuit, anno ætatis sexagesimo tertio. Cuius corpus à Senatu quondam augusto honore delatum in sepulchro Augusti sepultum est. Eóque die quo interiit, solis defectio facta est.

DIONIS NICÆI
Trajanus.

BREVIARIVM.

1 Traianus Imperator rebus in Italia ordinatis in Dacos cum exercitu proficiscitur. Eius virtutes & naui.

2 Dacorum regem Decebalum prælijs fractum Traianus pacem petere cogit: deinde acto triumpho iocis & serijs vacat.

3 Propter Decebali defectionem Traianus iterum arma mouet in Dacos, quorum insidias eludit Longino venenata potione extincto.

4 Pontis lapidei quem in Danubio Traianus stupendo prorsus opere faciundum curauit, descriptio. Daci debellantur. Sibi necem infert Decebalus. Eius ingentes thesauri reperti.

5 Arabiæ pars Romanis subiicitur. Miranda Traiani spectacula populo Rom. exhibita. Eiusdem Traiani eximiæ virtutes.

6 Bello Armenio & Parthico confecto, Traianus, Optimus & Parthicus cognominatur.

7 Terribilis terræ motus, dum Antiochiæ moraretur, ob lectorum sensus reponitur.

8 In Assyriam penetrat Traianus, vbi quædam naturæ miracula notantur. Ctesiphontem videt & Imper

perator ac Parthicus salutatur iterum.

9 Statuit mare rubrum traiicere, & ad Oceanum peruenit, quem dum lustrat populi antea subacti iugum excutiunt, quos vario Marte per præfectos adoritur.

10 Rebus in Parthia vtcunque stabilitis, Agarenos frustra aggressus morbo affligitur. In Syria, Aegypto & Cypro, Iudæi in Romanos & Græcos superatos immaniter sæuiunt, vnde innumeræ cædes. Turbato admodum Orientis statu Traianus multiplici morbo pressus moritur.

TRAIANO, priusquam Imperium adipisceretur, visum est in somnis virum iam grandem natu, veste purpurea & corona ornatum, (qualis pingitur Senatus) primùm in sinistram partem iuguli ipsius, post in dextram annulo sigillum impressisse. Vt autem Imperator factus est, multa sua manu scripsit ad Senatum, atque illud in primis, se nullum vnquam bonum virum interfecturum, aut notaturum ignominia: idque non tunc solùm, sed etiam postea, iureiurando confirmauit. Aelianum prætorianósque milites, qui contra Neruam seditionem fecerant, quasi vti vellet eorum opera, accersiri iussit, eósque de medio sustulit. Postquam Romam venit, multa fecit vt emendaret reipublicæ statum, & in gratiam bonorum, quorum præcipuè curam gerebat: vt & ciuitatibus Italiæ multa largitus est ad educationem puerorum, in quos magna beneficia contulit. Huius vxor Plotina, cùm primùm ingrederetur in Palatium, essétque adhuc in gradibus, conuersa ad multitudinem, *Talis*, inquit, *huc ingredior, qualem me exire cupio.* Ea quidem sic se gessit in principatu, vt iusta reprehensione caruerit. Traianus autem cùm Romæ aliquandiu commoratus esset, in Dacos cum exercitu proficiscitur: quòd secum ea quæ ab illis

1 Traianus, boni, sapientis & fortis principis effigies.

Principem optimum autem oportet, insontes tueri, sontes pro delictorum ratione punire.

Reipublicæ statum emẽdare.

Iusta reprehensione carere.

Causas pru-

denter expendere propter quas hostes publice adoriendi sint.

gesta essent, reputaret: quódque pecunia quam ipsi quotannis capiebant grauaretur: & quòd eorum copias indies augeri, efferrique animos animaduerteret. Cognita eius profectione, Decebalus pertimuit: quippe sciebat antea non populum Romanum, sed Domitianum ab se superatum esse: tunc autem bellum sibi fore cum populo Romano, Trajanóque imperatore, qui iustitia, fortitudine, bonitate longè antecelleret, ac viribus corporis præditus esset (quippe regnare cœpit agens annum secundum & quadragesimum) & ita vigeret animo, vt non eum iuuentus temerarium, non tardum efficeret senectus. Trajanus quidem nulli inuidebat, perdebátque neminem: bonos omnes ornabat honoribus, & dignitatibus augebat. Ex quo fiebat, vt neque timeret quemquam, nec haberet odio. Nullam fidem habebat calumniatoribus, nulla ira tenebatur: abstinebat ab aliena pecunia non minùs quàm ab iniquis cædibus. Magnos sumptus fecit belli pacisque temporibus. Multa eáque apprime necessaria ędificauit, cuius generis sunt vię, portus, ædificia publica, quorum tamen causa nullius vnquam sanguinem effudit. Magnificus enim natura & magnanimus erat. Itaque postquam Circum collapsum restituit, maiorémque reddidit atque pulchriorem, inscripsit in eo, perfecisse se vt populo Romano sufficeret. Amari à ciuibus cupiebat magis quàm honore affici. Cum populo humaniter, cũ Senatu honorificè versabatur. Charus omnibus, nemini formidolosus erat, nisi hostibus. Venationum, conuiuiorum, iocorum, quin & consiliorum operúmque socium se ciuibus præbebat: ac sæpenumero etiam quartus vehebatur: domósque nonnullorum vel absque custodia ingressus, hilaritati cum eis sese dabat. Bonarum artium expers & ignarus fuit: licet verè, ea quæ ad virum doctum pertinent intel

Ob corporis & animi dotes hostibus esse formidabilem.

Nec aliquẽ timere, nec vllum habere odio.

Rempublicam ornare, absque priuatorum dispendio.

Cupere magis amari quàm per metum honore affici.

Pater populi, potius quàm dominus, esto.

intelligere ac facere videretur. Cuncta in eo viro optima atque præstantissima erant, nam etsi erat amoribus puerorum & vino deditus, tamen nihil ob eam causam turpiter aut nequiter fecit, passusve est, quamobrem iure reprehenderetur. Licet enim vinum largiter biberet, tamen sobrius erat: & quòd ad pueros attinet, nemini molestus fuit. Cúmque esset auidus belli, ita sibi in eo temperabat, vt hostes frãgeret, amicos autem augeret. Non enim ei vnquam accidit, quod euenire in huiusmodi solet, vt milites feroces se & insolentes præbuerint, vsque adeo bene & sapienter imperabat. His de causis Decebalus meritò eum verebatur.

Neui in Traiano.

A Dione excusati.

Disciplina militaris, laude dignissima.

2 POSTQVAM Trajanus exercitum duxit in Dacos, nec longè abfuit à Tapis (loci nomen est) vbi barbari castra posuerant, fungus ingens ad eum allatus est, in quo scriptum erat Latinis literis, sociorum cùm alios tum Burros Trajanum hortari, vt retro verso itinere pacem coleret. sed Trajanus nihilo minus conflixit. Quo in prælio quanquam magna cædes hostium facta est, tamen multos ex suis saucios vidit. Cúmque deficerent ea quibus vulnera militum obligarentur, fertur ne vesti quidem suæ pepercisse, sed in fascias eam ac turundas concidisse, ad obliganda militum vulnera: cæsísque in prælio statuisse aram, in qua quotannis parentari iussit. Post contendit ad editiora loca montium: indéque aliis atque aliis occupatis collibus non sine magno periculo, ad regiam Dacorum peruenit: quos Lusius ex altero latere adortus, magnum numerum eorum concidit cœpítque. Decebalus continuò primores eorum qui pileos gestabant ad Trajanum mittit, pacémque per eos ab ipso postulat, séque imperata facturum pollicetur. Is iubet arma machinásque & earum artifices tradere, transfugas dedere, diruere propugnacula, de regione quam

Princeps nõ sibi metum leuib. de causis iniiciat, sed audacter hostes aggrediatur.

Milites fidos & fortes sibi deligat. Nec enim in numeroso, sed in imperterrito milite victoriæ pars consistit.

Virtus & felicitas principis optimi hostes quantumuis feroces cogit ad obsequiũ

ex finitimis cœpisset decedere, & amicos hostésque eosdem quos populus Romanus haberet existimare. Has conditiones Decebalus deductus ad Trajanum, inuitus accepit, eúmque prostratus ad pedes veneratus est. His confectis rebus Trajanus in Italiam reuertitur. Tum legati Decebali intromittuntur in Senatum, ac depositis armis, captiuorúmque ritu iunctis manibus, supplices quædam proloquebantur: deinde pace solenniter firmata arma receperunt. Trajanus autem triumpho ob victoriam acto, acceptóque *Dacici* cognomine, in theatro gladiatores commisit quibus delectabatur, & saltatores quoque in theatrum reduxit, quod vnum ex iis Pyladem amaret. Porro in tanto armorum studio curam habuit & cæterarum rerum. nam in foro Augusti & in porticu Liuiæ, ac in plerisque aliis locis ius pro tribunali dicebat.

Conditiones pacis regis, item & populi iugum recipientis descriptio.

Exantlatis bellicis laboribus, pacis artes, sed decorè, colantur.

3 DVM hæc geruntur, nuntiatur Decebalum multa contra fœdus facere, arma comparare, transfugas recipere, arces instaurare, finitimas nationes per legatos ad defectionem sollicitare, & iis qui ante aduersati ei fuerant, clades inferre: iámque non nullam partẽ regionis Iazygum occupauisse, quam cùm illi postea repeterent, Trajanus eam non restituit. Ob has causas Decebalus hostis iterum a Senatu iudicatur. Et quanquam Decebalus Traiano multò erat imbecillior, tamen parum abfuit quin eum ex insidiis tolleret. Misit enim transfugas in Mysiam qui Trajanum occiderent: ad quem cùm antea semper facilis erat accessus, tum verò belli temporibus cum quibusuis facillimè colloquebatur. Sed id facinus transfugæ facere non sunt ausi, propterea quòd vnus ipsorum, cùm in suspicionem venisset, captus, magna vi tormentorum, insidias patefecerat. Sed Decebalus Longino, quem Romani ducem habebant peritissimum rei militaris, per

Decebali perfidia non diu manens inulta.

Hostis enim à potentiss. principe & populo iudicatur.

Subdolis & impiis artibus nihil efficere potest.

persuasit vt se adiret, quasi statuisset eius imperata facere. Hunc, cùm venisset, comprehendi iussit, rogauítque publice Trajani consilia. Post, vbi nihil potuit ex eo cognoscere, mandauit ipsum solutum vinculis in custodia retineri: deinde petiit à Trajano per literas, vt recepto Longino secum reconciliari vellet. Cui Trajanus medium quoddam responsum dedit, è quo appareret, neque magnam admodum, neque prorsus exiguam Longini rationem haberi, cur eum aut perire aut magno redimi vellet. Vbi cùm Decebalus aliquantum cunctatus despiceret quid facto opus esset, Longinus interea, facta sibi veneni copia, eo epoto mortem oppetiit.

Prudentia Traiani irrita redduntur eius consilia.

4 INTERIM Trajanus pontem lapideum in Danubio faciendum curauit: quem ego quidem digne admirari non queo. Nam etsi Trajani sunt alia opera magnifica, tamen is pons longè omnibus antecellit. Eius pontis pilæ sunt XX, ex lapide quadrato, singulæ absque fundamentis altitudine pedum CL, latitudine pedum LX. Distant inter se interuallo CLXX pedum, síntque fornicibus coniunctæ. Cuius operis sumptus licet sit incredibilis, tamen plus admirationis habet, quod hæc in magno fluuio, & aqua vorticosa, solóque limoso facta sunt: quódque fluxus eius fluminis aliò auerti non potuit. Latitudinem porrò fluuij dixi, non quòd tanto ibi spatio fluat (nam alicubi duplo & triplo maior restagnat) sed quòd angustissima pontique faciendo iis in locis aptissima pars, tanta sit: quanto autem magis ibi è spatioso stagno descendens, rursúmque in maius inde stagnum procedens in angustum concluditur, tanto & rapidior fit, & profundior: vt id quoque pontis faciendi difficultatem maximè augeat. Ex quo Trajani magnanimitas intelligi facilè potest. Is pons nobis quidem nulli est vsui: (nec enim transitur) exstant eius pilæ ostenta-

Huius prudentiæ & magnanimitatis luculentum exemplum.

Opus, inter innumera alia, mirandum.

Non tantum armis, sed & consilio

tionis causæ, quasi tantummodo factæ sint vt constet ex iis, *nihil esse quod humano ingenio effici non poßit.* Hunc pontem Trajanus fecit, metuens ne Danubio conglaciato frigoribus, Romanis, qui trans flumen essent, bellum inferretur: quod si eueniret, vt posset per eum copias facilè traducere. Sed Adrianus contra metuens, ne barbari oppressis custodibus pontis, in Mysiam facile transirent, superiores partes eius disturbari iussit. Igitur Trajanus eo ponte facto, Danubium transiit: dein securè bellum gessit magis quam celeriter, ac Dacos vix tandem subegit. Multa in eo bello ipse strenui Imperatoris ac viri fortis facinora edidit, multáque pericula milites eius adierunt, séque viros fortes præstiterunt. Ex quibus vnus eques saucius exportatus ex prælio ad sananda vulnera, vbi desperatam esse salutem cognouit, ex tabernaculo (nondum enim vis mali eum oppresserat) iterum in aciem processit, magnisque rebus gestis mortuus concidit. Decebalus, postquam regiam regionémque suam omnem captam esse cognouit, imminereque periculum ne ipse quoque caperetur, manus sibi attulit. Eius caput Romam perlatum est, & Dacia in potestatem venit populi Romani, in eámque Trajanus coloniam deduxit. Thesauri Decebali, quanquam in Sargetia flumine, non procul a regia eius repositi erant, inuenti sunt. Decebalus enim flumine, opera captiuorum auerso, persossóque alueo, magnam vim argenti aurique, tum pretiosissimas quasque res atque delicatissimas quæ conseruari poterant eo congesserat: iisque rebus magnis lapidibus aggeribúsque tectis, flumen pristino alueo restituerat. Præterea vestes & alia quæ sunt eiusdem generis abdiderat in speluncas per eosdem seruos, eósque peracto negotio iusserat occidi, ne quod actum erat patefacerent. Sed Bicilis, socius & familiaris Decebali, cui res

rum ac factorum magnitudine potentissimi principes aliis terrori esse debent: modò id expeditè, prudenter & feliciter exequantur.

Ipsimet bellis periculosis intersint, vt sua præsentia & authoritate milites erigant & hostes deiiciāt.

Tandem Decebalus perfidiæ suæ dat pœnas, obseruanda prorsus ratione.

Eiusdémque spolia opima victor reportat. Sic perfidia tandem luit pœnas, iusto Numinis iudicia.

res erat cognita, captus, hos thesauros indicauit.

Princeps sapiens & fortis feliciter agit.

3 Per id tempus Palma præfectus Syriæ, cœpit eam Arabiæ partem quæ Petram attingit, redegitque in ditionem populi Romani. Ad Trajanum reuersum in vrbem, quamplurimæ legationes a barbaris gentibus, & in primis ab Indis venerunt. Is spectacula edidit dierum CXXIII. in quibus ferarum pecudúmque altilium ad vndecim milia iugulata sunt, & gladiatorum decem milia decertarunt.

Prosperâ fortunâ nimiū aliquoties effertur.

Iisdem temporibus strauit paludes Ponticas lapidibus, exstruxitque iuxta vias ædificia, pontésque magnificentissimos fecit, nummósque monetæ exsolescentis conflauit omnes. Suram Licinium, qui tum decesserat, affecit publica sepultura, eique statuam collocari iussit.

Amicos, & viuos & fato functos, benignè amplectitur.

Hic adeo diues fuerat & potens, vt gymnasium ædificauerit populo Romano suis sumptibus: tantáque fide atque amicitia fuerat cum Trajano coniunctus, vt cùm sæpe esset apud eum ab inuidis & inimicis accusatus, Trajanus nihilominus domum eius non vocatus ad cœnam venerit, dimissáque custodia medicum Suræ primum omnium ad se vocauerit, eique suos oculos tractandos & curandos permiserit.

Delationib. inuidorũ minimè fidem adhibet: sed amicis sese committit.

Quo facto, tonsorem eiusdem venire iussit, qui mentum Imperatoris rasit. nam hęc vetus consuetudo ciuium Romanorum ac principum fuit: Adrianus enim primus barbam nutriuit. Post hæc Trajanus cœnauit lotus, posteróque die amicis suis, qui Suræ maledicere semper, eúmque calumniari consueuerant, respondit: *Si me Sura interficere voluisset, heri quidem certè interfecisset.* Itaque permagnum fuit, quòd Trajanus in homine accusato insidiarum, periclitari voluit: sed multò profectò maius, quòd nunquam timuerit vt quidquam tale ab illo sibi accideret. Quin & cùm primùm ei qui prætorianis erat præfuturus, gladium porrigeret, quo eum accingi oportebat, Trajanus nudum

Aequitatis & iustitiæ amans, sibi

porrigens dixit, *Accipe gladium, quem pro me, si bene atque ratione imperauero, distringes: sin minus, eo ad interitum meum vtere.* Soffio quoque, & Palmæ, & Celso statuas posuit, quos viros habuit in honore præ cæteris omnibus. In eos verò qui contra se coniurauerant (in quorum numero fuit Crassus) re ad Senatum delata animaduertit. Bibliothecas exstruxit, ac in foro suo maximam columnam collocauit, partim sepeliendi sui causa, partim vt opus quod ipse circa forum fecerat posteris ostenderet. nam eum locum montosum, quanta est altitudo columnæ, perfodit, forúmque eo pacto complanauit.

nō vult parci, si contra leges agat. Prudentes & fortes viros honorat: & ad res principe dignas animū applicat.

6 POST hæc bellum intulit Armeniis Parthisque, propterea quòd, vt ipse dicebat, rex Armeniorum non ab se, sed a rege Parthorum diadema accepisset: sed re vera id bellum suscepit adductus gloriæ cupiditate. Postquam in fines hostium peruenit, Satrapæ qui regionem tenebant, regésque cum magnis muneribus ei processerunt obuiam, in primísque adduxerunt equum doctum hominem venerari, ita vt flecteret anteriora genua, & ceruicem pedibus eius qui prope adesset submitteret. Trajanus cœpit cuncta nullo facto prælio: dein Satala & Elegiam, quæ sunt vrbes Armeniæ, profectus, Heniochorum regem honore affecit, & Parthamasirem regem Armeniorum puniuit: captáque Armenia, reges, qui deditionem fecerant, habuit in numero amicorum, cæteros autem, veluti iam mortuos, absque pugna intercepit. Tum ei multa decreta sunt a Senatu, sed in primis *Optimus* cognominatus est. Pedibus iter faciebat semper cum exercitu, instruebátque milites, quoties proficisceretur, eósq; variis modis ductabat. Pedibus non aliter quam illi transibat flumina: nonnunquam falsos disseminabat nuntios, & prospeculatorem agebat: vt milites & ordines seruare studerent, & ad omnia parati atque

Næuus in Traiano qui ambitione ductus non iusta mouet arma, vnde posteà pessimos successus, quamuis felicia fuerint initia.

Felicitati principum omnes applaudunt.

Fortissimi ducis effigies.

impa

impauidi essent. Ad hæc Nisibi Batnísque captis, *Parthicus* cognominatus est: sed cognomine Optimi multò magis gloriari videbatur, ex quo natura moréſque eius ſuauiſſimi magis quam arma cognoſcerentur.

Sapientis principis delectatio.

7 DVM moraretur Antiochiæ, ingens terræ motus factus est, quo multis ciuitatibus, ſed Antiochiæ præſertim, magna clades allata est. In qua vrbe cùm Trajanus hyemaret, cúmque eo magnus numerus militum, magnáque priuatorum hominum multitudo, litium, legationum, negotiationis, & ſpectaculorum cauſa vndique conueniſſet, id damnum ad omnes nationes populóſque ita pertinuit, vt in vrbe Antiochia omnis orbis terrarum ſubiectus Romano imperio detrimentum acceperit. Hunc terræmotum multa præceſſere fulmina, flaueréque vehementes venti atque inſolentes: ſed ex iis tanta calamitas nunquam credebatur futura. Primùm enim de improuiſo mugitus terræ maximus: post, conſecuta est terræ quaſi bullientis violentiſſima ſubſultatio: & partim tellus ipſa tota ſurſum eiectabatur, partim ædificia ſubſiliebant, eorúmque alia in altum elata, rurſum e ſublimi collabentia frangebantur, alia huc illuc velut ſalo iactata ſubuertebantur, magnámque etiam ſubdiualis ſpatij partem præoccupabant: & dum ligna, lateres, ac lapides confringebantur, crepitus fragórque terribiliſſimus exſiſtebat. Tantus verò puluis excitatus fuit, vt non videre, non alloqui, non audire quènquam per eum liceret. Multi mortales extra ædes afflicti ſunt, quòd agitati iactatique, tandem velut è locis ſuperioribus præcipitati colliderentur. Alij mutilati & interfecti ab arboribus qui radicitus conuellebantur. Eorum verò qui in vrbe remanſerant, infinita multitudo periit. Multi enim impetu hominum cadentium aggerúmve occubuerunt: multi

Quum verò nihil in vita humana ſit omni ex parte beatũ, improſpero rerum ſtatu principes & populi mi ris conuerſionibus & lugendis caſibus (qualis hic terræ motus fuit) admoniti, fortunam (ſeu potiùs Numen) reuerẽtes habere, & iuſtitiam moniti colere diſcant.

Horrẽdi terræ motus deſcriptio, & tragici effectus.

quoque casu lapidum oppressi, exstincti sunt. Qui parte aliqua corporis pressa lapidibus lignisve iacebant, miserrimi erant, quòd neque viuere neque mori possent subitò. Et quanquam multi ex infinita scilicet eorum multitudine euaserunt, tamen eorundem magna pars læsa & mutila fuit, cùm alij fractis cruribus, alij priuati humeris, nonnulli fracta ceruice esse, complures sanguinem euomere viderentur. In eorum numero fuit Pedo Cónsul, qui statim mortuus est. In summa nulla fuit grauis calamitas quæ nō sit illis hominibus illata: propterea quòd in hoc terræ motu facto diuinitus, homines inopes consilij nesciebant huic malo mederi: quòd alij cadentibus ædificiis opprimerentur, alij fame interirent, id quod iis accidit qui in vacuis locis, lignis forte superstantibus, aut in fornicato aliquo intercolumnio incolumes seruabantur. Cùm iam cessasset terræ motus, fuit qui ruinas audacter conscendens postquam in iis vocem viuæ mulieris intellexit, quæ secum habebat infantem, eúmque ac seipsam lacte suo sustentabat, loco in quo erat, perfosso, vtrumque incolumem seruauit. Quo facto indagare cœperunt cætera: neminem tamen viuum inuenire potuerunt, prȩter puerum alterum qui matris mortuæ vbera sugebat. Cúmque inde mortuos eruerent, nequaquam præ dolore saluos se esse lætabantur: tanta calamitas Antiochiam inuaserat. Trajanus autem fenestra ex ædibus, in quibus erat, effugit. Nam eum quidam inusitatæ & plus quàm humanȩ magnitudinis, cùm ad ipsum venisset, eduxit foras: ita vt leuiter admodum ictus è periculo euaderet. Cùm verò ad complures dies terræ motus duraret, in circo sub dio agitabat. Corasius quoque mons ita concussus est, vt eius culmina subsidere & conquassari, atque in ipsam ciuitatem cadere viderentur. Subsedere præterea alij montes: & aquæ, vbi antea

Pedo Consul oppressus.

Nemini enim parcit Numinis seueritas.

Et si aliques reseruat, teneris ac imbecillis 'd..t veniam, vt in eorum mira protectione omnipotẽtia illa diuina palàm eluceat.

Principũ autem, Reipub. vtilium, peculiarẽ quãdam curam gerit.

antea viſæ fuerant nunquam, extiterunt: contrà, nonnullæ, vbi fluxerant, defecerunt.

8 INEVNTE vere Trajanus in hoſtilem terram ingreditur. Cúmq; ea regio quæ ad Tigrim fluuium ſpectabat, materiam ad ædificandas naues nón ferret, ea nauigia quæ in ſyluis apud Niſibin fecerat, plauſtris in flumen conuehi iuſſit: (ſic enim compa-rata fuerat, vt diſſolui & coniungi poſſent) ægréque ad radices Cardyni montis pontem fecit in flumine continuatis nauibus, quanuis hoſtes ex aduerſo col locati prohiberent. Nam Trajano tanta erat nauium côpia tantaq; multitudo militum, vt aliæ celerrime coniungerentur, aliæ plenæ grauis armaturæ militibus atque ſagittariis, vim hoſtium ante prohiberent, aliæ huc & illuc ferrentur, quaſi tranſituræ eſſent. His rebus perterriti barbari, ſimul quod tanta multitudo nauigiorum in regione vacua arboribus conſpiceretur, ipſi terga dant. Romani flumen tranſeunt, Adiabenémque omnem, (quæ Aſſyriæ circa Ninum pars eſt) in ſuam poteſtatem redegerunt. Ad hæc Arbela atque Gaugamela, vbi Alexander olim Darium ſuperauerat, capiunt. Ea quoque ſunt Aſſyriæ: eáque ipſa, etiam Atyria propterea barbarico more appellata eſt, duobus ſi in t tranſmutatis. Póſt Babylonem vſque veniunt, propter hoſtium a quibus prohiberentur, ſolitudinem. Nam Parthorum vires comminutæ erant bellis ciuilibus, erátque inter eos adhuc ſeditio. Ibi Trajanus vidit lacum bituminis ex quo mœnia Babylonis ædificata fuerant. Cuius tanta vis eſt vt permixtum cum lateribus aut minutis lapidibus, quouis ſaxo ſit aut ferro firmius. Oſtium quoque eiuſdem ſpectauit, vnde tam grauis halitus manat vt eum nulla animalia terreſtria nullæque volucres perferant, cuius ſolo olfactu intereunt. Quod ſi is halitus ſeſe altiùs efferret, habitare certè circa eum locum

Forti princi pi & valido exercitus omnia peruia

Aduerſus potentes hoſtes, & in diſſitis procul regionibus, bella celeriter & magna manu cõficienda.

Natura miracula.

nemo potuisset: nunc, quasi in se reuolutus ille, in suo loco continetur. Ego quidem alterum huic consimilem vidi Hierapoli, quod est oppidum Asię, fecíque periculum in auibus, & procubui vt inspicerem eum halitum qui in cisterna quadam concluditur, vbi theatrum ædificatum fuerat. Is spiritus omnibus animantibus pestilens est, præterquam castratis hominibus: cuius rei causam equidem afferre nequeo, ea tãtùm, vt vidi audiuique, refero. Constituerat Trajanus Euphratem facta fossa in Tigrim deriuare, vt per eam naues ad pontem faciendum duceret. Sed vbi eum altiorem Tigri esse intellexit, mutauit consilium, veritus ne, si id faceret, Euphrates nauigari non posset, quòd fluxus eius in decliuem partem ferretur. Itaque tractoriis machinis, (ὁλκὺς Græci vocant) transportatis nauibus, quòd paruum spatium inter vtrumque flumen intercedebat (nam Euphrates totus in paludem fluit, indéque cum Tigri coniungitur) Tigrim traiicit; pòst Ctesiphontem ingreditur. Qua vrbe capta, *Imperator* appellatus est, confirmato *Parthici* cognomine. Multa ei decreuit Senatus, sed imprimis vt triumphos festósque dies ageret, quàm plurimos vellet.

Mirandum quiddam à Dione narratum.

Magnus animus omnia molitur, prudenter autem, quum opus est, ab incæpto desistit.

Virtutis humanæ præmia.

Gloriæ cupiditas angustis terminis non concluditur.

9 POSTQVAM Ctesiphontem cepit, statuit mare rubrum traiicere. Sinus est maris Oceani, quem sinum Erythræum, ab Erythra, qui regnum illic tenuit, appellant. Messanam quoque insulam Tigris, in qua Athambilus regnabat, nullo labore cepit, atque iis in locis propter vim hyemis, & rapidum Tigrim, æstúmque maris, in magnum periculum venit. Qui vallum Spasini habitabant (nam ita ab incolis appellatur, erántque in ditione Athambili) Trajanum amicè receperunt. Inde venit ad Oceanum: cuius cognita natura, in eóque viso nauigio quod cursum in Indiam tenebat, ita dixit, *Ego quidem, si iuuenis essem, in Indiam traiicerem.* De Indis enim cogit

Sed & Oceanum & totã rerum natũram animi cur su superat.

cogitare cœpit, ac de rebus eius gentis curiosè quærere. Tum Alexandrum beatum dicere, nonnunquam tamen asserere, se longiùs progressum esse: idque scripsit ad Senatum, quum tamen ea quæ ceperat, tueri non posset. Cuius rei causa Senatus præter alia multa decreuit vt triumphos quotquot vellet, ageret. Nam quum Trajanus tot gentes ab se superatas esse scriberet, Senatus eas neque cognoscere, neque nominare satis poterat. Itaque cùm alia multa, tum vero arcum triumphalem in foro ipsius ædificari iussit. Parabant ciues redeunti longiùs obuiam procedere: sed is nunquam in vrbem reuersus est, neque, vt extrema principiis responderent, efficere potuit: ea enim quæ subegerat, amisit. Dum enim nauigat Oceanum, atque inde reuehitur, ea quæ ceperat omnia maximo tumultu defecerunt, præsidiis, quæ apud eas gentes reliquerat, deiectis cæsisque. Atque hæc ad Trajanum, dum esset in naui, perferuntur: nauigabat autem adductus fama eorum quæ illic esse ferebantur, quæ tamen opinioni non responderunt. nihil enim vidit præter aggeres, fabulas, ruinas: itémque propter Alexandrum, cui etiam parentauit in iis ædibus, in quibus mortem obierat. Igitur cognita defectione, Lusium & Maximum contra rebelles mittit. Maximus prælio superatus obiit: Lusius præclare se gessit, recuperauitque Nisibin: Edessam expugnauit, direptámque incendit. Seleucia ab Erycio Claro, & Iulio Alexandro legatis capta & incensa est.

Et triumphis caducis ac titulis utráque populari pasci tur.

Interea obrepunt noua tragœdia quæ istos applausus discutiunt, & ad seria mẽtem aduertere homines felicitate suá ebrios iubent.

10 TRAIANVS metuens ne Parthi quoque aliquid molirentur, regem eis dare constituit. Itaque vt Ctesiphontem venit, conuocatis in magnam planitiem Romanis omnibus Parthisque, qui tum aderant, excelsum tribunal conscendit. Ibi apud eos de rebus ab se gestis gloriatur: deinde Parthis regem Parthamaspaten designat, eíque diadema imponit.

Ita tamen vt hic vana gloria morbus facilè recurrat.

Nec facilè curatur. Quis enim hoc celo ictus sapit?

Inde profectus in Arabiam, adoritur Agarenos, qui & ipsi defecerant, quorum ciuitas neque magna est, nec diues, finitimáque regio magna ex parte deserta est, quòd in ea aquæ raro inueniantur, atque illæ parum salubres, quódque in ea ligni pabulique magna sit penuria. Et cùm propter hæc ipsa diu a magna multitudine obsideri nequit, tum a Sole, cui etiam sacra est, defenditur. Itaque eam neque Trajanus tunc, neque postea Seuerus cepit, quum tamen partem aliquam muri diruerint. Trajanus quidem præmissis ad muros equitibus, qui graui damno affecti in castra reuerterunt, eósque ipse consequutus, quanquam vestem regiam deposuerat, ne ex ea agnosceretur, tamen vix vulnera effugit. Barbari enim canitiei dignitate vultúsque grauitate animaduersa, rati Trajanum esse, vt erat, non desinebãt contra eum iaculari, equitémque qui erat ei proximus, occiderunt. Ibi cælum tonitru contremuit, irides visæ sunt, fulgura, procellæ, grando, turbines, fulmina in Romanos cadere, quoties in illos impetum facerent: quúmque cœnarent, muscæ in cibis & poculis omnem molestiam exhibere. Itaque Trajanus inde proficiscitur, nec multo tempore pòst in morbum incidit. Interim Iudæi qui circum Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce, Romanos pariter atque Græcos concidunt, vescuntúrque eorum carnibus, intestinis se rediminiunt, tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice serris discidere medios, multos obiecêre bestiis, multos etiam certare inter se coegerunt, ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia. Præterea in Aegypto Cyproque, Artemione duce, Cypriorum cædes consimilis facta est, vbi desiderata sunt hominum ducenta quadraginta millia. Ex quo fit vt Iudęo in Cyprum venire non liceat: quòd si fortè vi tempestatis in insulam appulerit, interficitur.

Nihil nõ audet ambitio, quanuis periculosum & inutile. hamo enim aureo piscari gaudet.

Sed tandem malis fractus recedit Imperator, qui à Iudæis ingentibus afficitur cladibus, & suo exitu principes iubet mediocri quadam sorte viuere contentes.

citur. Sed Iudęi & ab aliis, & maximè à Lusio, quem Trajanus miserat, subacti sunt. Trajanus cogitabat iterum exercitum in Mesopotamiam traducere, sed ingrauescente morbo, iter in Italiam cepit, P. Aelio Adriano in Syria cum exercitu relicto. Itaque Romani capta Armenia, ac magna parte Mesopotamiæ, superatisque Parthis, frustra tot labores suscepisse, tótq; adisse pericula visi sunt, propterea quòd Parthi Parthamaspatem detestati, regi suis moribus cœperunt. Trajanus morbi sui causam venenum fuisse existimauit: alij sanguinem putant, qui dum ex inferioribus eius partibus quotannis profluere consueuisset, tum sisti cœpit. Quin & apoplexia correptus est, vt parte aliqua corporis sensum amiserit: sed omnino aqua intercute laborauit. Tandem perlatus Selinuntem vrbem Cilicię, quam nos Trajanopolin appellamus, mortem ilicò obiit. Regnauit annos decem & nouem, menses VI. dies XV.

Qui enim vltra quàm cõuenit, amplecti conãtur, tandem non sine pudore & sua nec non aliena deserunt.

SEXTI AVR. VICT.

Trajanus.

VLPIVS Trajanus ex vrbe Tudertina, Vlpius ab auo dictus, Trajanus a Trajo paterni generis autore, vel de nomine Trajani patris sic appellatus, imperauit annis XX. Iste talem se reipub. præbuit, qualem vix ægréque exprimere valuerunt summorum scriptorum miranda ingenia. Hic imperium apud Agrippinam nobilem Galliæ coloniam suscepit, habens diligentiam in re militari, in ciuilibus lenitatem, in subleuandis ciuitatibus largitionem. Quúmque

" duo ſint, quæ ab egregiis principibus expectentur,
" ſanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique pru-
" dentia, tantus erat in eo maximarum rerum mo-
" dus, vt quaſi temperamento quodam virtutes miſ-
cuiſſe videretur: niſi quia cibo vinóque paululum
deditus erat: liberalis in amicos, & tanquam vitæ
conditione par, ſocietatibus perfrui. Hic ob hono-
rem Suræ, cuius ſtudio imperium arripuerat, laua-
cra condidit. De quo ſuperuacaneum videtur cun-
cta velle nominatim prodere, quum ſatis ſit, excul-
tum atque emendatum dixiſſe. Fuit enim patiens la-
boris, ſtudioſus optimi cuiuſque ac bellicoſi: magiſ-
que ſimpliciora ingenia aut eruditiſſimos, quanuis
ipſe parcæ eſſet ſcientię, moderatéque eloquens, di-
ligebat. Iuſtitiæ verò, ac iuris humani diuinique
tam repertor noui quam inueterati cuſtos. Quæ o-
mnia eò maiora viſebantur, quoniam per multos
atque atroces tyrannos perdito atque proſtrato ſta-
tu Romano, in remedium tantorum malorum diui-
nitus credebatur opportunè datus, vſque eò vt ad-
ueniens imperium eius pleraque mirifica denun-
tiauerint. In quibus præcipuum, cornix è faſtigio
capitolij Atticis ſermonibus effata, Καλῶς ἔςαι.
Huius exuſti corporis cineres relati Romam, hu-
matique Trajani foro ſub eius columna, & imago
ſuperpoſita, ſicuti triumphantes ſolent, in vrbem
inuecta, ſenatu præeunte & exercitu. Eo tempore
multo pernicioſiùs quam ſub Nerua Tiberis inun-
dauit, magna clade ædium: & terræ motus grauis
per prouincias multas, atróxque peſtilentia, faméſ-
que, & incendia facta ſunt. Quibus omnibus Tra-
janus per exquiſita remedia plurimum opitulatus
eſt: ſtatuens ne domorum altitudo LX ſuperaret pe-
des, ob ruinas faciles & ſumptus, ſi quando talia
contingerent, exitioſos. Vnde meritò pater patriæ
dictus eſt. Vixit annis LXIIII.

DIO

DIONIS NICÆI

Adrianus.

BREVIARIVM.

1 *Attiani & Plotinæ fauore, suáque fretus potentia, Adrianus Imperator creatur, & confirmari petit à Senatu.*

2 *Potentissimos & præclarissimos viros interfici iubet, doctis inuidet, & Apollodorum peritum architectum primùm exilio, deinde morte mulctat. De Homero poeta abolendo init consilium.*

3 *Adriani variæ virtutes, his vitiis oppositæ, describuntur.*

4 *Reipublicæ statum, & disciplinam militarem emendat.*

5 *Belli expeditio felix: venationis studium: luctus in morte Plotinæ: Pompeii sepulchrum instaurat: Antinoum fato functum immēsis honorib. prosequitur.*

6 *Iudaicum bellū stupendis casibus refertum, & Iudæorum horrendæ clades: templa, liberalitas & leges Adriani.*

7 *Morbo afflictus Lucium Commodum designat Cæsarem. Seuerianum nobilissimum virum, eiúsque nepotem Fuscum iugulari curat. Turbo, Similis & Fronto Adriani temporibus optimi & celeberrimi viri.*

8 *Lucio Commodo morte subita sublato, Adrianus in lecto decumbens, oratione habita ad Senatorii ordinis principes Aurelium Antoninum Imperatorem nominat, & post acerbos admodum cruciatus, quibus aliena manu & damnatis modis mederi frustrà conatus est, ægrè extinguitur.*

1 ADRIANVS a Trajano adoptatus non est. erat autem municeps eius, fuerátque in eius curatione, ac cum eo vinculis propinquitatis & affinitatis proximus erat: neptem enim eius in vxorem duxerat, degebátque cum eo omne tempus ætatis, ab eóque Parthico bello Syriæ præfectus fuerat, a quo tamen nihil aliud præcipuum vnquam obtinuit. Nequé enim principio consul factus est: sed eum, defuncto Trajano fine liberis, Attianus, qui municeps eius erat, curatórque fuerat, & Plotina, ex fauore amatorio, Cæsarem pariter & Imperatorem creauerunt, quòd non procul abesset, quódque magnas copias haberet. Apronianus enim pater meus, qui Ciliciæ præfuit, quique res eius omnes certo cognouit, mihi singula recensuit, atque illud inprimis, mortem Trajani per aliquot dies in occulto fuisse, vt adoptio procederet, idque ex literis eius ad Senatum cognitum fuisse: quibus literis non ipse seu Plotina subscripsit, quod in alio factum fuerat nunquam. Erat Adrianus quo die imperator designatus est, Antiochiæ, quæ vrbs est metropolis Syriæ, cui præerat: pridie vero eius diei, quum cœlum maxime serenum esset, visum est ei in somnis ignem de cælo in sinistram partem iuguli ipsius cadere, mox serpere in dexteram, quo igne neque perterritus, neque læsus esse sibi videretur. Adrianus à Senatu petiit per literas vt sibi imperium confirmaret, negauitque velle sibi vllos vnquam honores decerni, vt erat antea consuetudo, nisi eos ipse a Senatu peteret. Trajani ossa in columna ipsius sepulta fuerunt, & spectacula quæ Parthica nominabantur, per multos annos celebrata sunt: postea verò, vt alia multa, in vsu esse desierunt.

Triplici quadã via seu ratione Adrianus imperiale fastigium cõscendit, Attiani artib. Plotinæ fauore amatorio, & armata manu.

Plotinæ fauor apertus.

Præsagia.

Modestiam simulat, vt si met nouã sedem.

2 ADRIANVS quanquam fuit princeps humanissimus, tamen propter cædes quorundam bono

Imperij autẽ initia cruentat.

bonorum ciuium, quas & initio principatus, & paulò antequam moreretur, fecit, culpa non caruit, párúmque abfuit quin ob eam caufam ne in heroum quidem numerum referretur. Ij quos ftatim vt adeptus eft principatum, interfici iuffit, fuêre Palma, Celfus, Nigrinus, & Lufius, quòd infidias ei in venatione feciffe dicerentur: itémque alij potentiffimi & præclariffimi viri ob alias caufas occifi funt: propter quos Adrianus, quum vulgò murmurari intelligeret, non modò fe purgare voluit, verumetiam negauit interpofito iureiurando eos iuffu fuo fuiffe interfectos. Paulò vero antequam difcederet è vita, Seuerianum, Fufcúmque nepotem eius necari iuffit. Adrianus, quod ad gentem pertinet, fuit Adriani Aphri filius, fed ingenio ad ftudia bonarum artium & vtriufque linguæ prompto. Itaque nonnullos libros foluta oratione, & complures verfibus fcriptos reliquit: erat enim gloriæ & honoris cupidiffimus; ob eámque caufam cæteris vel minimis rebus operam dedit. Nam & ftatuas fecit, & tabulas pinxit: tum ea quæ in pace bellóque gerantur, quæque ad regem priuatúmque pertineant, fe profitebatur fcire, multófque, propterea quòd in aliqua arte aut facultate excellerent, oppreffit, multófque fuftulit, cupiens fcilicet ipfe omnibus antecellere. Ea caufa fuit cur Fauorinum Gallum ac Dionyfium Milefium fophiftas tollere conatus fit, dum fectatores eorum perderet. Dionyfius quidem Heliodoro magiftro epiftolarum Adriani ita ferebatur dixiffe, *Cæfar tribuere tibi honores, & largiri pecuniam poteft, oratorem verò facere non poteft.* Fauorinus autem quum caufam immunitatis quam habere in patria volebat, apud Adrianum agere ftatuiffet, veritúfque effet ne in eo iudicio fuperaretur, iniuriámque acciperet, poftquam in ius venit, nihil dixit quam præceptorem fuum ea nocte fibi in fomnis aftitiffe,

Et quidē potentiff. & præclariff. virorū sanguine.

Deinde nefanda ista facinora, ut versutū hominem cōuenit, frustra pernegat.

Pietas, files, priuata bona sunt istis, qui quā iuuat sunt.

Non est maius tormentū inuidia.

Philosophicus animus adulari nescit.

monuisseque ne in patria in qua natus esset, obire publica munera grauaretur. Adrianus vtrique, quanuis grauiter iratus erat, tamen ignoscendum putauit, propterea quòd idoneam causam ad mortem eis afferendam non habebat. Apollodorum verò architectum, qui Forum & Odœum & Gymnasium opera Trajani Romæ fecerat, primùm exilio, deinde etiam morte mulctauit, propter admissa scelera, sicuti dicebat: sed tamen vera causa fuit, quòd quum Trajanus cum illo quædam de his operibus communicaret, atque interim Adrianus inepte nescio quid diceret, ei Apollodorus ita respondit, *Abi,* inquit, *& cucurbitas pinge: nam tu hæc quidem certè ignoras.* Adrianus enim tum forte tali pictura commendabatur. Itaque postquam imperium adeptus est, memor veteris iniuriæ, licentiam qua tum ille vsus fuerat, non pertulit, sed formam templi Veneris, quod Romæ fecit, ad eum misit, vt magnum opus absque opera eius fieri posse ostenderet. Tum quæsiuit ex eo num id templum bene & ratione ædificatum esse videretur. Is rescripsit, altius ampliúsque multò fieri oportuisse, quò magis & propter altitudinem ipsius in viam sacram emineret, & propter amplitudinem machinas reciperet, quæ clàm in eo compactæ, de improuiso in theatrum perducerentur. porrò simulachra maiora facta esse dicebat, quàm ratio altitudinis amplitudinisque templi pateretur. *Etenim,* inquit, *si deæ surgere, atque inde exire voluerint, non poterunt.* Quæ quum Apollodorus aperte rescripsisset, Adrianus ira incitatus, magnum animo dolorem cepit, propterea quòd inciderat in eum errorem, quem iam corrigere non poterat. Itaque hæc res tantum ei cruciatum dolorémque attulit, vt illum ob eam causam interfici iusserit. Quúmque esset Adrianus tali ingenio præditus, Homerum e medio tollere, atque Antimachum

Inuidia simulatio.

Prætextu nō carent inuidi & iniusti principes, qui rebus ludicris student. Quid enim principi, & cucurbitarum picturæ?

Meritò reprehenditur qui quam nō nouit artem, intempestiuè & inde corè eam tractare conatur.

Veritas libera odium & necem parit insontis: ater

chum, cuius ne nomen quidem antè à plerisque cognitum erat, pro eo introducere cogitabat. Quæ quum in eo reprehenderentur, tum verò vitio ei dabatur quòd nimis magnum studium in inuestigatione rerum poneret, quódque homo versutus & callidus esset.

num autem opprobrium principi gladio publicè abutenti.

3 HAEC autem vitia leuiora faciebat, & compensabat quodammodo sedulitate, prouidentia, magnificentia, solertia: tum quòd non modò bellum nullum mouit, sed etiam mota composuit, neque vllius bona per iniuriam proscripsit, quódque multa populis, priuatisque hominibus, multa etiam Senatoribus & equitibus largitus est. Nec enim expectabat quousque rogaretur, sed agebat omnia vt cuiusque necessitas postulabat. Rem militarem accuratissimè excoluit: quúmque potens esset, nec pertinax, nec cõtumeliosus erat. Socias vrbes atque subditas imperio Romano, ex quibus multò plures quàm vllus vnquam Imperator vidit, magnificè iuuit, eásque aquis, portubus, frumento, operibus publicis, pecunia, honoribus, cæterisque rebus auxit atque ornauit. Populum verò Romanum aspere magis quàm blande tractabat, cui roganti aliquid vehementius in iis ludis in quibus armis dimicabatur, non modò non concessit, sed etiam iussit imperari illud Domitiani, *Silete*: quod verbum tamen non est a præcone dictum. nam is quum manum porrexisset, esséque ob eam causam silentium consequutum, vt est consuetudo (vox enim præconis audiri solet magno silentio.) *Hoc verò*, inquit, *Princeps vult*. Qua ex re Adrianus non modò præconi iratus non est, sed etiam eum collaudauit, propterea quòd iussus seuerè imperata pronuntiare, noluisset. Etenim ea quæ sunt eius generis ferebat æquissimo animo, neque succensebat vnquam, si qua in re præter opinionem vel à plebeis hominibus iuuaretur. Nam

Adriani virtutes eximiæ, & maximo principe dignissima.

Sedulitas.

Prouidẽtia.

Magnificentia.

Solertia.

Animi moderatio.

Aequitas.

quum ei mulier forte occurrisset in via, ab eóque vt se audiret contenderet: quanquam primo sibi esse otium negauit, tamen vbi mulier ita exclamare cœpit, *Noli igitur regnare:* conuersus, libenter eam audiuit. Res vero maximas atque necessarias non gerebat, nisi interposita Senatus autoritate, dicebatque ius cum primis ciuitatis in Palatio, foro, & Pantheo: sæpe etiam in aliis locis, pro tribunali, vt quæ fierent, omnia diuulgarentur. Consulibúsque cum in iudiciis nonnunquam aderat, tum in Circensibus honorem habebat. Domum cùm rediret, lectica ferebatur, ne cui, si forte comitari vellet, molestia facesseretur. Diebus qui nec festi essent, nec publici, domi manebat: nec quenquam vel ad salutandum admittebat, nisi forte aliquid incidisset necessarium: ne omnino vllum cuipiam facesseretur negotium. Sempérque Romæ pariter ac foris optimos quosque circum se habebat, & cum iisdem etiam conuiuabatur: ac propterea etiam quartus sæpe vectabatur. Venabatur quoties accideret, prandebat sine vino, cœnabat cum omnibus primis & optimatibus: neque aberat inter cœnãdum varij sermonis delectatio. Familiares suos ægrotantes inuisere: quúmque dies festos celebrarent, ipse interesse, eorúmque prædiis ac domibus libenter vti consueuerat. Plerisque eorum mortuis, nonnullis etiam viuis statuas in foro posuit. Neque tamen hi ob eam causam iniuriam cuiquam facere visi sunt, aut ea quæ ab ipso dicerentur, fieréntve, habere venalia, quod a Cæsarianis libertis, cæterisque qui aliquid apud principes possunt, fieri solet. Quæ quum in summa de moribus Adriani dicta sint, nunc pleniùs singula quæ mihi memoria digna esse videbuntur, attingam.

Iustitia & ordinis respectus. *Prudentia.* *Candor.* *Benignitas.* *Beneficētia.*

4 IGITVR vt primùm Romam venit, quicquid vel principis fisco, vel populi ærario debebatur, remisit

misit, definitó tempore annorum sedecim, ex quo id beneficium collatum esse voluit. Præterea spectacula suo natali die populo gratis dedit, vbi ita magnus numerus bestiarum cæsus est, vt simul leones centum ac totidem leænæ confectæ fuerint. Dona in theatro & circo viris atque mulieribus separatim in sphæris dedit. nam & ne mulieres cum viris lauarentur, vetuit. Quo anno hæc facta sunt, Euphrates philosophus obiit mortem voluntariam, quum ei Adrianus propter senectutem & morbum cicutam bibere concessisset. Post hæc Adrianus in alias ex aliis prouincias regionésque & vrbes proficiscitur visendi causa. Hic in primis cuiusque arces & mœnia considerat, eorúmque partem transfert in loca magis idonea, partem diruit, ędificat, atque in summa omnia non modó quæ ad vniuersum exercitum pertinent, arma dico, machinas, fossas, muros, aggeres, sed etiam qualis sit cuiusque & militum & ducum ipsorum vita, statio, & mores, diligenter inspexit & inquisiuit: multáque, vel in vita, vel in structuris delicatiùs instituta, ad concinni cultus normam reuocauit. Tum cœpit eos ad omne genus pugnæ exercere, atque interim alios afficere honore, alios castigare verbis, postremò omnes ea quæ se facere oporteret, docere: àtque vt milites haberent vnde exemplum peterent, ipse duriter viuere, pedibus iter facere, aut in quæuis loca admisso equo proficisci. nunquam enim vehicula aut quadrigas conscendere: nulloque calore, nullo frigore vt capite operto esset, adduci: nec enim vnquam aut propter niues Celticas, aut calores Aegyptios opertum caput habuit. Itaque, vt vno verbo dicam, ita milites, quandiu principatum tenuit, rebus ipsis exercuit instituitque præceptis, vt quæ tum ab illo constituta sunt, ad hæc tempora vim legis atque disciplinæ militaris obtineant. Ideóque, maximè autem

Liberalitas.

Priuilegium mortis Stoico cōcessum.

Prouinciarũ lustratio.

Circumspectio Imperatori conuenientissima.

Militaris disciplinæ instauratio.

Laborum tolerantia in Adriano.

Principis ad exemplū facilè componuntur subditi & externi populi.

pacis tempore, plerunque inter exteros degebat. Illi enim quòd eius apparatum viderent, quódque non modo nulla afficerentur iniuria, sed etiam ab eo pecuniam acciperent, nihil moliebantur.

Felix expeditio bellica

5 QVVMQVE ita milites exercuisset, equitatus, qui Batauus nominatus est, Danubium transiit armatus. Qua re animaduersa, barbari ita Romanos obstupescere cœperunt, vt in se inuicem conuersi, ad componendas controuersias quæ inter ipsos erant, Adriano arbitro vterentur. In hac peregrinatione ædificauit theatra in plerisque ciuitatibus, instituitque certamina sine imperatorio tamen apparatu aut magnificentia, quam nisi Romæ nunquam adhibuit. Patriam verò, quanquam ei magnos honores tribuit ornauitque maximis muneribus, nunquam tamen inuisit. Adrianum studiosum venationis fuisse tradunt: in ea enim & clauiculã fregit, & crure propemodum mutilatus est. Quamobrem vrbem quam ædificauit in Mysia, *Adriani venationes* appellauit. Nunquam tamen huius rei causa ea quæ ad principatum spectabant, prætermisit. Magno autem argumento est eum studio venandi delectatum fuisse, quòd Borysthenì equo quo libenter in venationibus vtebatur, mortuo monumentum ædificauit, erexitque columnam inscripto epigrammate. Ex quo mirandum non est, si Plotinę vita functæ, cuius opera, quòd ab ea maxime amaretur, imperium adeptus erat, amplissimos honores tribuit. Atratus enim per nouem dies fuit, eique templum exstruxit, & carmina de laudibus eius fecit. Fuitque adeo agilis in venationibus, vt aprum maximum vno ictu confecerit. Postquam venit in Gręciam spectauit mysteria, quúmque per Iudæam in Aegyptum venisset, parentauit Pompeio, de quo hunc versum fertur dixisse,

Magnus animus gratam de se famam vbique spargere gaudet.

Venationis ardens studium in Adriano.

Plotina luctus.

Pompeij venerãtio.

Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο θύμβοις.

Pen-

Penè caret tumulo, cui tot modò templa fuerunt.

ſepulchrúmque eius penè collapſum reſtituit. In Aegypto quoque ciuitatem inſtaurauit Antinoi nomine. Erat Antinous Bithynido ortus ciuitate Bithyniæ, quam ciuitatem etiam Claudiopolin appellamus. Hic Antinous quum in deliciis eius fuiſſet, in Aegypto mortuus eſt, ſiue quod in Nilum ceciderit, vt Adrianus ſcribit, ſiue quod immolatus, id quod verum eſt, fuerit. Nam quum Adrianus maximè curioſus eſſet, vt ſupra dixi, tum verò diuinationibus vtebatur, & magicis artibus cuiuſuis generis. Itaque Antinoum qui vel ob amorem ipſius, vel ob aliam cauſam, voluntariam mortem obierat (nam Adriano ad ea quæ parabat, opus erat anima voluntaria) tanto honore affecit, vt vrbem in eo loco, in quo ille obiiſſet, reſtitutã, ex eo nominari voluerit, ſtatuáſque ei vel potiùs ſimulachra in omni ferè orbe terrarum collocauerit. Ac demum cùm ipſe dicebat ſtellam ſe quandam velut Antinoi videre, tum familiares ſibi ea de re fabulantes familiariter audiebat: quaſi videlicet ex Antinoi anima vere ſtella iſta exorta eſſet, ac tum primùm apparere cœpiſſet. Sed Adrianus ob hanc cauſam irridebatur.

Antinoi ſtatuæ & immenſi honores.

Adriani erga Antinoũ immoderatus affectus, exſibilatus.

6 QVVM autem in vrbem Hieroſolymam quæ euerſa fuerat, quámque *Aeliam Capitolinam* appellauit, coloniam deduxiſſet, ac quo in loco templum Dei fuerat, alterum Ioui ædificari curauiſſet, magnum bellum & diuturnum moueri cœpit, Iudæis grauiter ferentibus quòd exteræ nationes in ſuam vrbem habitatum veniſſent, quódque in ea fieri externa ſacra viderentur. Tamen quum Adrianus in Aegyptum ac rurſum in Syriam aduentaſſet, quieſcendum ſibi eſſe putabant. Interim verò arma quæ ipſis erant à Romanis imperata, minùs apta de induſtria fecerunt, vt ei ea Romani reprobaſſent, ipſi eis vterentur. Pòſt vbi Adrianus longe abeſſe viſus

Bellũ aduerſus Iudaos, idolum Adriani & Ethnicorum ſacra ferre nolentes.

Inde aperta defectio, qua quanta vis sit religionis ostendit.

est, palàm defecerunt: vtque aperto prælio non audebant cum Romanis periclitari, ita loca suę regionis opportuna, pabulo muniebant & mœnibus vt ad ea, si vrgeret necessitas, perfugerent: vtque ad se mutuo, sub terram transeuntes laterent, vias subterraneas desuper perforauerunt, quo ventum lumenque reciperent. Hos Romani primo nihili faciebant: sed postquam totam Iudęam commotam esse, Iudæósque omnes vbique gentium tumultuari, & conuentus facere intellexerunt, ac multa damna occulte apertéq; Romanis inferre, cum usque complures alias gentes lucri cupiditate coniungi, ac fere ob eam causam omnem orbem terrarum commoueri: Adrianus optimos quosque duces aduersum eos mittit, quorum primus fuit Iulius Seuerus qui ex Britannia, cui præerat, contra Iudæos missus est. Hic nulla ex parte est ausus aperte cum hostibus congredi, multitudine ipsorum atque desperatione cognita, sed eos separatim magno militum ac tribunorum numero adortus, cômeatu prohibuit, atque interclusos serius quidem, sed minore cum periculo ita oppressit fregitque, vt pauci admodum euaserint, & quinquaginta eorum arces munitissimæ, vicique celeberrimi atque nobilissimi nongenti octoginta quinque funditus euersi sint. Cæsa sunt in excursionibus præliisque hominum quingenta octoginta millia: eorum autem qui fame, morbo, & igni interierunt, innumera fuit multitudo, ita vt omnis pene Iudæa deserta relicta fuerit. Id eis antequam bellum gereretur, fuerat denuntiatum ex eo quod monumentum Solomonis (quem illi summa reuerentia colunt) sua sponte diuisum corruerat, quódque lupi & hyenæ multæ in vrbes eorum rugientes atque vlulantes introierant. Periere quoque ex Romanis complures in eo bello. Quamobrem Adrianus, quum scriberet ad Senatum, non est

Bellorum initia exigua, finis autem horrendus.

Ducis præstantissimi sollertia.

Horrenda Iudaeorum strages.

Dion obscurè notat quod sacra historia luculenter aperit.

vsus

vſus illo exordio quo vti Imperatores conſueuerunt: *Si vos liberique veſtri valetis, bene eſt: ego quidem & exercitus valemus.* Poſt hæc Seuerum miſit in Bithyniam, vt ne prouincia prætore præfectóve iuſto ac prudente dignitatéque prædito careret: nam hæc in illo erant omnia. Is quidem ita ſe geſſit, réſque eorum priuatas atque publicas ita adminiſtrauit, vt nos ad hæc tempora memoriam eius crebris ſermonibus vſurpemus. Confecto ad hunc modum bello Iudaico, bellum Alanorum (hi ſunt Maſſagetæ) Pharaſmanes mouit, Mediámque vexata Armenia atque Cappadocia vaſtauit: poſt Alani, partim adducti Vologeſi muneribus, partim timore Flauij Arriani qui Cappadociæ præerat, conquieuerunt. Eodém tempore Adrianus templum Iouis Olympij, in quo ipſius quoque ſtatua poſita fuit, Athenis ædificauit, iuſſitque in eo draconem allatum ex India collocari, ac Dionyſia, defunctus maximo apud eos magiſtratu, patriáque veſte indutus, magnificè celebrauit. Templum ſuum (quod Πανέλλωον vocant) Græcis vt ædificarent permiſit, propter quod inſtituit certamina, magnámque pecuniam & frumentum annuum, omnémque Cephaleniam Athenienſibus dedit. Multas leges ſanxit, ſed præſertim vt ne ſenator per ſe néve per alium vectigalia conduceret. Poſtquam Romam venit, ac forte in ſpectaculo populus ab eo magnis clamoribus contendit vt cuidam aurigæ libertatem daret, negauit ſe facturum, ſcripſitque in tabella *non decere populum Romanum ab ſe petere vt aut ipſe alienum ſeruum donaret libertate, aut vt dominum ad id faciendum compelleret.*

Flent victi, victoribus autem nō ſit victoria læta.

Bellum Alanicū, citò ſopitum.

Adriani tēpla.

Liberalitas erga Athenienſes.

Leges.

Seueritas.

7 VT autem ægrotare cœpit, quòd ſanguis qui per nares eius effundi antea conſueuerat, tum copioſe effluxit, vitam deſperauit: ob eamque cauſam Lucium Commodum, quanuis ipſe quoque ſanguinem euomeret, Cæſarem Romanis deſignauit. Se-

Sanguinem fundit qui ſanguinē fuderat.

uerianum verò eiúsque nepotem Fuscum, qui id factum grauiter ferebant, interfici iussit, illum nonaginta, hunc decem & octo annos natum. Seuerianus antequam iugularetur, ignem popoſcit: deinde incenſo thure, *Vos*, inquit, *dii immortales, quos habeo innocentiæ meæ teſtes, hoc vnum rogo, vt Adrianus quum mortem obire cupiet, non poſſit.* Et ſanè Adrianus quum ſæpe mori optaret, ac ſibi manus afferre vellet, diutiſſimè ęgrotauit: extátq; eius epiſtola in qua oſtenditur quam miſerum ſit cupientem mori non poſſe. Hunc Seuerianum Trajanus principatu dignum exiſtimauerat. Nam quum in conuiuio petiiſſet ab amicis vt decem viros dignos principatu nominarent, paulùm ſubſtitit: deinde, *Nouem*, inquit, *ex vobis audire cupio: ego enim vnum, nempe Seuerianum habeo.* Fuêre illis temporibus optimi viri, quorum celeberrimi erant Turbo & Similis, qui & ſtatuis honorati ſunt. Turbo, rei militaris peritiſſimus, præfectus prætorio fuit, nihilque vnquam molliter facere aut inſolenter eſt viſus. viuebat enim tanquam vnus è multis, quanuis totum diem moraretur cum principe, eúmque ſępe adiret ante mediam noctem, quando cæteri dormire inciperent. Fuit & Cornelius Fronto magnæ autoritatis, qui in agendis cauſis Romæ primum locum obtinebat. Hic quum veſperi a cœna ſerò domum rediiſſet, intellexiſſétque ex eo cui patrocinium pollicitus erat, principem ius reddere, veſte cœnatoria indutus, vt erat, in ius venit, eúmque ſalutauit non verbo *Salue*, quæ matutina eſt ſalutatio, ſed *Vale*, quæ veſpertina eſt, vſus. Turbo autem interdiu ne ægrotus quidem domi viſus eſt. Nam & Adriano conſulenti ſibi vt quieſceret, reſpondit, *præfectum ſtantem mori oportere.* Similis verò, quum eos ætate & honore anteiret nemini (vt ego quidem arbitror) moribus & virtute ſecundus erat; idque licet ex re perexigua cognoſcere

Et tamen in ſæuitia pergit, cuius vindictam præſagit ſeuerè inſons Seuerianus.

Seueriani elogium.

Vt noctu ſtellæ, ſic duris temporibus illuſtres quidam viri apparent.

Turbonis virtus & vox egregia

ſcere. Nam quum centurio eſſet, cúmque Trajanus antequam præfectos aduocauiſſet, *Turpe eſt*, inquit, *tibi Cæſar cum centurione remotis præfectis differere*. Is deinde præfecturam prætorianorum inuitus obiit, qua poſtea ſe ipſe abdicauit, ac vix tandem dimiſſus, ruri reliquos ſeptem vitæ annos conquieuit, ſuóque ſepulchro moriens inſcribi iuſſit hæc verba: *Hic iacet Similis, cuius ætas multorum annorum fuit, ipſe ſeptem duntaxat annos vixit.*

Pauci auliċi reperientur huic Simili ſimiles.

8 ADRIANVS autem ingenti effuſione ſanguinis contabuit, atque ob eam cauſam aqua intercute laborauit. Itaque poſtquam accidit Lucium Commodum magna quoque effuſione ſanguinis ſubitò extingui, domum conuocauit principes ſenatorij ordinis, iiſque decumbens in lecto ait, *Mihi quidem chariſſimi viri, natura filium non dedit, vos verò lege dediſtis. Multum autem intereſt, naſcatur an adoptetur filius, propterea quòd is qui naſcitur talis eſt qualem eum dii immortales eſſe voluerunt: eum verò qui adoptatur, vnuſquiſque ſibi deligit. ex quo fit vt ille ſæpe naſcatur mutilus & demens. hic (quod certo indicio fit) integer & ſanæ mentis deligatur. Quamobrem ego antea Lucium Commodum vnum ex omnibus delegeram, qualem ne naſci quidem mihi optare potui. Sed quum eum mortis fata peremerint, alterum pro illo vobis inueni: eúmque vobis do, nobilem, mitem, manſuetum, prudentem, qui nihil temerè propter iuuentutem, nihil propter ſenectutem negligenter poteſt facere: vixit enim ſemper legibus, fuitque cum imperio moribus & inſtitutis patriæ, vt neque ea quæ ad Imperatorem ſpectant, ignoret, neque iis omnibus malè vti poſſit. Hunc dico Aurelium Antoninum, quem etſi intelligo difficillimè moleſtis negotiis implicari, abeſſéque longiſſimè ab hac imperandi cupiditate, tamen non diffido eundem curam habiturum mei veſtrique, & principatum inuitum recepturum.* Ita Antoninus Imperator factus eſt, qui quum mares liberos non ſuſcepiſſet, Commodum Commodi filium,

Lucius Commodus ſubito morbo oppreſſus cogit Adrianũ de ſucceſſore cogitare.

Eximij principis & imperio digni virtutes.

Antoninus quos ſibi [illegible] adoptat.

ac deinde Marcum Antoninum Verum sibi adoptauit, quòd vellet longo tempore ante futuros principes designare, Marcus quidem Antoninus Catilius antea appellabatur, filius Annij Veri, qui tertiùm consul ac tribunus militum fuerat: sed Antoninus iussus erat ab Adriano vtrunque adoptare. Veruntamen maiore honore affecit, cùm propter ius sanguinis, tum quòd eum iam florentem ætate & ingenio cognosceret: quem etiam ob eam causam facetè *Verissimum* nominabat. Interim Adrianus aquam intercutem curauit magicis artibus, qua tamē iterum nec ita multò pòst laborauit. quæ quum magis ac magis augeretur, atque ipse quotidie mortem quodammodo obiret, vehementer cupiebat è vita discedere, postulabátque sæpenumero venenum aut gladium, quæ tamen à nemine impetrabat. Itaque postquam ei, licet pecuniam & securitatem pollicenti, nemo paret, accersi iubet Mastorem, hominem barbarum, Iazygem natione, quo seruo in venationibus propter eius vires & audaciam vsus fuerat, eúmque partim minis, partim pollicitationibus cogit promittere vt se interficiat: deinde ei locum sub mamma ab Hermogene medico cōmonstratum designat, oblinitque, vt secundū eum locum accepto mortifero vulnere, minore suo dolore moreretur. Quod quum ei minùs successisset (nam Mastor timore rei perterritus aufugit) tum verò flere & lamentari cœpit, non tam morbi causa, quàm quòd non posset mortem sibi consciscere, quam adhuc aliis afferre posset: tandem contempta diæta, vsúsque cibo & potu minùs idoneo, mortuus est, moriénsque exclamauit illud peruulgatum, Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν, *Multi medici regem sustulerunt.* Vixit annos LXII. menses V. dies XIX. regnauit annos viginti, menses vndecim. Sepultus est

Ingrauescenti morbo occurrere vir Ethnicus pessimis artib. studet.

Et mori cupiens non potest.

Aegrè tandem extinguitur.

iux

iuxta flumen, ad pontem Aelium vbi monumentum fecerat: propterea quod Augusti Mausoleum plenum erat in quo nemo amplius sepultus est. Adrianus in odium venit propter nefarias & indignas cædes, quas initio & sub finem principatus fecit: alioqui ad cædes procliuis non erat. Magno argumento est quod quum eum aliquando nonnulli offendissent, satis esse dixit si de iis in patriam ipsorum scriberetur, illos sibi nequaquam placere: tum quoties rei facti erant ij qui liberos habebant, pœnam eorum minuebat pro numero liberorum.

Nec multum desideratur, ob sæuitiam.

ÆLII SPARTIANI
Adrianus.

BREVIARIVM.

1 *Adriani origo, educatio, studia, receptio in Traiani gratiam, & de futura sua conditione disquisitio.*

2 *Eiusdem Quæstura, Tribunatus, præfectura primæ legionis, Prætura, Legatio prætoria, Consulatus, adoptio.*

3 *Imperium adeptus paci & clementiæ studet, Traiani reliquias & nomẽ maximis afficit honoribus, modestéque se gerit.*

4 *Bellico Sarmatarum & Alanorum tumultu sedato, Nigrinique insidiis vitatis, famam de nece clarissimorum virorum comprimere, ac Senatus populique Romani fauorem multiplici liberalitate sibi acquirere conatur.*

5 *Senatum colit, Traiani gloriæ inuidet, Tatianum tutorem suum, aliósque quibus imperium debebat remouet à publicis functionibus. Erga Campaniæ incolas, nobiles item & ple-*

beios Romanos beneficus apparet & liberalis.

6 Res Galliæ & Germaniæ componit. Disciplinam militarem instaurat, Britanniam corrigit, aulicos ministros nonnullos prudenter expellit, domus suæ & amicorum statum callidè explorans.

7 Plotinæ apud Nemausum basilicam ædificat, Hispaniam petit vbi summo defungitur periculo. Imperii prouincias multas lustrat & ordinat, variis tumultibus repressis. Pompeii tumulum exstruit, Antinoúmque mortuũ deflet & consecrari patitur.

8. 9 Eius virtutes & vitia plenius describuntur.

10 Mos eiusdem in iudicando, leges, statuta, publicæ functiones in variis Imperii ciuitatibus, voluptates immensæ, & publica opera.

11 Colloquia cum plebeis & doctis viris: ciuitates multas suo nomine appellat. Eius lepide dicta, ingens memoria, mirum ingenium.

12 Incommoda publica subleuat, nationes quamplurimas, exteros reges, Senatores, populumRomanum sapienter in officio continet.

13 Ob immensos labores, peragratis omnibus orbis partibus, in lethalem morbum incidit, AeliumVerum appellat Cæsarem, eóque defuncto Antoninum Pium adoptat.

14 Adrianus sibi necem inferre conatus, & à suis conseruatus, tandem animi & corporis doloribus cõfectus, nec desideratus ob crudelitatem fato fungitur. Eiusdem statura, exercitia & præsagia mortis. Diuus, Antonini Pii rogatu appellatur ac colitur.

1 *Adriani stẽmata.*

ORIGO Imperatoris Adriani vetustior, à Picentibus, posterior ab Hispaniensibus manat: siquidem Adria ortos maiores suos, apud Italicam, Scipionum temporibus, resedisse, in libris vitæ suæ Adrianus ipse commemorat. Adriano pater Aelius Adrianus cognomento Afer fuit,

com

consobrinus Trajani imperatoris: mater Domitia Paulina Gadibus orta, soror Paulina nupta Seruiano, vxor Sabina: auus Marillinus, qui primus in sua familia senator populi Romani fuit. Natus est Romæ IX Cal. Feb. Vespasiano septies & Tito quinquies coss. Ac decimo ætatis anno patre orbatus, Vlpium Trajanum prætorium tunc, consobrinum suum, qui postea imperium tenuit, & Cælium Tatianum equitem Romanum, tutores habuit. Imbutúsque impensiùs Græcis studiis, ingenio eius sic ad ea declinante vt à nonnullis Græculus diceretur: quintodecimo anno ad patriam rediit, ac statim militiam iniit, venandi vsque ad reprehensionem studiosus. Quare à Trajano abductus à patria & pro filio habitus, nec multò pòst decemuir litibus iudicandis datus, atque inde tribunus secundæ adiutricis legionis creatus, post hoc in inferiorem Mœsiam translatus, extremis iam Domitiani temporibus: ibi à mathematico quodam de futuro imperio id dicitur comperisse quod à patruo magno Aelio Adriano peritiam cælestium callente, prædictum esse compererat. Trajano à Nerua adoptato, ad gratulationem exercitus missus, in Germaniam superiorem translatus est: ex qua festinans ad Trajanum, vt primus nuntiaret excessum Neruæ, à Seruiano sororis viro (qui & sumptibus & ære alieno eius prodito, Trajani odium in eum mouit) diu detentus, fractóque consultè vehiculo tardatus, pedibus iter faciens eiusdem Seruiani beneficio ad Trajanum antè venit: fuitque in amore Trajani, nec tamen ei per pædagogos puerorum quos Trajanus impensiùs diligebat, Gallo fauente defuit. Quo quidem tempore quum solicitus de Imperatoris erga se iudicio, Virgilianas sortes consuleret,

Natiuitas.

Tutores.

Studia.

Tyrocinia & munera bellica.

De futura cõditione notitia.

Excessus Neruæ ad Traianum nuncius.

De Traiani erga se propensione magica disquisitio.

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines incanáque menta

Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundauit, Curibus paruis & paupere terra,
Missus in imperium magnum, cui deinde subibit,

sors excidit, quam alij ex Sibyllinis versibus ei prouenisse dixerunt. Habuit autem præsumptionem imperij mox futuri ex fano quoque Nicephorij Iouis manante responso, quod Apollonius Syrus Platonicus libris suis indidit. Denique statim suffragante Sura, ad amicitiam Trajani pleniorem rediit, nepte per sororem Trajani vxore accepta, fauente Plotina, Trajano leuiter (vt Marius Maximus dicit) volente.

Et de imperij dignitate præsumptio.

2 QVAESTVRAM gessit Trajano quater & Arunculeio coss. in qua quum orationem Imperatoris in Senatu agrestiùs pronuntians risus esset, vsque ad summam peritiam & facundiam Latinis operam dedit. Post quæsturam, acta Senatus curauit: atque ad bellum Dacicum Trajanum familiariùs prosequutus est. quando quidem indulsisse vino se dicit, Trajani moribus obsequentem: atque ob hoc se a Trajano locupletissime muneratum. Tribunus plebis factus est Candido & Quadrato iterũ coss. in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quòd penulas amiserit quibus vti tribuni plebis pluuiæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam. Vnde hodiéque Imperatores sine penulis à togatis videntur. Secunda expeditione Dacica, Trajanus eum primæ legioni Mineruæ præposuit secúmque duxit: quandoquidem multa egregia eius facta claruerũt. Quare adamante gemma quam Trajanus à Nerua acceperat, donatus, ad spem successiónis erectus est. Pretor factus est sub Sura bis; Seruiano iterum coss. quum sestertiũm vicies ad ludos edendos à Trajano accepit. Legatus postea prætorius in Pãnoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam milit

Functiones publicæ eiusdem, nempe Quæstura.
Actuum Senatus curatio.
Plebis Tribunatus.
Primæ legionis præfectura.
Eximio dono decorata.
Pretura.
Legatio Prætoria.

militarem tenuit, procuratores latiùs euagantes coercuit: ob hoc cos. est factus. In quo magistratu, vt a Sura comperit adoptandum se a Trajano esse, ab amicis Trajani contemni desiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Trajani ei familiaritas creuit, causa precipuè orationum quas pro Imperatore dictauerat. Vsus Plotinæ quoque fauore, cuius studio etiam legatus, expeditionis Parthicæ tempore, destinatus est. Qua quidem tempestate vtebatur Adrianus amicitia Sosij Pappi & Pletorij Nepotis, ex senatorio ordine: ex equestri autem Tatiani tutoris quondam sui, & Liuianj Turbonis. In adoptionis sponsionem venit Palma & Celso inimicis semper suis: & quos postea ipse insequutus est in suspicionem affectatę tyrannidis lapsos. Secundò cos. fauore Plotinæ factus, totam præsumptionem adoptionis emeruit. Corrupisse eum Trajani libertos, curasse delicatos, eosdémque sepelisse per ea tempora quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmauit. Quinto Iduum Augusti die, legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando & natalem adoptionis celebrari iussit. Tertio Iduum earundem, quando & natalem imperij statuit celebrandum, excessus ei Trajani nuntiatus est. Frequens sanè opinio fuit, Trajano id animi fuisse vt Neratium Priscum non Adrianum successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus, vsque eò vt Prisco aliquando dixerit, *Commendo tibi prouincias siquid mihi fatale contigerit*. Et multi quidem dicunt, Trajanum in animo id habuisse vt exemplo Alexandri Macedonis, sine certo successore moreretur: multi ad Senatum eum orationem voluisse mittere, petiturum vt si quid ei euenisset, principem Romanæ reipublicæ Senatus daret, additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem Senatus eligeret. Nec desunt qui factione Plotinæ mortuo iam Trajano,

Consulatus.

Familiaritas cum Trajano ei creuit.

Adoptio.

Honores mutant Adriani mores.

Felicitas Adriani.

Fauore Plotinæ ad imperij fastigiũ euecti.

Adrianum in adoptionem adſcitum eſſe prodiderint, ſuppoſito qui pro Trajano feſſa voce loqueretur.

Varij ingenij princeps, pacem cupit, vt genio ſecurius indulgere queat.

5\. 3 ADEPTVS imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit, & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit. Nam deficientibus his nationibus quas Trajanus ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant, Aegyptus ſeditionibus vrgebatur, Lycia denique ac Palæſtina rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo (vt dicebat) Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiauit, quia teneri non poterant. Pſamatoſſirim, quem Trajanus Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus regem dedit. Tantum autem ſtatim clementiæ ſtudium habuit, vt quum ſub primis imperij diebus ab Tatiano per epiſtolas eſſet admonitus, vt & Bæbius Macer præfectus vrbis, ſi reniteretur eius imperio, necaretur, & Laberius Maximus, qui ſuſpectus imperio in inſula exulabat, & Frugi Craſſus: neminem tamen læderet: quamuis Craſſum poſtea procurator egreſſum inſula, quaſi res nouas moliretur, iniuſſu eius occiderit. Militibus ob auſpicia imperij duplicem largitionem dedit. Luſium Quietum, ſublatis gentibus Mauris, quos regebat, quia ſuſpectus imperio fuerat, exarmauit, Martio Turbone Iudæis compreſſis, ad deprimendum tumultum Mauritaniæ deſtinato. Poſt hoc Antiochia digreſſus eſt ad inſpiciendas reliquias Trajani, quas Tatianus Plotina & Mattidia deferebant. Quibus exceptis & naui Romana dimiſſis, ipſe Antiochiam regreſſus, præpoſitóque Syriæ Catilio Seuero, per Illyricum Romam venit.

Orientis prouincias deſerit.

Et clemens apparet, vt ſibi cōſulat, Domitiani & aliorum malis edoctus.

Milites itē & militares viros largitionibus & honoribus alliciit.

6\. Trajano diuinos honores, datis ad Senatum & quidē accuratiſſimis literis poſtulauit, &

Et multipli ei honore

& cunctis volentibus meruit ita, vt Senatus multa quæ Adrianus non postulauerat, in honorem Traiani sponte decerneret. Quum ad Senatum scriberet, veniam petiit quod de imperio suo iudicium Senatui non dedisset, salutatus scilicet præpropere à militibus Imperator, quod esse respub. sine Imperatore non posset. Quum triumphum ei Senatus, qui Trajano debitus erat, detulisset, recusauit ipse, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, vt optimus Imperator né post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Patris patriæ nomen delatum sibi statim, & iterum postea, distulit: quod hoc nomen Augustus serò meruisset. Aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit, & quidem difficultatibus ærarij ambitiose ac diligenter expositis.

Traiani nomē afficiens prudenter suam stabilis dignitatem.

Nomen ambitiosum respuit, vt fecerum fortius retineat.

4 AUDITO dein tumultu Sarmatarum & Alanorum, præmissis exercitibus Mœsiam petiit. Martium Turbonem post Mauritaniæ præfecturam infulis ornatum, Pannoniæ Daciæque ad tempus præfecit. Cum rege mox Alanorum, qui de imminutis stipendiis querebatur, cognito negotio pacem composuit. Nigrini insidias, quas ille sacrificanti Adriano, côscio sibi Lusio & multis aliis parauerat, quum etiam successorem Adrianus sibimet destinasset, euasit. Quare Palma Terracinæ, Celsus Baiis, Nigrinus Fauentiæ, Lusius in itinere, Senatu iubente, inuito Adriano (vt ipse in vita sua dicit) occisi sunt. Vnde statim Adrianus ad refellendam tristissimam de se opinionem, quòd occidi passus esset vno tempore quatuor consulares, Romam venit, Dacia Turboni credita, titulo Aegyptiacæ præfecturæ (quo plus autoritatis haberet) ornato: & ad comprimendam de se famam, congiarium duplex præsens populo dedit, ternis iam per singulos aureis se absente diuisis. In senatu quoque excusatis quæ facta erant,

Principis prudentis partes, bella externa maturè compescere.

Insidias declinare.

Malam famā vitare, sparsam compescere.

Populum beneficentia placare.

iurauit, *se nunquam Senatorem nisi ex Senatus sententiâ puniturum.* Statim Cursum fiscalem instituit, ne magistratus hoc onere grauaretur. Ad colligendam autem gratiam nihil prætermittens, infinitam pecuniam quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in vrbe atque Italia, in prouinciis verò etiam ex reliquiis ingentes summas remisit, syngraphis in foro diui Trajani, quò magis securitas omnibus roboraretur, incensis. Damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta. Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit. Senatoribus qui non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo senatoriæ professionis expleuit, ita vt plerisque in diem vitæ suæ dimensum sine dilatione restituerit. Ad honores explendos non solùm amicis, sed etiam passim aliquantis multa largitus est. Fœminas nonnullas ad sustentandam vitam sumptibus iuuit. Gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras natali suo edidit. Optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ maiestatis adsciuit. Ludos Circenses præter natalitios, decretos sibi spreuit: & in concione & in Senatu sæpe dixit, *Ita se rempub. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.* Tertio consules, quum ipse ter fuisset, plurimos fecit. Infinitos autem secundi consulatus honore cumulauit. Ipsum autem tertium consulatum, & quatuor mensibus tantùm egit, & in eo sæpe ius dixit.

Primarios viros in consilium adhibere.

Onera laxare.

Clementiâ omnes ad se allicere.

Item liberalitate.

Et honorum communicatione.

Necnon magnificentia tempestiua, & spectaculis pro temporum ratione exhibitis.

5 SENATVI legitimo quum in vrbe vel iuxta vrbem esset, semper interfuit. Senatûs fastigium in tantùm extulit, difficilè faciens senatores, vt quum Tatianum ex præfecto prætorij, ornamentis consularibus præditum, faceret Senatorem, nihil se ampliùs habere quod in eum conferri posset

Illud autem in primis curandum est, vt eorũ qui pacis & æquitatis conseruatores sunt

ſet, oſtenderit. Equites Romanos, nec ſine ſe de Senatoribus, nec ſecum iudicare permiſit. Erat enim tunc mos, vt quum princeps cauſas cognoſceret, & Senatores & equites Romanos in conſilium vocaret, ſententiam ex omnium deliberatione proferret. Execratus eſt denique principes qui minus Senatoribus detuliſſent. Seruiano ſororis viro, cui tantum detulit vt ei venienti de cubiculo ſemper occurrerit, tertium conſulatum, nec ſecum tamen, quum ille bis ante Adrianum fuiſſet, ne eſſet ſecundæ ſententiæ, non petenti ac ſine precatione conceſſit. Inter hæc tamen & multas prouincias a Trajano acquiſitas reliquit: & theatrum quod ille in campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxit. Et hæc quidem eo triſtiora videbantur, quòd omnia quę diſplicere vidiſſet Adrianus, mandata ſibi vt faceret decreto Trajani eſſe ſimulabat.

Cōſtituti peculiarē quādam rationem habeat: nec iis incōſultis aut neglectis ſeruū quidquam adgrediatur.

Nec iis quibus ſucceßit inuidere videatur.

Quum Tatiani, præfecti ſui & quondam tutoris, potentiam ferre non poſſet, niſus eſt eum obtruncare: ſed reuocatus eſt quia iam quatuor cōſularium occiſorum, quorum quidem necem in Tatiani conſilia refundebat, premebatur inuidia. Cui quum ſucceſſorem dare non poſſet, quia non petebat, id egit vt peteret: atque vbi primùm petiit, in Turbonem tranſtulit poteſtatem: quum quidem etiam Simili alteri præfecto, Septicium Clarum ſucceſſorem dedit. Summotis his à præfectura quibus debebat imperium, Campaniam petit: eiúſque omnia oppida beneficiis & largitionibus ſubleuauit, optimum quenque amicitiis ſuis iungens. Romæ verò prætorum & conſulum officia frequentauit, conuiuiis amicorum interfuit. Aegros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos, viſitauit, ſolatiis refouit, conſiliis ſubleuauit, conuiuiis ſuis ſemper adhibuit. omnia deniq; ad priuati hominis modum fecit. Socrui ſuę honores pręcipuos im-

Nec ſit erga benefactorē ingratus.

Nec callidè cum primariis miniſtris agat.

Sed bonam mentem ſapientiæ & lenitatis officiis illuſtret

pendit ludis gladiatoriis cæterisque officiis.

Prouincias vexatas Princeps subleuare teneatur.

6 Post hæc profectus in Gallias, omnes causis liberalitatibus subleuauit. Inde in Germaniam transiit: pacisque magis quam belli cupidus, militem, quasi bellum immineret, exercuit; tolerantiæ documentis eum imbuens, ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter vtens, hoc est, lardo, caseo & posca, exemplo Scipionis Aemiliani & Metelli, & autoris sui Trajani: multos præmiis, nonnullos honoribus donans, vt ferre possent ea quæ asperiùs iubebat: siquidem ipse post Cæsarem Octauium, labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit, ordinatis & officiis & impendiis: nunquam passus aliquem a castris iniuste abesse, quum tribunos non fauor militum, sed iustitia commendaret: exemplo etiam virtutis suæ cæteros adhortatus, quum etiam vicena milia pedibus armatus ambularet, triclinia de castris & porticus & cryptas & topia dirueret: vestem humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemmis fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet: ægros milites in hospitiis suis videret, locum castris caperet: nulli vitem, nisi robusto & bonæ famæ daret, nec tribunum nisi plena barba faceret, aut eius ætatis quæ prudentia & annis tribunatus robur impleret, nec pateretur quicquam tribunum à milite accipere: delicata omnia vndique summoueret, arma postremo eorum supellectilémque corrigeret. De militum etiam ætatibus iudicabat, nequis aut minor quam virtus posceret, aut maior quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem versaretur: agebátque vt sibi semper noti essent & eorum numerus sciretur.] Laborabat præterea vt condicta militaria diligenter agnosceret: reditus quoque prouinciales soler

Aliis exemplo praeess. *Præmiis & pœnis exercitus in officio continere.*

Tolerantem laborẽ, temperantem, sobrium & prudentẽ apparere.

Militarẽ cõseruare disciplinam.

De militium stipendio sollicitum esse.

ſolerter explorans, vt ſi alicubi quippiam deeſſet, expleret. Ante omnes tamen enitebatur ne quid otioſum vel emeret aliquando vel paſceret. Ergo conuerſis regio more militibus, Britanniam petiit: in qua multa correxit: murúmque per octoginta milia paſſuum primus duxit, qui barbaros Romanóſque diuideret. Septicio Claro præfecto prætorij, & Suetonio Tranquillo epiſtolarum magiſtro, multiſque aliis qui apud Sabinam vxorem, iniuſſu eius, familiariùs ſe tunc egerant quam reuerentia domus aulicæ poſtulabat, ſucceſſores dedit: vxorem etiam vt moroſam & aſperam dimiſſurus (vt ipſe dicebat) ſi priuatus fuiſſet. Et erat curioſus non ſolùm domus ſuæ, ſed etiam amicorum, ita vt per frumentarios occulta omnia exploraret: nec aduerterent amici, ſciri ab Imperatore ſuam vitam, priuſquam ipſe hoc Imperator oſtenderet. Vnde non iniucundum eſt rem inſerere, ex quo conſtet eum de amicis multa didiciſſe. Nam quum ad quendam ſcripſiſſet vxor ſua, quòd voluptatibus detentus & lauacris ad ſe redire nollet, atque hoc Adrianus per frumentarios cognouiſſet, petente illo commeatum, Adrianus ei lauacra & voluptates exprobrauit. Cui ille, *Num & tibi vxor mea, quod & mihi, ſcripſit?* Et hoc quidem vitioſiſſimum putant, atque huic adiungunt quæ de adultorum amore ac nuptarum adulteriis, quibus Adrianus laboraſſe dicitur, afferunt: iungentes quòd ne amicis quidem ſeruauerit fidem.

Rerum ſuarum exactã gerere curã.

Domui ſuæ præſertim prouideret.

Amicorũ etiam occulta explorare

Ita tamen vt omnem curioſitatem & impuritatem effugiat

17 COMPOSITIS in Britannia rebus, tranſgreſſus in Galliam Alexandrina ſeditione turbatus eſt, quæ nata eſt ob Apin: qui quum repertus eſſet poſt multos annos, turbas inter populos creauit, apud quem deberet locari omnibus ſtudioſe certantibus. Per idem tempus in honorem Plotinæ baſilicam apud Nemauſum operè mirabili extruxit. poſt hæc Hiſpanias petit, & Tarracone hyemauit, vbi

Populorum tumultus nõ negligat.

Magnificus aliquoties appareat, ſed ſuis ſumptibus.

ſumptu ſuo ædem Auguſti reſtituit, omnibus Hiſpanis Tarraconem in conuentum vocatis: delectúmque iculariter, vt verba ipſa ponit Marius Maximus, detrectantibus Italicis, vehementiſſimè, cæteris prudenter & caute conſuluit. Quo quidem tempore, non ſine gloria grauiſſimum periculum adiit, apud Tarraconem ſpatians per hoſpitia viridaria, Seruo in ſe cum gladio furioſiùs irruente: quem retentum ille miniſtris accurrentibus tradidit: & vbi furioſum eſſe conſtitit, medicis curandum dedit, in nullo omnino commotus. Per ea tempora & alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus ſed limitibus diuiduntur, ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus iactis atque connexis, barbaros ſeparauit: Germanis regem conſtituit, motus Maurorum compreſſit, & a Senatu ſupplicationes emeruit. Bellum Parthorum per idem tempus in motu tantùm fuit, ídque Adriani colloquio repreſſum eſt. Poſt hoc per Aſiam & inſulás ad Achaiam nauigauit; & Eleuſinia ſacra exemplo Herculis Philippique ſuſcepit: multa in Athenienſes contulit, & pro agonotheta reſedit, & in Achaia quidem etiam illud obſeruatùm ferunt, quòd quum in ſacris multis cultros haberent, cum Adriano nullus armatus ingreſſus eſt. Poſt in Siciliam nauigauit, in qua Aetnam montem conſcendit; vt ſolis ortum videret arcus ſpecie, vt dicitur varium. Inde Romam venit, atque ex ea in Africam tranſiit, ac multum beneficiorum prouinciis Africanis attribuit. Nec quiſquam ferè principum tantum terrarum tam celeriter peragrauit. Denique quum poſt Africam Romam rediſſet, ſtatim ad orientem profectus per Athenas iter fecit, atque opera quæ apud Athenienſes cœperat, dedicauit: vt Iouis Olympij ædem & aram ſibi eodémque modo per Aſiam iter faciens, templa ſui nomin

In pericula incidens ita ſibi conſulat, vt nihil clementia principis indignũ committat.

Neceſſaria in primis & præcipue curet.

13.

Prouincias ſibi cõmiſſas diligenter perluſtret, & ſemper videat, ne Reſpublica aliquid detrimenti capiat.

hominis consecrauit. Deinde a Cappadocibus seruitia castris profutura suscepit. Toparchas & reges ad amicitiam inuitauit, inuitato etiam Cosdroe rege Parthorum, remissaque illi filia quam Trajanus ceperat, ac promissa sella quæ itidem capta fuerat. Quúmque ad eum quidam reges venissent, ita cum his egit vt eos pœniteret qui venire noluerunt, cau sa speciatim Pharasmanis, qui eius inuitationem superbe neglexerit. Et circumiens quidem prouincias, procuratores & præsides pro factis supplicio affecit, ita seuere vt accusatores per se crederetur immittere. Antiochenses inter hæc ita odio habuit vt Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot ciuitatum metropolis Antiochia diceretur. Mouerunt ea tempestate & Iudæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia. Sed in monte Cassio quum videndi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto, fulmen decidens hostiam & victimarium sacrificanti afflauit. Peragrata Arabia Pelusium venit, & Pompeij tumulum magnificentius extruxit. Antinoum suum dum per Nilũ nauigat, perdidit, quem muliebriter fleuit: de quo varia fama est, aliis eum deuotum pro Hadriano afferentibus, aliis, quod & forma eius ostentat, & nimia voluptas Adriani. & Græci quidem volente Adriano eum consecrauerunt, oracula per eum dari afferentes: quę Adrianus ipse composuisse iactatur.

Alios principes & reges ad amicitiam honestis rationib. inuitet.

Facinorosos autem debitis suppliciis coerceat. 14

Pompeius redivivus. Antinous autem sempiterna memoria obruẽdus

8 FVIT enim poematum & literarum omnium studiosissimus, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritissimus. Iam psallendi & cantandi scientiam præ se ferebat: in voluptatibus nimius. Nam & de suis dilectis multa versibus composuit, amatoria carmina scripsit. Idem armorum peritissimus, & rei militaris scientissimus, gladiatoria quoque arma tractauit. Idem seuerus, lætus, comis, grauis, lasciuus, cunctator, tenax, liberalis, simulator, sæuus, clemens, &

Virtutes in Adriano, & vitia, primum veluti in genere describuntur: deinde speciatim.

Amicos ditat, & exagitat, vt ex multis exemplis additis colligere licet.

15. semper in omnibus varius. Amicos ditauit, & quidem non petentes, quum petentibus nihil negaret. Idem tamen facile de amicis quicquid insusurrabatur, audiuit. atque ideò prope cunctos vel amicissimos, vel eos quos summis honoribus euexit, postea vt hostium loco habuit, vt Tatianum & Nepotem, & Septicium Clarum. Nam Eudæmonem priùs conscium imperij ad egestatem perduxit: Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coegit. Heliodorum famosissimis literis lacessiuit. Titianum vt conscium tyrannidis, & argui passus est & proscribi. Numilium Quadratum, & Catilium Seuerum, & Turbonem grauiter insequutus est. Seruianum sororis virum nonagesimum iam annum agentem, ne sibi superuiueret, mori coegit. Libertos denique & nonnullos milites insequutus est. Et quanuis esset oratione & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper vt doctior risit, contempsit, obtriuit. Cum his ipsis professorib. & philosophis, libris vel carminibus inuicem editis, sæpe certauit. Et Fauorinus quidem, quum verbum eius quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis quod male cederet Adriano, de verbo quod idonei autores vsurpassent, risum iucundissimum mouit. Ait enim, *Non rectè suadetis, familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere qui habet triginta legiones.*

Disciplinas liberales colit: earũ autem professores ridet & opprimit.

Nec immeritò ab illis timetur.

16. Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, vt libros vitæ suæ scriptos à se, libertis suis literatis dederit, iubens vt eos suis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri Adriani esse dicuntur. Catacrianos libros obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit. Floro poetæ scribenti ad se,

Quosdam etiam scurriliter exagitat.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos

Scythicas

Scythicas pati pruinas: rescripsit,
Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Amauit præterea genus dicendi vetustum, controuersias declamauit. Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Cæcilium prætulit. Eadémque iactatione de Homero ac Platone iudicauit. Mathesin sic scire sibi visus est, vt serò Calendis Ianuariis scripserit quid ei toto anno posset euenire: ita vt eo anno quo periit, vsque ad illam horam qua est mortuus, scripserit quid acturus esset.

Antiquitatis nimius admirator, doctissimos scriptores explodit, & prauo laborat iudicio.

9 SED quanuis esset in reprehendendis musicis, tragicis, comicis, grammaticis, rhetoribus, oratoribus, facilis: tamen omnes professores & honorauit & diuites fecit, licet eos quæstionibus semper agitauit. Et quum ipse autor esset vt multi ab eo tristes recederent, dicebat se grauiter ferre si quem tristem videret. In summa familiaritate Epictetum & Heliodorum philosophos, & (ne nominatim de omnibus dicam) grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit: pre cæteris (vt multi asserunt) eminente Fauorino. Doctores qui professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratósque à professione dimisit. Quos in priuata vita inimicos habuit, Imperator tantùm neglexit: ita vt vni quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, *Euasisti*. Iis quos ad militiam ipse per se vocauit, equos, mulos, vestes, sumptus, & omnem ornatum semper exhibuit. Saturnalitia & sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libéter accepit, & alia inuicem dedit. Ad deprehendendas obsonatorum fraudes quum plurimis sumentibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam vltimis quibusque iussit apponi. Omnes

Doctis otiū & negotium facessit.

Inhabiles professioni suæ prudenter dimittit, & Clemētiæ nomine gaudet.

Munificus, prudens, liberalis & familiaris apparet.

reges muneribus suis vicit. Publicè frequenter & cum omnibus lauit: ex quo ille iocus balnearis innotuit. Nam quum quodam tempore veteranum quendam notum sibi in militia, dorsum & cæteram partem corporis vidisset atterere, percontatus cur se marmoribus destringẽdum daret, vbi audiuit hoc idcirco fieri quòd seruum non haberet, & seruis eum donauit & sumptibus. Verùm alia die quum plures senes ad prouocandam liberalitatem principis pariter & se attererent, euocari eos iussit, & alium ab alio inuicem defricari. Fuit & plebis iactantissimus amator. Peregrinationis ita cupidùs, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere. Frigora & tempestates ita patienter tulit vt nunquam caput tegeret. Regibus multis plurimum detulit: à plerisque verò etiam pacem redemit, à nonnullis contemptus est, multis ingentia dedit munera, sed nulli maiora quam Hiberorum: cui elephantum & quinquagenariam cohortẽ post magnifica dedit dona. Quum à Pharasmane ipse quoque ingentia dona accepisset, atq; inter hæc auratas quoque chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamydibus in harenam misit ad eius munera deridenda.

Comis item & festiuus.

Plebis iactãtiss. amator.

Erga reges regio animo, & fastus ac donorum cõtemptore.

10 Qvvm iudicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solùm, sed iurisconsultos, & præcipue Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliósque, quos tamen Senatus omnis probasset. Constituit inter cętera, vt in nulla ciuitate domus aliqua transferendæ ad aliam vrbẽ vllius materiæ causa diruerentur. Liberis proscriptorum duodecimas bonorum concessit. Maiestatis crimina non admisit. Ignotorum hæreditates repudiauit: nec notorum accepit si filios haberent. De thesauris ita cauit vt si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in alieno, dimidium domino daret: si quis in publico,

Virtus eximia in Adriano, quã vtinam principes omnes imitentur.

Leges variæ quæ iustitiã clementia tẽperatam sapiunt.

co, cum fiſco ęqualiter partiretur. Seruos à dominis occidi vetuit, eóſque iuſſit damnari per iudices ſi digni eſſent. Lenoni & laniſtæ ſeruum vel ancillā vendi vetuit cauſa non præſtita. Decoctores bonorum ſuorum, ſi ſuæ autoritatis eſſent, catamidiari in amphitheatro & dimitti iuſſit. Ergaſtula ſeruorum & libertorum tulit. Lauacra pro ſexibus ſeparauit. Si dominus in domo interemptus eſſet, non de omnibus ſeruis quæſtionem haberi, ſed de his qui per vicinitatem poterant ſentire, præcepit. In Hetruria præturam Imperator ēgit. Per Latina oppida Dictator & Aedilis & Duumuir fuit. Apud Neapolin Demarchus, in patria ſua Quinquennalis: & item Adriæ Quinquennalis quaſi in alia patria, & Athenis Archon fuit. In omnib. penè vrbibus, & aliquid ædificauit, & luſus edidit. Athenis mille ferarum venationem in ſtadio exhibuit. Ab vrbe nunquam vllum venatorem aut ſcenicum auocauit. Romæ poſt cæteras immenſiſſimas voluptates, in honorem ſocrus ſuæ, aromatica populo donauit. In honorem Trajani balſama & crocum per gradus theatri fluere iuſſit: fabulas omnis generis more antiquo in theatro dedit: hiſtriones aulicos publicauit. In circo multas feras, & ſæpe centum leones, interfecit. Militares pyrrhicas populo frequenter exhibuit: gladiatores frequenter ſpectauit. Quum opera vbique infinita feciſſet, nunquam ipſe, niſi in Trajani patris templo, nomen ſuum ſcripſit. Romę inſtaurauit pantheum, ſepta, baſilicam Neptuni, ſacras ędes plurimas, forum Auguſti, lauacrum Agrippę: eáque omnia propriis & veterum nominibus conſecrauit. Fecit & ſui nominis pontem, & ſepulchrum iuxta Tiberim, & ædem Bonæ deæ tranſtulit: & coloſſum ſtantem atque ſuſpenſum per Detrianum architectum de eo loco in quo nunc templum vrbis eſt ingenti molimine, ita vt operi etiam elephantes

Functiones publicæ Adriani variis Imperij ciuitatibus, quæ indefeſſum de omnibus merendi ſtudiū Principi cōmendant.

Magnificentia Adriani, nō omnino imitāda. Quid enim immodici & inutiles ſumptus ſunt aliud quàm humanæ vanitatis argumentū? Aedificia publica autē, modò neceſſaria, laude ſunt digniſſima.

XXIIII exhiberet. Et quum hoc ſimulacrum poſt Neronis vultum cui antea dicatum fuerat, ſoli conſecraſſet, aliud tale Apollodoro architecto autore facere lunæ molitus eſt.

Humanitas Adriani; ſuperbiam ſtultorum quorundam terræ filiorum damnat.

II IN colloquiis etiam humillimorum ciuiliſſimus fuit, deteſtans eos qui ſibi hanc voluptatem humanitatis quaſi ſeruantes faſtigium principis inuiderent. Apud Alexandriam in muſio, multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit: & propoſitas ipſe diſſoluit. Marius Maximus dicit eum natura crudelem fuiſſe, & idcircò multa pie feciſſe, quòd timeret ne ſibi idem quod Domitiano accidit, eueniret. Et quum titulos in operibus non amaret, multas ciuitates *Adrianopolis* appellauit, vt ipſam Carthaginem, Athenarum partem. Aquarum ductus etiam infinitos hoc nomine nuncupauit. Fiſci aduocatum primus inſtituit. Fuit memoriæ ingentis, facultatis immenſæ: nam ipſe orationes & dictauit, & ad omnia reſpôdit. Ioca eius plurima extant. nam fuit etiam dicaculus. Vnde illud quoque innotuit, quòd quum cuidam caneſcenti quiddam negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſpondit, *Iam hoc patri tuo negaui.* Nomina plurimis ſine nomenclatore reddidit, quæ ſemel & congeſta ſimul audiuerat, vt nomenclatores ſępiùs errantes emendauerit. Dixit & veteranorum nomina quos aliquando dimiſerat. Libros ſtatim lectos & ignotos quidem plurimis memoriter reddidit. Vno tempore ſcripſit, dictauit, audiuit, & cum amicis fabulatus eſt. Si poteſt credi, omnes publicas rationes ita complexus eſt, vt domum priuatam quiuis pater familiàs diligens ſatis nouit. Equos & canes ſic amauit vt eis ſepulcra conſtitueret. Oppidum Adrianotheras in quodam loco, quòd illic & feliciter eſſet venatus, & vrſam occidiſſet, aliquando conſtituit. De iudicibus omnibus ſemper cuncta ſcrutando, tandiu requiſiuit, quan

Fama laudata non in lapidibus, ſed in virtutis veræ laudibus reponenda eſt.

Ingens Adriani memoria & mirum ingeniũ

Venationis amor, in principe nimius.

quandiu verum inueniret. Libertos suos nec sciri voluit in publico, nec aliquid apud se posse, dicto suo omnibus superioribus principibus vitia imputans libertorum, damnatis omnibus libertis suis quicunque se de eo iactauerant. Vnde extat etiam illud seuere quidem, sed prope ioculare de seruis. Nam quum quodam tempore seruum suum inter duos senatores è conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, & diceret, *Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes seruus.* Inter cibos vnicè amabat tetrapharmacum, quod erat de fasiano, sumine, perna & crustulo.

Aequitatis & temperātia studium.

Vocationum ratio habita

12 FVERVNT eius temporibus fames, pestilentia & terræmotus: quæ omnia quantum potuit, procurauit: multisque ciuitatibus vastatis per ista, subuenit. Fuit etiam Tiberis inundatio, Latium multis ciuitatibus dedit, tributa multis remisit. Expeditiones sub eo graues nullæ fuerunt. Bella etiam silentio pene transacta. A militibus propter curam exercitus nimiam multùm amatus est, simul quòd in eos liberalissimus fuit. Parthos in amicitia semper habuit, quòd inde regem retraxit, quem Trajanus imposuerat. Armenis regem habere permisit, quum sub Trajano legatum habuissent. A Mesopotamiis nō exegit tributum quod Trajanus imposuit. Albanos & Hiberos amicissimos habuit, quòd reges eorum largitionibus prosequutus est, quum ad illum venire contempsissent. Reges Bactrianorum legatos ad eum amicitiæ petendę causa supplices miserunt. Tutores sæpissimè dedit. Disciplinam ciuilē non aliter tenuit quàm militarē. Senatores & equites Rom. semper in publico togatos esse iussit, nisi si à cœna reuerterētur. Ipse quū in Italia esset, semper togatus processit. Ad cōuiuiū veniētes senatores, stans excepit: semperq; aut pallio tectus discubuit, aut toga submissa. Iudicū sumptus cōsti-

Principis sapientis est, incommoda publica subleuare.

In officio exteros beneficiis retinere

Virtute permultos ad se allicere.

Disciplinæ ciuilis esse custodem.

tuit,& ad antiquũ modũ redegit. Vehicula cum ingẽtib.sarcinis vrbẽ ingredi prohibuit. Sederi equos in ciuitatibus non sinit. Ante octauam horam in publico neminem nisi ægrum lauari passus est. Ab epistolis & a libellis, primus equites Romanos habuit. Eos quos pauperes & innocentes vidit, sponte ditauit: quos verò calliditate ditatos, etiam odio habuit. Sacra Romana diligentissime curauit: peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit. Causas Romæ atque in prouinciis frequenter audiuit, adhibitis consilio suo consulibus atque prætoribus & optimis Senatoribus. Fucinum lacum emisit. Quatuor consulares per omnem Italiam iudices constituit. Quando in Africam venit, ad aduentum eius post quinquennium pluit: atque ideo ab Africanis dilectus est.

Arcana nobilibus viris committeret: pietatis & iustitiæ gerere curam.

13 Peragratis sanè omnibus orbis partibus capite nudo, & in summis plerunque imbribus atque frigoribus, in morbum incidit lethalem. Factúsque de successore solicitus, primùm de Seruiano cogitauit: quem postea, vt diximus, mori coegit. Fuscum, quòd imperium præsagiis & ostentis agitatus speraret, in summa detestatione habuit: Pletorium Nepotem quem tantopere ante dilexit, vt veniens ad eum ægrotantem Adrianus impune non admitteretur, suspicionibus adductus: eodem modo & Terentium Gentianum: & hunc vehementiùs, quòd a Senatu diligi tunc videbat. Omnes postremò de quorum imperio cogitauit, quasi futuros Imperatores detestatus est, & omnem quidem vim crudelitatis ingenitæ vsq; eò repressit, donec in villa Tiburtina profluuio sanguinis pene ad exitum venit. Tũc liberè Seruianũ quasi affectatorẽ imperij, quòd seruis regis cœnam misisset, quòd in sedili regio iuxta lectum posito sedisset, quòd erectus ad stationes militum senex nonagenarius processisset, mori coegit

Principẽ decet esse vigilantem, laboriosum, eúmque stantem mori oportet

De successore seriò & maturè cogitare.

Non sine maximis rationibus & te-

coegit: multis aliis interfectis vel apertè, vel per insidias: quandoquidem etiam Sabina vxor non sine fabula veneni dati ab Adriano defuncta est. Tunc Ceionium Commodum, Nigrini generum insidiatoris, quondam sibi forma commendatum, adoptare constituit. Adoptauit ergo Ceionium Commodum Verum inuitis omnibus, eúmque Aelium Verum Cæsarem appellauit. Ob cuius adoptionem ludos Circenses dedit, & donatiuum populo ac militibus expendit: quem prætura honorauit, ac statim Pannoniis imposuit, decreto consulatu cum sumptibus, eundem Commodum secundùm consulem designauit. Quem qùum minùs sanum videret, sæpissime dictauit, *In caducum parietem nos inclinauimus, & perdidimus quater millies H-S. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Commodus autem præ valetudine, nec gratias quidem in senatu agere potuit Adriano de adoptione. Denique accepto largius antidoto, ingrauescente valetudine, per somnum periit, ipsis calendis Ianuariis. Quare ab Adriano votorum causa lugeri est vetitus. Et mortuo Aelio Vero Cæsare, Adrianus ingruente tristissima valetudine, adoptauit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est: sed ea demum lege, vt ille sibi duos adoptaret, Annium Verum & Marcum Antoninum. Hi sunt, qui postea duo pariter augusti, primi remp. gubernauerunt. Antoninus quidem Pius idcirco appellatus dicitur, quòd socerum fessum ætate, manu subleuarit. quanuis alij cognomentum hoc ei dicant inditum quòd multos senatores Adriano iam sæuienti eripuisset: alij quòd ipsi Adriano magnos honores post mortem detulisset. Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse doluerunt, speciatim Catilius Seuerus præfectus vrbis, qui sibi præparabat imperium. Qua re prodita, successore accepto, dignitate priuatus est.

...stimoniis certissimis in primarios viros sæuire.

Aelius Verus, Cæsar appellatus.

In designationibus successoris, principes etiã sapientissimi vt plurimum hallucinantur.

Vero mortuo, Antoninus, cognomine Pius adoptatur, addita conditione.

Catilius Seuerus exauctoratus.

24

Turbulentã vitam turbulẽta mors sequitur.

14 ADRIANVS autem vltimo vitæ tædio iam affectus, gladio se transfigi a seruo iussit. Quod quũ proditum esset, & in Antonini vsque notitiam venisset, ingressis ad se præfectis & filio, rogantibúsque vt æquo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis, autorem proditionis iussit occidi, qui tamẽ ab Antonino seruatus est. Statimque testamentum scripsit: nec tamen actus reipub. prætermisit, dicente Antonino, parricidam se futurum si Adrianum adoptatus ipse pateretur occidi. Et post testamentum quidem iterum se conatus occidere, subtracto pugione, sæuior factus est: petiit & venenum à medico, qui seipse, ne daret, occidit. Ea tempestate superuenit quædam mulier quæ diceret somnio se monitã, vt insinuaret Adriano ne se occideret quòd esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cęcatam. Iussam tamen iterum Adriano eadem diceret, atque genua eius oscularetur, receptura visum si id fecisset. Quod quum insomnium implesset, oculos recepit, quum aqua quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eúmq; contigit: quo facto, & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quanuis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret. Post hoc Adrianus Baias petiit, Antonino Romæ ad imperandum relicto. Vbi quum nihil proficeret, accersito Antonino, in conspectu eius apud ipsas Baias periit, die sexto Iduum Iuliarum. Inuisúsque omnibus sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis. Sub ipso mortis tempore & Seruianum nonaginta annos agentem, vt supra dictum est, ne sibi superuiueret, atque (vt putabat) imperaret, mori coegit: & ob leues offensas plurimos iussit occidi, quos Antoninus reseruauit. Et moriens quidem, hos versus fecisse dicitur,

Adriani miseria horrẽda.

Præstigiis et ludificationib. quibusdã ad tempus lenita.

Aegrè tandem & corporis ac animi dolore confectus perit.

Ingratã de se famam ob sæuitiam spargens.

Anim

Animula vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt ſoles, dabis iocos.

Horrendóq; quodam iudicio in morte ſibi ipſi morſophus illudens.

Tales autem nec multo meliores fecit & Græcos. Vixit annis LXXII, menſibus V, diebus XVII. Imperauit annis XXI, menſibus XI. Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promiſſa barba, vt vulnera quę in facie naturalia erant, tegeret: habitudine robuſta. Equitauit ambulauitque plurimum. Armiſque & pilo ſe ſemper exercuit. Venatu frequentiſſime leonem manu ſua occidit. venando autem iugulum & coſtam fregit. venationem ſemper cum amicis participauit. In conuiuio tragœdias, comœdias, Atellanas, ſambucas, lectores, poetas, pro re ſemper exhibuit. Tiburtinam villam mirè exædificauit, ita vt in ea & prouinciarũ & locorum celeberrima nomina inſcriberet: velut lyceum, academiam, prytaneum, canopum, pœcilen, tempe vocaret. Et vt nihil prętermitteret, etiam inferos finxit. Signa mortis hæc habuit: Natali ſuo vltimo quum Antoninum commendaret, prætexta ſponte delapſa caput ei operuit. Annulus in quo imago ipſius ſculpta erat, ſponte de digito delapſus eſt. Ante diem natalis eius, neſcio quis ad ſenatum vlulans venit. contra quem Adrianus ita motus eſt, quaſi de ſua morte loqueretur, quum eius verba nullus agnoſceret. Idem quum vellet in ſenatu dicere, *Poſt filii mei mortem, Poſt mortem meam dixit.* Somniauit præterea ſe à patre potionem ſoporiferam impetraſſe. Item ſomniauit à leone ſe oppreſſum eſſe. In mortuum eum à multis multa ſunt dicta. Acta eius irrita fieri Senatus volebat: nec appellatus eſſet diuus niſi Antoninus rogaſſet. Templum denique ei pro ſepulcro apud Puteolos cõſtituit, & quinquen-

Statura eius.

Exercitia.

Villa Tiburtina.

Signa mortis.

Præſagia.

Somnia.

Apotheoſis eiuſdem, vel potius ἀθεότης.

nale certamen, & flamines & ſodales, & multa alia quæ ad honorem quaſi numinis pertinerent. Quare, vt ſupra dictum eſt, multi putant Antoninum Pium dictum.

ÆLII SPARTIANI
Ælius Verus.

BREVIARIVM.

1 *Aelii Veri, Cæſaris ſtemmata.*

2 *Eiuſdem adoptio, publicæ functiones, res geſtæ, fama, deſperata valetudo, & mors ab Adriano genethliaco præuiſa: paulo poſt etiam ſequuta.*

3 *Aelii Veri virt. et vitia.*

4 *Eiuſdem mors & funus. Ab Adriano ita deſideratus, vt eius filium adoptauerit, generúmque ſuum fecerit, Antoninoque Pio ſucceſſorem cum Marco Antonino eſſe voluerit.*

Diocletiano Aug. Aelius Spartianus ſuus S.

Præfatio Spartiani ad Diocletianum Auguſtum.

IN animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot principum maxime, non ſolùm eorum qui principum locum in hac ſtatione quam temperas, retentarunt, vt vſque ad diuum Adrianum feci, ſed illorum etiam qui vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec principes aut Auguſti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam, aut in ſpem principatus venerunt, cognitionem numinis tui ſternere: quorum præcipuè de Aelio Vero dicendum eſt, qui primus tantùm *Cæſaris* nomen accepit, adoptione Adriani familiæ principum

pum adſcriptus. Et quoniam nimis pauca dicenda ſunt, nec debet prologus enormior eſſe quam fabula, de ipſo iam loquar.

CEIONIVS Commodus, qui & Aelius Verus appellatus eſt, quẽ ſibi Adrianus æuo ingraueſcente morbis triſtioribus preſſus, peragrato iam orbe terrarum, adoptauit, nihil habet in ſua vita memorabile niſi quod primus tantùm *Cæſar* eſt appellatus: non teſtamento, vt antea ſolebat, neque eo modo quo Trajanus eſt adoptatus: ſed eo propè genere quo noſtris temporibus a veſtra clementia Maximianus atque Conſtantius *Cæſares* dicti ſunt: quaſi quidam principum filij viri, & deſignati auguſtæ maieſtatis hæredes. Et quoniam de Cæſarum nomine in huius præcipuè vita eſt aliquid diſputandum, qui hoc ſolum nomen adeptus eſt, Cæſarem vel ab elephanto (qui lingua Maurorum *Cæſar* dicitur) in prælio cæſo, eum qui primus ſic appellatus eſt, doctiſſimi viri & eruditiſſimi putant dictum: vel quia mortua matre, ventre cæſo ſit natus: vel quòd cum magnis crinibus ſit vtero parentis effuſus: vel quòd oculis cęſiis & vltra humanum morem viguerit. Certè quæcunque illa, felix neceſſitas fuit, vnde tam clarum & duraturum cum æternitate mundi nomẽ effloruit. Hic ergo de quo ſermo eſt primùm *Lucius Aurelius Verus* eſt dictus, ſed ab Adriano aſcitus in Aeliorum familiam, hoc eſt in Adriani tranſcriptus, & appellatus eſt Cæſar. Huic pater Ceionius Cõmodus fuit, quem alij Verum, alij Lucium Aurelium, multi Annium prodiderunt: maiores omnes nobiliſſimi, quorum origo pleraque ex Hetruria fuit, vel ex Fauentia. Et de huius quidem familia plenius in vita Lucij Aurelij Ceionij Commodi Veri Antonini, filij huiuſce, quem ſibi adoptare Antoninus iuſſus eſt, differemus. Is enim liber debet omnia quæ ad ſtemma generis pertinẽt, con-

Aelius Verus, primus Cæſar, ſeu Imperatoris ſucceſſor, appellatus.

De Nomine Cæſaris variæ opiniones.

Felix neceſſitas, & clariſsimum nomen.

Aelij Veri ſtemmata.

tinere, qui habet principem de quo plura dicenda sunt.

Functiones publicæ Aelii Veri.

ADOPTATVS est autem Aelius Verus ab Adriano eo tempore quo iam (vt superius diximus) parum vigebat, & de successore necessariò cogitabat, statimque prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impositus, mox consul creatus. Et quia erat deputatus imperio, iterum consul designatus est. Datum etiam populo congiarium causa eius adoptionis, collatúmque militibus H-S ter millies, circenses editi: neque quicquam prætermissum quod posset lætitiam publicam frequentare. Tantúmque apud Adrianum principem valuit, vt præter adoptionis affectum quo ei videbatur adiunctus, solus omnia quæ cuperet etiam per literas impetraret. Nec prouinciæ quidem cui præpositus erat, defuit. Nam bene gestis rebus vel potius feliciter, etsi non summi, medij tamen obtinuit ducis famam. Hic tamen valetudinis adeo miseræ fuit vt Adrianum statim adoptionis pœnituerit, potueritque eum amouere a familia imperatoria, quum sæpe de aliis cogitaret, si forte vixisset. Fertur denique ab his qui Adriani vitam diligentius in literas retulerunt, Adrianum Veri scisse genituram: & eum quem non multo ad rempublicam gerendam probarat, ob hoc tantùm adoptasse, vt suæ satisfaceret voluptati: &, vt quidam dicunt, iurando quod intercessisse inter ipsum ac Verum secretis conditionibus ferebatur. Fuisse enim Adrianum peritum matheseos, Marius Maximus vsqueadeo demonstrat, vt eum dicat cuncta de se scisse, sic, vt omnium dierum vsque ad horam mortis futuros actus ante præscripserit. Satis præterea constat eum de Vero sæpe dixisse,

Quid actũ, quando adoptatus est.

Quam spem de se prabet

Sed breuem ob misera valetudinis indicia.

Ab Adriano, matheseos perito præuisa.

Et decantata.

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque vltra
Esse sinent.

Quos versus quum aliquando in hortulo spatians can

cantitaret, atque adesset vnus ex literatis quorum Adrianus speciosa societate gaudebat, velletque addere,

Virisque literatis semel ac iterū testata.

-nimium vobis Romana propago
Visa potens superi,propria hæc si dona fuissent,

Adrianus dixisse fertur, Hos versus vita non capit Veri.illud addens,

-manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores,animámque nepotis
His saltem accumulem donis,& fungar inani
Munere.

Quum quidem etiam illud dicitur cum irrisione dixisse, *Ego mihi diuum adoptaui,non filium.* Eum tamen quum consolaretur vnus de literatis qui aderant,ac diceret, *Quid si non rectè cōstellatio eius collecta est quem credimus esse victurum?* Adrianus dixisse fertur, *Facilè ista dicis tu qui patrimonii tui non reipub.quæris hæredem.* Vnde apparet eum habuisse in animo alium deligere, atque hunc vltimo vitæ suæ tempore à repub. submouere:sed haud eius consilia iuuit euentus.Nā quum de prouincia Aelius redisset, atq; orationem pulcherrimam, quæ hodie quoque legitur, siue per se siue per scriniorum aut dicendi magistros parasset,qua Calen.Ianuariis Adriano patri gratias ageret, accepta potione qua se existimaret iuuari, Calend. ipsis Ianuariis periit. iussúsque ab Adriano, quia vota interueniebant,non lugeri.

Atque scitè dictis cōfirmata.

Et euentu tandem confirmata.

FVIT hic vitæ lætissimæ, eruditus in literis, Adriano (vt maleuoli loquuntur) acceptior forma quam moribus.In aula diu non fuit,in vita priuata, etsi minus probabilis, minus tamen reprehendendus,ac memor familiæ suæ, comptus, decorus,pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celsioris, versu facilis,in rep.etiam non inutilis. Huius voluptates ab iis qui vitam eius scripserunt, multæ feruntur,equidem non infames sed aliquatenus dif-

Aelij Veri virtutes.

Voluptates item non infames, sed aliquatenus diffluentes.

fluentes. Nam tetrapharmacum seu potius pentapharmacum, quo postea semper Adrianus est vsus, ipse dicitur reperisse, hoc est, sumen, fasianum, pauonem, pernam crustulatam & aprugnam. De quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentapharmacum, sed tetrapharmacum appellans: vt & nos ipsi in eius vita prosequuti sumus. Fertur etiam aliud genus voluptatis quod Verus inuenerat.

In cibo.

Nam lectum eminentibus quatuor anaclit eriis fecerat, minuto reticulo vndique inclusum, eúmque foliis rosæ quibus demptum esset album, replebat, iacénsque cum concubinis, velamine de liliis facto se tegebat, vnctus odoribus Persicis. Iam illa frequentantur à nonnullis, quòd & accubationes ac mensas de rosis ac liliis fecerit, & quidem purgatis: quæ etsi non decora, non tamen ad perniciem publicam prompta sunt. Atque idem Ouidij libros amorum in lecto semper habuisse, idem Martialem epigrammaticum poetam, Virgilium suum dixisse. Iam illa leuiora quòd cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter apposuit, eósque ventorum nominibus sæpe vocitauit, Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem aut Circium, cæterisque nominibus appellans, & indefessè atque inhumaniter faciens cursitare. Idem vxori conquerenti de extraneis voluptatibus, dixisse fertur, *Patere me per alias exercere cupiditates meas: vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Eius filius est Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco. Verus certè cum Marco æquale gessit imperium. Nam ipsi sunt qui primi duo Augusti appellati sunt: & quorum fastis consularibus sic nomina præscribuntur, vt dicantur non tantùm duo Antonini, sed duo Augusti: tantúmque huius rei & nouitas & dignitas valuit, vt fasti consulares nonnulli ab his sumerent ordinem consulum.

In cubili.

In accubationibus & mensis.

In lectionis & cursorũ delectu.

In coniugij abusu. Vagæ enim libidines, coniugij sanctitatem profanant, fidem datam euertunt, atque horrenda accersunt iudicia.

4 Pro

4 Pro eius adoptione infinitam pecuniam populo & militibus Adrianus dedit. Sed quum eum videret homo paulo argutior miserrimæ valetudinis, ita vt scutum solidius iactare non posset, dixisse fertur, *Ter milies perdidimus, quod exercitui populóque dependimus: siquidem satis in caducum parietem incubuimus: & qui non ipsam remp. sed nos ipsos sustentare vix possit.* Et hæc quidem Adrianus cum præfecto suo loquutus est. Quæ quum prodidisset præfectus, ac per hoc Aelius Cæsar indies magis magísque solicitudine, vtpote desperati hominis, aggrauaretur, præfecto suo Adrianus qui rem prodiderat, successorem dedit, volens videri quòd verba tristia temperasset: sed nihil profuit. Nam, vt diximus, *Lucius Ceionius Commodus Verus Aelius Cæsar* (nam his omnibus nominibus appellatus est) periit: sepultúsque est imperatorio funere: neque quicquàm de regia, nisi mortem, habuit dignitate. Doluit ergo illius mortem vt bonus pater, non vt bonus princeps. Nam quum amici soliciti quærerent qui adoptari posset, Adrianus dixisse fertur his; *Etiam viuente adhuc Vero decreueram*: ex quo ostendit aut iudicium suum, aut scientiam futurorum. Post hunc denique Adrianus diu anceps quid faceret, Antoninum adoptauit, Pium cognomine appellatum: cui conditionem addidit vt ipse sibi Marcum & Verum Antoninos adoptaret, filiamque suam Vero non Marco daret. Nec diutius vixit, grauatus languore ac diuerso genere morborum, sæpe dicens, *Sanum principem mori debere, non debilem.* Statuas sanè Aelio Vero per totum orbem colosseas poni iussit, templa etiam in nonnullis vrbibus fieri. Denique illius merito, filium eius Verum, nepotem vtpote suum, qui pereunte Aelio in familia ipsius Adriani remanserat, adoptandum Antonino Pio cum Marco, vt iam diximus, dedit: sæpe dicens, *Habeat respub. quodcunque de Vero*: quod

Adriani liberalitas pro Aelij Veri adoptione.

Cuius miseram valetudinem deplorat. Nihil autem omni ex parte beatum.

Arcana principũ aut non audienda, aut non prodenda.

Adriani prouidẽtia.

De successore prudens sollicitudo.

Ac de principe apophthegma.

Et in Aelij memoriam ardens affectus.

quidem contrarium his quæ de adoptionis pœnitentia per autores plurimos intimata sunt, quum Verus posterior nihil dignum præter clementiam in moribus habuerit quod imperatoriæ familiæ lumen afferret. Hæc sunt quæ de Vero Cæsare mandata literis fuerunt: de quo idcirco non tacui, quia mihi propositum fuit omnes qui post Cæsarem dictatorem, hoc est diuum Iulium, vel Cæsares vel Augusti, vel principes appellati sunt, quique in adoptionem venirent, vel Imperatorum filij, aut parentes Cæsarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere, meæ satisfaciens cōscientiæ, etiamsi multis nulla sit necessitas talia requirendi.

IVLII CAPITOLINI
Antoninus Pius.

BREVIARIVM.

1 *Antonini Pii stemmata, natiuitas, pueritia, corporis statura, animi dotes: cur Pius cognominatus est à Senatu: functiones publicæ: imperii omina varia: mite ingenium.*

2 *Cur adoptatus sit ab Adriano, & quæ adoptionis lex ei præfixa fuerit. Eius prudentia in largiendo, pietas erga parentes & Adrianum.*

3 *Prudentia Antonini in publica rerum administratione, præfectorum, bellorum, tributorum, suppliciorum, aulæ, successorum, amicorum & subiectorum populorum respectu.*

4 *Vita priuata eiusdem. Otium detestatur. Reipublicæ statum curat diligentissimè, ædificiis Romam exornat, leges necessarias condit, & Annonæ prouidet.*

5 *Ad*

5 Aduersa, quæ tempore Antonini prouenerunt, descripta. Reges nonnullos excipit & tuetur. Autoritate valet apud exteras gentes, pacis cultor maximus. Faustinam filiam Marco Antonino vxorem dat, & Apollonium philosophum leuide perstringit.

6 Pietatis, liberalitatis, magnificentiæ, benignitatis, eximiarúmque aliarum virtutum.

7 Antonini Pii mors placida, testamentum senectus qualis, à Senatu & populo desideratus, summisque honoribus cultus est.

TITO Aurelio Fuluio Boionio Antonino Pio, paternum genus è Gallia Transalpina, Nemausense scilicet, auus Titus Aurelius Fuluius, qui per honores diuersos ad secundum consulatum & præfecturam vrbis peruenit. Pater Aurelius Fuluius, qui & ipse fuit consul, homo tristis & æger. auia materna Bouinia Procilla, mater Arria Fadilla. auus maternus Arrius Antoninus, bis consul, homo sanctus, & qui Neruam miseratus esset quòd imperare cœpisset. soror vterina, Iulia Fadilla. vitricus Iulius Lupus consularis. socer Annius Verus. vxor Annia Faustina. filij mares duo, duæ fœminæ. gener per maiorem filiam, Lamia Syllanus: per minorem, Marcus Antoninus fuere. Ipse Antoninus Pius natus est tertiodecimo Cal. Octobres, sub Domitiano duodecimo, & Cornelio Dolabella coss. in villa Lanuuina: educatus Lauri in Aurelia: vbi postea palatium extruxit, cuius hodiéque reliquiæ manent. Pueritiam egit cum auo paterno, mox cum materno, omnes suos religiosè colens: atque adeo & consobrinorum & vitrici & multorum affinium hęreditate ditatus est. Fuit vir forma conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus ingenio, singularis

Antonini ortus & genus.

Pater & mater.

Vxor mulier prostituti pudoris

Natiuitas.

Pueritia laudata.

Corporis & animi dotes.

eloquentiæ,nitidæ literaturæ,præcipuè ſobrius,diligens agri cultor,mitis,largus, alieni abſtinens, & omnia hæc cum menſura & ſine iactantia. In cunctis poſtremò laudabilis, & qui meritò Numæ Pompilio ex bonorum ſententia comparatur. *Pius* cognominatus eſt à ſenatu, vel quòd ſocerum feſſa iam ætate,manu,præſente ſenatu,leuauerit: (quod quidem non ſatis magnæ pietatis eſt argumentum, quum impius ſit magis qui iſta non faciat, quam pius qui debitum reddat)vel quòd eos quos Adrianus per malam valetudinem occidi iuſſerat, reſeruauit:vel quòd Adriano cōtra omnium ſtudia, poſt mortem infinitos atque immenſos honores decreuit: vel quòd quum ſe Adrianus interimere vellet, ingenti cuſtodia & diligentia fecit ne id poſſet admittere:vel quòd verè natura clementiſſimus,& nihil temporibus ſuis aſperū fecit. Idem fœnus trientarium, hoc eſt minimis vſuris exercuit, vt patrimonio ſuo plurimos adiuuaret. Fuit quęſtor liberalis, prætor ſplendidus, conſul cum Catilio Seuero. Hic in omni vita priuata in agris frequentiſſimè vixit:ſed clarus in locis omnibus fuit. Ab Adriano inter quatuor conſulares, quibus Italia committebatur, electus eſt ad eam partem Italiæ regendam in qua plurimùm poſſidebat, vt Adrianus viri talis & honori conſuleret & quieti. Huic quum Italiam regeret, imperij omen factum eſt. Nam quum tribunal aſcēdiſſet, inter alias acclamationes dictum eſt, *Auguſte, dii te ſeruent.* Proconſulatum Aſiæ ſic egit, vt ſolus auum vinceret. In proconſulatu etiam ſic imperij omen accepit. Nam quum ſacerdos fœmina Trallis ex more proconſules ſemper hoc nomine ſalutaret,non dixit, *Aue proconſul,* ſed, *Aue imperator.* Cyzici etiam de ſimulacro dei ad ſtatuam eius corona tranſlata eſt. Et poſt conſulatum in viridario taurus marmoreus, cornibus ramis arboris accreſcen

Cognomen illuſtre, cuius ratio additur.

Tēperantia.

Functiones publicæ, ſumma cū laude adminiſtrata.

Imperij futuri omina, & quidem multiplicia.

ſcentibus, appenſus eſt. Et fulgur cœlo ſereno ſine noxa in eius domum venit. Et in Hetruria dolia quæ defoſſa fuerant, ſupra terram reperta ſunt. Et eius ſtatuas in omni Hetruria examen apum repleuit. Et ſomnio ſæpe monitus, ſe penitus eius Adriani ſimulacrum inſerere. Proficiſcens ad proconſulatum, filiam maiorem amiſit. De huius vxore multa dicta ſunt ob nimiam libertatem & viuendi facilitatem, quæ iſte cum animi dolore compreſſit. Poſt procõſulatum, in conſiliis Adriani Romæ frequens vixit, de omnibus de quibus Adrianus conſulebat, mitiorem ſententiam ſemper oſtendens.

Tot bona autem, incommodis coniugij turbantur.

Genus adoptionis Antonini.

2 GENVS ſane adoptionis tale fertur: Mortuo Aelio Vero quem ſibi Adrianus adoptauerat, & Cęſarem nuncupauerat, dies ſenatus habebatur. Eò Arrius Antoninus ſoceri veſtigia leuãns venit, atque idcirco ab Adriano dicitur adoptatus: quę cauſa ſola eſſe adoptionis nec potuit omnino nec debuit, maximè quum & ſemper rempub. bene egiſſet Antoninus, & in proconſulatu ſe ſanctum grauémque præbuiſſet. Ergo eum quum Adrianus adoptare ſe velle publicaſſet, acceptum eſt ſpatium deliberandi vtrum arrogari ab Adriano vellet. Adoptionis lex huiuſmodi data eſt: vt quemadmodum Antoninus ab Adriano adoptabatur, ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum fratris vxoris ſuæ filium, & L. Verum, Aelij Veri qui ab Adriano adoptatus fuerat, filium, qui poſtea Verus Antoninus eſt dictus. Adoptatus eſt v. Calend. Martias die, in ſenatu gratias agens quòd de ſe ita ſenſiſſet Adrianus: factúſque eſt patri & in imperio proconſulari & in tribunitia poteſtate collega. Huius primum hoc fertur, quòd quum ab vxore argueretur quaſi parum neſcio quid ſuis largiens, dixerit, *Stulta, poſteaquam ad imperium tranſiuimus, & illud quod habuimus antè perdidimus.* Congiarium militibus ac populo de pro-

Lex adoptionis.

Quo die, & quomodo tunc ſe geſſerit.

Eiuſdem ad vxorem, ſcite dictum.

prio dedit, & ea quæ pater promiserat. Et ad opera Adriani plurimum contulit: & aurum coronarium, quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit. Et patri quoad vixit, religiosissime paruit. Sed Adriano apud Baias mortuo, reliquias eius Romam peruexit sanctè ac reuerenter, atque in hortis Domitiæ collocauit: etiã repugnantibus cunctis, inter diuos eum retulit. Vxorem Faustinam, Augustam appellari à senatu permisit: Pij appellationem recepit. Patri & matri atque auis & fratribus iam mortuis, statuas decretas libenter accepit. Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis. Clypeum Adriano magnificentissimum posuit, & sacerdotes instituit.

Liberalitas.

Pietas erga parentes & Adrianum.

3 FACTVS imperator nulli eorum quos Adrianus prouexerat, successorem dedit. Fuitque ea constantia vt septenis & nouenis annis in prouinciis bonos præsides detineret. Per legatos suos plurima bella gessit. Nam & Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio muro cespititio submotis barbaris ducto: & Mauros ad pacem postulandam coegit: & Germanos & Dacos & multas gentes atque Iudæos rebellantes contudit per præsides ac legatos. In Achaia etiam atque Aegypto rebelliones repressit. Alanos molientes sæpe refrænauit: procuratores suos modestè suscipere tributa iussit: excedentes modum, rationem factorum suorum reddere præcepit: nec vnquam lætatus est lucro quo prouincialis oppressus est. Contra procuratores suos conquerentes libenter audiuit. His quos Adrianus damnauerat, in senatu indulgentias petiit, dicens, etiam ipsum Adrianum hoc fuisse facturum. Imperatorium fastigium ad summam ciuilitatem deduxit. Vnde plus creuit recusantibus aulicis ministris, qui illo nihil per internuntios agente, nec terrere poter

Principis maxima prudentia, fidorum ministrorũ opera diu vti.

Per legatos, modò fortes, bella gerere

Tributa modestè suscipere, & publicos prædones coercere

Sanguini humano parcere.

poterant homines aliquãdo,nec ea quæ occulta non erant vendere. Senatui tantùm detulit Imperator, quantum quum priuatus esset deferri sibi ab alio principe optauit. Patris patriç nomen delatum à senatu, quod primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit. Tertio anno imperij sui Faustinam vxorem perdidit: quæ à senatu consecrata est, delatis circensibus atque templo, & flaminicis & statuis aureis atque argenteis: quum etiam ipse hoc concesserit vt imago eius cunctis circẽsibus poneretur. Statuam auream delatam à senatu positam suscepit. M. Antoninum quæstorem, consulem petente senatu creauit. Annium Verum, qui postea dictus est Antoninus, ante tempus quæstorem designauit: neque de prouinciis neque de vllis actibus quicquam constituit nisi quod prius ad amicos retulit: atque ex eorum sententia formas composuit. Visus est sanè ab amicis, & cum priuatis vestibus, & domestica quædam gerens. ¶Tanta sanè diligentia subiectos sibi populos rexit vt omnia & omnes, quasi sua essent, curaret. Prouinciæ sub eo cunctæ floruerunt. Quadruplatores extincti sunt. Publicatio bonorũ rarior quàm vnquam fuit, ita vt vnus tantùm proscriberetur affectatæ tyrannidis reus, hoc est, Attilius Titianus senatu puniente, à quo cõscios requiri vetuit, filio eius ad omnia semper adiuto. Periit & Priscianus reus affectatæ tyrannidis, sed morte voluntaria. De qua coniuratione quæri vetuit.

Mures palatinos arcere, ac consiliariis multùm deferre

Successores quocunque iure designatos honorib. publicis afficere.

Amicos non negligere.

Subiectos sibi populos diligenter curare.

Clementiâ potius quàm seueritate agere.

4 VICTVS Antonini Pij talis fuit, vt esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa eius per proprios seruos, proprios aucupes, piscatores & venatores instrueretur. Balneum quo vsus fuisset, sine mercede populo exhibuit: nec omnino quicquam de vitæ priuatæ qualitate mutauit. Salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere, dicens, *Nihil esse sordidius, imò crudelius,*

Priuatæ vitæ etiam ratio, & qualis, habẽda.

Otiosi minimè alendi.

quàm si remp. ii arroderent qui nihil in eam suo labore conferrent. Vnde etiam Mesomedi lyrico salarium imminuit. Rationes omnium prouincialium apprimè sciuit & vectigalium. Patrimonium priuatum in filiam contulit: sed fructus reipub. donauit. Species imperatorias superfluas & prædia vendidit: & in suis propriis fundis vixit variè ac pro temporibus: nec vllas expeditiones obiit nisi quòd ad agros suos præfectus est ad Campaniam, dicens, *grauem esse prouincialibus comitatum principis etiam nimis parci*: & tamen ingenti autoritate apud omnes gentes fuit, quum in vrbe propterea sederet, vt vndique nuntios medius, vtpote citius, posset accipere. Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit. Puellas alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit. Opera eius hæc extant Romæ, Templum Adriani honori patris dicatum, Græcostadium post incendium restitutum, instauratum amphitheatrum, sepulcrum Adriani, templum Agrippæ, pons sublicius, phari restitutio, Caietæ portus, Tarracinensis portus restitutio, lauacrum Ostiense, Antiatum aquæ ductus, templa Lanuuiana. Multas etiam ciuitates adiuuit pecunia, vt opera vel noua facerent, vel vetera restituerent: ita vt & magistratus adiuuaret, & senatores vrbis ad functiones suas. Hæreditates eorum qui filios habebant, repudiauit. Primus constituit ne pœnæ causa legatum relictum maneret: successorem viuenti bono iudici nulli dedit, nisi Orphito præfecto vrbi, sed petenti. Nam Gauius Maximus præfectus prætorij vsque ad xx. annum sub eo peruenit, vir seuerissimus, cui Tatius Maximus successit. In cuius demortui locum duos præfectos substituit, Fabium Repentinum & Cornelium Victorinum. Sed Repentinus famosa voce percussus est quòd per concubinam principis ad præfecturam venisset. Vsque-

adeo

Rationes etiam publica rei tenenda.

Domaniique persona lis & principis discrimen constituendum.

Populi itẽ, militum, familiarũ ratio habẽda.

Aedificia publica conseruanda, instaurãda, & (quum opus est) à fundamentis extruenda.

Leges constituẽda, prout necessitas postulat.

In præfectis substituẽdis cautio adhibenda.

adeo ſub eo nullus percuſſus eſt ſenator, vt etiam parricida cõfeſſus in inſula deſerta poneretur, quia viuere illi naturæ legibus non licebat. Vini, olei, & tritici penuriam per ærarij ſui damna emendo & gratis populo dando, ſedauit.

Annona curanda.

5 ADVERSA eius temporibus hæc proueneru͂nt: Fames, de quâ diximus, circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt: quæ omnia mirifice inſtaurauit. Et Romæ incendium, quod trecentas quadraginta inſulas vel domos abſumpſit. Et Narbonenſis ciuitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe forum arſit. Fuit & inundatio Tiberis. Apparuit & ſtella crinita. Natus eſt & biceps puer; & vno partu mulieris quinque pueri editi ſunt. Viſus eſt in Arabia iubatus anguis maior ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mœſia in culminibus arborum natum eſt. Quatuor præterea leones manſueti, ſponte ſe capiendos in Arabia præbuerunt. Pharaſmanes rex ad eum Romam venit, plúſque illi quàm Adriano detulit. Pacorum regem Ladis dedit. Parthorum regem ab Armeniorum expugnatione ſolis literis repulit. Abagarum regem ex orientis partibus ſola autoritate deduxit. Cauſas regales terminauit. Sellam regiam Parthorum regi repetenti quam Trajanus ceperat, pernegauit. Rimetalcen in regnum Boſphoranum, audito inter ipſum & curatorem negotio, remiſit. Olbiopolitis contra Tauroſcythas in Pontum auxilia miſit: & Tauroſcythas vſque ad dandos Olbiopolitis obſides vicit. Tantum ſanè autoritatis apud exteras gentes nemo habuit, quum ſemper amauerit pacem, eouſque vt Scipionis ſententiam frequentarit, qua ille dicebat, *Malle ſe vnum ciuem ſeruare quàm mille hoſtes occidere.* Menſes Septembrem atque Octobrem, Antoninum atque Fauſtinum appellandos

Quibus incommodis preſſum ſit Rom. imperiu͂ ſub Antonino. ounts quidem occulta, ſed iuſta, ſummi rerum arbitrij iudicia.

Principis pij & iuſti maxima eſt autoritas, non modò in ſubditos, veru͂ etiam erga exteros.

Pacis et clementia amor maximum decus ac monimentum.

decreuit senatus, sed id Antoninus respuit. Nuptias filiæ suæ Faustinæ, quum Marco Antonino eam coniungeret, vsque ad donatiuum militum celeberrimas fecit. Verum Antoninum post quæsturam consulem fecit. Quum Apollonium quem Chalcide acciuerat, ad Tiberianam domum in qua habitabat vocasset, vt ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixisset, *Non magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad magistrum*, risit eum dicens, *Facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam venire quàm à domo sua in palatium*: cuius auaritiam etiam mercedibus notauit.

Apollonius superbus præceptor à sapiente principe irrisus.

6 INTER argumenta pietatis eius & hoc habetur quòd quum Marcus mortuum educatorem suum fleret, vocaretúrque ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis, ipse dixerit: *Permittite* (inquit) *illi vt homo sit: neque enim vel philosophia vel imperium tollit affectus.* Præfectos suos & locupletauit & ornamentis consularibus donauit: siquos repetundarum damnauit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege vt illi prouincialibus redderent quod parentes acceperant. Ad indulgentias pronissimus fuit. Edita munera in quibus elephantos, & crocutas, & tigrides, & rhinocerotas, & crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones vna missione edidit. Amicis suis in imperio suo non aliter vsus est quàm priuatus: quia & ipsi nunquam de eo cum libertis suis per fumum aliquid vendiderunt: siquidem libertis suis seuerissimè vsus est. Amauit histrionum artes: piscando se & venando multùm oblectauit, & deambulatione cum amicis atque sermone. Vindemias priuati modo cum amicis agebat. Rhetoribus & philosophis per omnes prouincias & honores & salaria detulit. Orationes plerique alienas esse

Virtutes Antonini.

Pietas & humanitas.

Liberalitas.

Indulgẽtia.

Magnificentia in spectaculis.

Benignitas erga amicos

Seueritas in libertos.

Comitas.

Prudentia.

esse dixerunt quæ sub eius nomine feruntur: Marius Maximus eius proprias fuisse dicit. Conuiuia cum amicis & priuata communicauit & publica: nec vllum sacrificium per vicarium fecit, nisi quum æger fuit. Quum sibi & filiis honores peteret, omnia quasi priuatus fecit. Frequentauit & ipse amicorum suorum conuiuia. Inter alia etiam hoc ciuilitatis eius præcipuum argumentum est, quòd quum domum Omuli visens, mirànsque columnas porphyreticas, requisisset vnde eas haberet: atque Omulus ei dixisset, *Quum in domum alienam veneris, & mutus & surdus esto*, patienter tulit. cuius Omuli multa ioca semper patienter accepit. Multa de iure sanxit, vsúsque est iuris peritis, Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello, & Iaboleno. Seditiones vbicunque factas, non crudelitate, sed modestia & grauitate compressit. Intra vrbes sepeliri mortuos vetuit. Sumptum muneribus gladiatoriis instituit. Vehicularium cursum summa diligentia subleuauit. Omnium quæ gessit, & in Senatu & per edicta rationem reddidit.

Eruditio. *Familiaritas.* *Modestia.* *Ciuilitas.* *Aequitatis studium.* 12 *Clementia.* *Grauitas.* *Mēs sincera*

7 PERIIT anno septuagesimo: sed quasi adolescens desideratus est. Mors autem eius talis fuisse narratur: Quum Alpinum caseum in cœna edisset auidiùs, nocte reiectauit, atque alia die febre commotus est. Tertia die quum se grauari videret, Marco Antonino rempubl. & filiam præsentibus præfectis commendauit, Fortunámque auream quæ in cubiculo principum poni solebat, transferri ad eum iussit: signum tribuno ęquanimitatis dedit, atque ita conuersus quasi dormiret, spiritum reddidit. Apud Lorium alienatus in febri, nihil aliud quàm de republ. & de his regibus quibus irascebatur, loquutus est. Priuatum patrimonium filiæ reliquit. Testamento autem omnes suos legatis idoneis prosequutus est. Fuit statura eleuata

Placida vita placidus exitus. *Fortuna aurea in cubiculo Imperatoris.* 13. *Testamentū Adriani.*

decorus. Sed quum esset longus & senex incuruaretúrque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, vt rectus incederet. Senex etiam antequam salutatores venirent, panem siccum comedit ad sustentandas vires. Fuit voce rauca & sonora. Cum iucunditate à Senatu diuus est appellatus, cunctis certatim admittentibus: quum omnes eius pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent, decreti etiam sunt omnes honores qui optimis principibus antè delati sunt. Meruit & flaminem & circenses & templum & sodales Antoninianos: solúsque omnium propè principum prorsus sine ciuili sanguine & hostili, quantum ad seipsum pertinet, vixit: & qui ritè comparatur Numæ, cuius felicitatem pietatémque & securitatem ceremoniásque semper obtinuit.

Eiusdē apotheosis, decreto Senatus, & more ethnico.

Eximia laus Antonini.

DIONIS NICÆI

M. Antoninus Philosophus.

BREVIARIVM.

1 *M. Antoninus Lucium Verum participem imperii, deinde generum sibi adsciscit. Caßius Veri iussu Parthos debellat, & Marcus populis circa Istrum occurrit.*

2 *Bellum aduersus Celtas, Marcomanos, & Bucolos in Aegypto.*

3 *M. Antonini virtutes & pacis artes egregiæ. Iazyges mira ratione victi à Romanis.*

4 *Bellū aduersus Quados, cuius exitus M. Antonino felicißimus, propter legionis Christianæ, quæ fulminatrix cognominata est, pietatem.*

5 *Caßius*

5 Cassius, à Faustina deceptus, falsóque rumore de M. Antonini morte sparso, imperium in Oriente arripit. aduersus quem placida & sapientissimo principe digna oratione ad milites M. Antoninus inuehitur.

6 Dum barbaras nationes debellat M. Antoninus, Cassius in Syria interficitur, eiúsque fautores clementer reuocantur ad officium. Faustina mortua desideratur, cui vt & marito summi decernũtur honores.

7 Liberalitas, humanitas atque magnificentia M. Antonini erga Athenienses, populum Romanum, & multas ciuitates. Eiusdem modestia, & Scythæ cruento prælio debellati.

8 M. Antoninus decimùm Imperator appellatus decedit è vita, peremptus à medicis. Virtutum eiusdem repetitio.

I POSTEAQVAM M. Antoninus, mortuo Antonino à quo fuerat adoptatus, principatum adeptus est, statim socium & participem imperij cepit Lucium Verum, Lucij Commodi filium, eo quòd ipse erat imbecillis deditúsque studiis literarum. Ferunt enim non erubuisse eum, quum esset Imperator, nec puduisse vnquam ad doctorem proficisci, sed adisse crebrò Sextum Bœotum philosophum, & ad audiendas Hermogenis dissertationes rhetoricas studiosè venisse, maximè autem Stoicorum decretis addictus fuit. Lucius verò robustus & adolescens erat, tum etiam ad rem militarem aptior. Huic Marcus Lucillam filiam suam in matrimonium dedit, generúmque factum ad bellum cum Parthis gerendum misit, quòd Vologæsus prior bellum intulerat, quódque omnem exercitum Romanum collocatum à Seueriano ad Elegiam, Armeniæ locum vndique concluserat, & vnà cum ipsis ducibus, assidua sagittarum immissione confecerat, Syriæque vrbes subinde magno

Sapiens Princeps nõ quærit quæ sua sunt, sed rẽpub. curat.

Ingenio indulget, quã tum publica commoda patiuntur.

Potentes hostes maturè coercere studet.

numero magnóque terrore incursarat. Lucius, vt venit Antiochiam, comparato maximo militum numero, & optimis ducibus delectis, ipse in oppido remansit, vt inde constitueret omnia, & commeatum militibus compararet, Cassio exercitu permisso. Cassius adorientem se Vologæsum fortiter sustinuit, desertúmque tandem a sociis ac terga vertentem insequutus, Seleuciam & Ctesiphontem venit: deinde vastata Seleucia atque incensa, regias Vologæsi quæ in vrbe Ctesiphonte erant, solo æquauit. Quum autem reuerteretur, magnum numerum militum amisit, qui partim fame enecti, partim morbo extincti sunt, rediitque in Syriam cum reliquis militibus. His de rebus quanquam maxime gloriabatur Lucius, tamen ei fortuna ad extremum non fauit, quòd aliquanto tempore pòst Marco socero suo insidias parasse dicitur, esséque veneno sublatus antequam negotium conficeret. Marcus Cassium toti Asiæ præesse iussit: ipse barbaris qui circum Istrum sunt, Iazygibus & Marcomanis, nunc his, nunc illis continenter, quandiu vixit, bella intulit: quibus in bellis Pæonia fuit ei receptaculum.

Cassius belli dux fortissimus, post à sua fortuna euertitur.

Bellorum in longinquis regionib. gestorum incômoda.

2 EODEM tempore Celtæ, qui trans Rhenum incolunt, venêre vsque in Italiam, attuleréque Romanis maxima ac grauissima incommoda: quibus Marcus occurrit, Pompeiano atque Pertinace legatis exercitus factis. quo in bello optimè se gessit Pertinax, qui postea Imperator factus est. Inter cadauera barbarorum, corpora mulierum armata reperta sunt. Confecto maximo prælio, partáque insigni victoria, Imperator quùm rogatus esset a militibus pecuniam, tamen non dedit, quòd diceret *si quid plus quàm esset constitutum acciperent, id ex sanguine parentum ipsorum propinquorúmque exactum iri. Principis enim solum Deum iudicem esse posse.* Adeo enim temperans & continens erat in imperio, vt quum tot tantáque bella

Imperium Rom. vt prædator leo, omnes populos inuadẽs, vndique premitur: sed victor euadit, quandiu æquitate & concordia ciues suos continuit in officio.

bella gereret, nihil faceret contrà quàm fas esset, assentationis aut timoris causa. Quum autem Marcomanis in aliquo prælio bene successisset, ab iisque Vindex Marci legatus interfectus esset, tres ei statuas posuit: illis verò superatis, *Germanicus* appellatus est. Germanos enim eos qui in superioribus locis habitant, appellamus. Adhæc motus eorum, qui *Bucoli* in Aegypto dicuntur, factus est, cæteris Aegyptiis a sacerdote quodam & Isidoro ad defectionem solicitatis. Hi enim primò ornati muliebri vestitu, simulantésque se vxores Bucolorum esse, Romanóque Centurioni aurum pro viris suis daturas, eum accedentem ad se dolose interfecerunt, mactatóque eius comite coniurauerunt super visceribus eius, quæ etiam ad extremum comederunt. Hic Isidorus fortitudine omnibus hominibus suæ ætatis antecelluit. Quúmque vicissent Romanos in Aegypto, penè cepissent Alexandriam, nisi Cassius, dux e Syria, aduersum eos missus, discordiam seditionémque ita inter ipsos concitauisset, vt à se ipsi distraherentur. Nam propter eorum desperationem atque multitudinem, Romani non sunt ausi cum eis aperto prælio congredi, sed eos Cassius tumultuantes oppressit. In bello autem quod Marcus cum Germanis gerebat (vt hæc quoque memoria dignemur) quidam adolescentulus seruus Marco, nescio quid interroganti ita ait, *Præ frigore non possum tibi respondere: quamobrem si quid ex me vis cognoscere, iube mihi vestem, siquam habes, dari.* Præterea miles quidam quum esset noctu in Danubij custodia, audirétque trans flumen clamorem captorum militum, statim, vt erat, enatauit: & quum liberasset captos, reuertit. Erat Marco Rufus Basæus præfectus prætorio, vir bonus, sed propter rusticitatem ignarus literarum. puer enim in paupertate educatus fuerat. Hunc vitem arbustiuam aliquando frondantem, inclamauit

Marci temperantia inprimis imitanda.

Bucolorum Aegyptiorũ seditio prudẽter à Cassio repressa.

Strategema aduers. seditiosos & perduelles maximè obseruandum.

Peculiaria quædam in bello Germanico gesta, quæ Dion memoratu digna putauit.

quidam: & quum ad primam postulationem non statim descenderet, increpans eum, *Saltem ergo praefecte*, inquit, *descende.* quo dicterio ille quidem superbum eum in humili conditione notauit: fortuna tamen istam ei dignitatem postea contulit.

M. Antonini in iure reddendo & causis examinandis diligens patientia.

3 IMPERATOR autem quoties bellis non impediebatur, solebat ius reddere, iuberéque multos modios aquae oratoribus dari. In causis autem diligenter cognoscendis atque examinandis paulò longior esse, vt vndecunque ius inuestigaret. nam de eadem causa dies XI, & saepe XII etiam noctu cognouit. Quum enim esset amans laboris, tum verò diligenter applicabat animum ad omnia quae ad principatum pertinerent. Nihil dicere solebat, nihil scribere aut facere negligenter, sed vel in minimis rebus diem saepenumerò consumere: quòd existimaret *non decere Imperatorem properè quicquam agere.* Siquid enim praetermisisset vel in minimis rebus, non putabat se posse in caeteris calumniam effugere. Et tamen erat valetudine vsqueadeo infirma, vt non modo frigus initio sufferre non posset, sed etiam antequam milites, ex iussu iam congregatos, alloqueretur, secederet paululùm, ac modico cibo (idque noctu) semper vteretur. Nihil enim capiebat interdiu praeter medicamentum quod Theriacum appellant: quod pharmacum non tam sumebat timoris causa, quam quòd erat infirmo stomacho & pectore, vt eum ob hanc causam huic rei & caeteris potuisse sufficere arbitrentur. Eo tempore tandem Romani Iazygas vicêre, primùm in terra, post etiam in flumine, non quod nauale praelium factum sit, sed quòd conglaciato Danubio fugientes consequuti, in eo perinde atque in continente pugnauerunt. Nam Iazyges, quum Romanos se ponè sequi intelligerent, sperarentque facile se posse eos conficere, quòd glaciei essent insueti, impetum sustinendum

In administratione conscientia verè philosophica.

Officij sui nõ valetudinis habita ratione.

Iazyges inuicti populi, tandem à Romanis bellico dolo deuicti.

dum putauerunt. Ergo Romanos à fronte alij adoriuntur, alij a lateribus irruunt, quod eorum equi in huiusmodi glacie currere tutò didicerant. Qua re animaduersa, Romani nihilo magis timent, sed conuersi aduersique facti hostibus, magna pars scuta deponunt; atque quo minùs cadant, in iis alterum pedem firmant. Hoc pacto eorum impetum primò sustinent, arreptísque alij frenis, alij scutis & contis, eos ad se trahunt; atque exinde consertis manibus, sessores & equos pariter deiiciebant. præ violentia enim lapsationi nõ ampliùs obniti poterant. quanquam enim etiam Romani cadebant, tamen siue quis eorum caderet supinus, hostem pedibus trahebat, atque vt in lucta fieri solet, ita retro proiiciebat vt eo superior esset: siue pronus caderet, hostem, qui antè ceciderat, carpebat dentibus. Nam barbari, ignari & rudes pugnæ huius generis, quódque leuioris erant armaturæ, resistere minùs poterant. ex quo factum est vt pauci de multis effugerint. Igitur Marcus multis magnísque prælis factis aditísque periculis, Marcomanos & Iazygas subegit.

Pugnãdi modus ad tempora, loca, & homines accõmodatus.

Romani strenuissimi milites.

4 Post hęc prælium acre bellúmque magnum cum iis qui Quadi appellantur, fuit: quo ex bello victoria præter spem, vel potiùs Dei beneficio, consequuta est, propterea quòd Romani, quum essent in prælio atque in maximum periculum venissent, mirabiliter sane ac diuinitus conseruati sunt. Quum enim interclusi a Quadis in locis opportunis conferti pugnarent fortiter, atque interim barbari differrent prælium, sperantes eos calore & siti perituros, quos circùm occupatis locis omnibus sic concluserant (erant enim multo plures) vt aquam habere nullo pacto possent: quúmque Romani in tantas difficultates incurrissent, vt lassitudine, vulneribus, ardore solis, ac siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent aut aliò secedere, sed in acie stãtes,

Bellorũ & præliorũ felix euentus à vero Deo petendus & expectãdus.

atque in locis constitutis arderent, nubes derepente ita coactæ sunt vt maximus imber aquæ ceciderit, non sine Dei beneficio. Fama est Arnuphin magum Aegyptium, qui vna cum Marco erat, Mercurium illum qui est in aere, aliósque dæmonas quibusdam artibus magicis inuocauisse, ac per eos pluuiam extorsisse. Hæc quidem a Dione dicuntur, sed is mihi mentiri videtur, volens an inuitus, nescio, volentem magis arbitror: quum non ignoret legionem militum quę κεραυνοϐόλος, *i. fulminatrix* appellatur proprio nomine (eius enim mentionem facit in recensione cæterarum) ex nulla alia causa (neque enim alia circunfertur) quàm ex ea quæ in eo bello accidit, id nomen accepisse. Atque hæc tunc & Romanis salutis, & barbaris exitij fuit causa: non Arnuphis magus. Neque enim magorum consuetudine præstigiisque Marcum delectatum fuisse, vllis historiis est proditum. Quod igitur in hac re dico, tale est. Quum Marcus legionem vnam haberet ex militibus Melitenis (hi omnes Christum colunt) ad eum præfectus prætorianorum venit, nescientem in illo prælio quid consilij caperet, timentémque toti exercitui, eique fertur dixisse, nihil esse quod ij qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint, esséque legionem vnam in exercitu hominum huius generis. Qua re cognita, Marcum ab iis petiisse vt Deo suo supplicarent. Quod quum fecissent, Deum eos exaudisse subitò, percussisséque hostes fulmine, ac Romanos pluuia recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum, edicto Christianos honore affecisse, ipsámque legionem *Fulminatricem* appellasse: atque his de rebus epistola Marci extare dicitur. Græci quidem sciunt eam legionem κεραυνοϐόλον appellari, eiúsque rei testes sunt: causam verò cur ita appellata sit, non dicunt.

Quod autẽ à Dione Ethnico scriptore, partim obscurè, partim falsò narratur, Xiphilinus emẽdat. exercituum enim Deo laus omnis est tribuẽda.

Christianorũ hominũ eximium priuilegium.

Ethnicus princeps collatum in se suósque beneficium vtcũque agnoscit. Epistola

Dion

Dion addit, Romanos quum primùm pluuia caderet, omnes suspexisse in cœlum, eámque in ora recepisse: deinde scutis galeisque subiectis inde sorbsisse largiter, equisque ad bibendum dedisse: quúmque barbari in ipsos impetum facerent, bibentes simul pugnasse, compluresque saucios sanguinem infusum in galeas, simul cum aqua absorbuisse. Hi propterea grauia damna accepissent vrgentibus hostibus, quòd magna ex parte in bibendo erant occupati, nisi vehemens grando, compluráque fulmina in hostes cecidissent. Itaque licebat videre in eodem loco aquam ignémque simul de cælo cadere, & hi quidem humectabantur ac bibebant, illi autem igni exurebantur & interibant: nec Romanos ignis contingebat, sed sicubi forte ad eos appropinquasset, statim extinguebatur: nec barbaros iuuabat pluuia, sed magis immissas eis flammas, velut oleum, excitabat, ita vt aquam requirerent pluuia perfusi, infligerentque sibi vulnera, quò ignem sanguine restinguerent. Pars confugiebat ad Romanos, quasi illis tantummodò aqua salutaris esset: sed eorum Marcus misertus est, eóque facto à militibus septimùm *Imperator* appellatur. Quod etsi admittere nô consueuerat priusquam esset decretum a Senatu, tamen non repudiauit, quasi id diuinitus acciperet: de quo etiam ad Senatum scripsit. Faustina quoque, *Mater exercituum* appellata est. Pertinax autem ob res præclare gestas consul est factus, cuius causa multi indignati sunt, propterea quòd erat obscuro loco natus, canebántque illud tragicum,

Τοιαῦθ᾽ ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται,

Talia infelix bellum efficit: videlicet ignorantes eundem principem Romanum fore.

5 QVVM autem Cassius res nouas moliretur in Syria, Marcus vehementer perterritus, Commodum filium (is iam ephebus erat) accersiri ex vrbe

autē huius à Marco scripta meminerunt Euseb. lib. 5. cap. 5. Tertull. in apolog. cap. 5. & alibi. Oros. lib. 7. ca. 5. Vide etiā Vlpian. l. generaliter. §. fin. ff. de decur.

M. Antonini post victoriam è cælis veluti delapsam modestia.

Prosperi principū successus, funestis ciuilium bellorū turbinibus agitantur.

iubet. Erat Cassius Syrus ex Cyri regione, vir optimus, qualem Imperatorem habere esset optabile: nisi quod erat filius cuiusdam Heliodori, qui sibi gratulabatur quòd ob rhetorices peritiam, ad præfecturam Aegypti peruenisset. Id facinus graue Cassius fecit, deceptus à Faustina, quæ, quum virum suum imbecillum esse animaduerteret, (ea erat Antonini Pij filia) sperarétque breui tempore moriturum, timuit ne si principatus ad alium deueniret, (quòd Commodus iuuenis adhuc & simpliciori esset indole) ipsa priuatam vitam agere cogeretur. Itaque Cassio secretò persuasit vt se compararet, quò, si quid Antonino accidisset, ipsum simul cum Imperio caperet. Hæc dum secum Cassius reputat, nuncius de interitu Marci perfertur, vt solent ista semper in deteriorem partem diuulgari. Quamobrem statim affectauit Imperium, nulla adhibita maiore diligentia in veri cognitione: quasi verò fuisset antè ab exercitu, qui tum erat in Pannonia, Imperator designatus. Et quanquam non ita multò pòst verum resciuit, tamen, quòd semel motum fecerat, de sententia decedendum sibi esse non putauit, sed omnia quæ intra Taurum erant, cepit breui temporis spatio, & sibi Imperium armis comparare statuit. Marcus, cognita Cassij rebellione per Verum qui Cappadociam obtinebat, primò rem dissimulàt celátque: pòst vbi milites perlato rumore commoueri vehementer cœperunt, ac multa colloqui, eos conuocauit, atque talia recitauit, *Etsi, inquit, huc veni, commilitones, non succensendi aut lamentandi causa (cur enim Deo succensere oportet in cuius potestate sunt omnia?) tamen eos qui meritò infelices sunt, aduersam fortunam lamentari necesse est: quod mihi euenit hoc tempore. Quàm enim graue est & molestum bella nobis ex bellis existere? quàm porrò calamitosum cum eo confligere qui eiusdem generis sit? quàm verò vtroque grauius est atque calamitosius,* *fidem*

Faustina, mulier astuta, & dominationis cupida, nihil non intentatum relinquit, vt ambitioni suæ consulat. Sequentium seculorũ imago, & quidẽ nouis coloribus superinductis, reposita.

Ambitio cæca, nescit retro ferre pedẽ.

Ciuilis belli incendium qua sedulitate & prudentia extinguendũ sit, docet Marcus, eximia illa sua oratione, dignissima certè quæ non in arce Mineruæ, vt aiũt,

fidem in hominibus nullam esse, fierique mihi insidias ab homine amicißimo, méque inuitum, nulla facta iniuria nulloque commisso delicto in certamen venire? Quæ virtus vnquam tuta aut quæ amicitia firma existimabitur, si mihi hæc facta est iniuria? nónne fides, nónne spes omnis amissa est? Quòd si meum tantùm esset periculum, nihili certe facerem (nec enim natus sum immortalis:) nunc autē quum publica facta sit defectio, vel rebellio potius, bellúmque ad nos omnes pariter pertineat, vellem, si fieri vllo modo posset, euocare Caßium, cum eóque apud vos aut apud senatum iure contendere; tum enim ego nullo prælio facto imperium ei libenter cederem, si ita publicæ vtilitati conducere videretur. Etenim pro republica perpetuos labores sustineo, qui tandiu hîc longè ab Italia commoratus sum, homo iam senex & imbecillis, vt neque cibum suauem neque somnum vacuum curis poßim capere. Sed quoniam Caßius mecum nollet in hac causa conuenire (quo pacto enim mihi credat is qui mihi tam infidus fuerit?) vos oportet commilitones forti animo esse: nec enim Cilices, Syri, Iudæi, Aegyptii, vobis fuerūt vnquam aut erunt potiores: non si millies, quanto nunc pauciores sunt quam vos, tanto plures cōgregentur. Sed neque Caßii ipsius (quanquam videtur esse optimus Imperator, multáque prosperè gesisse) ratio vlla haberi debet. Non enim aquila gallulorum dux, aut leo hinnulorum aptus esse ad bellum gerendum potest. Iam verò illud Parthicum & Arabicum bellum non Caßius sed vos confecistis. Quòd si ille, præsertim ex rebus contra Parthos gestis, habet gloriam, vos quoque Verum habetis non modo non inferiorē illo, sed multò etiam potiorem, à quo longè plura bello victa & parta sunt. Quinetiam iam illum pœnitere fortasse cœpit quòd me viuere intelligit: nunquam enim id, nisi mortuo me, fecisset. Quòd si manet adhuc in proposito susceptóque consilio, tamē quum profectionem nostram intellexerit, omnino resipiscet: vos enim metuet, me reuerebitur. Itaque tantùm illud vereor, commilitones (licet enim apud vos verum dicere) ne aut ipse manus sibi afferat, quòd pudore scilicet adductus non

Sed in Principū omniū mentib. conseruetur. Et cuius quot lineæ, tot sententiæ, & quidem auro meliores. Quæcunque enim adhibe ri possunt argumenta vt perduellium scelus depingas & subditorū animos tibi cōcilies, oratio hæc luculēter exhibet, & in Marco, optimi Principis patriæque parentis ingenium ac mentem aperit.

audebit in conspectum nostrum venire, aut alius cognito aduentu meo, quòd contra illum proficiscar, id faciat. Mihi enim permagnum præmium belli atque victoriæ, quantum vnquam accepit nemo, auferet. Quod verò præmium dicet aliquis? homini qui iniuriam fecerit, ignoscere: eique qui amicitiam fidémque violauerit, amicum & fidelem permanere. Quæ etsi vobis fortasse videntur esse incredibilia, tamen ea vobis oportet persuaderi. non enim bona omnia ex hominibus prorsus exterminata sunt, sed sunt adhuc apud nos antiquæ virtutis reliquiæ. Quòd si quis mihi fidem non habeat, tanto cupio vehementiùs ea quæ videntur fieri non posse, facta ante oculos omnium ponere. Hæc enim sola mihi ex malis præsentibus foret vtilitas, si possem re optimè confecta ostendere cunctis hominibus, nos quoque bellis ciuilibus bene vti posse.

Etiamsi causa valeant, & causam tuentibus armis boni Principes, nihilominus tamen intra modestiæ limites affectus suos cõtinent. Cassius antẽ per duelliũ qui ferrũ in lingua gerunt, turpitudinẽ summã damnat: eiúsque repentina oppressio docet, huiusmodi hominum felicitatẽ esse momẽtaneã.

6 HAEC Marcus & apud milites concionatus est, & ad Senatum scripsit, nihil Cassium criminatus, nisi quod illum crebrò ingratum vocabat. Cassius quoque de Marco nihil vnquam dixit contumeliosè aut scripsit. Dum Marcus se ad bellum ciuile comparat, multæ ei victoriæ ex plerisque barbaris nationibus, ac mors ipsius Cassij nuntiatur. Nam in Cassium ambulantem irruit Antonius centurio, eúmque de improuiso secundum ceruicem vulnerauit: quanquam id vulnus non fuit mortiferum, propterea quòd Antonius impetu equi concitatus, facinus imperfectum reliquit, ita vt ille fere euaderet, nisi eum decurio interim confecisset. Hi, abscisso eius capite, ad Imperatorem proficiscuntur. Ita Cassius, qui hoc pacto tres menses & dies sex imperium somniauerat, iugulatur, filiúsque item eius, qui tum erat absens, interfectus est. Marcus autem quum eò venisset, nationes omnes quæ rebellionem fecerant, tractauit perhumaniter, neque quenquam ex obscuris hominibus aut ex illustribus interfecit. Sub id tempus Faustina

morit

moritur, siue doloribus podagræ quibus laborabat, siue alia ex causa, ne ob ea de quibus cum Cassio conuenerat, argueretur: quanquam Marcus literas, antequam eas legeret, consciderat, ne cogeretur quenquam inuitus odisse. Ferunt nonnulli Verum, antea præmissum in Syriam, quam obtinuerat, literas in supellectili Cassij inuentas aboleuisse, quòd eas nihil ad Marcum pertinere diceret. Quòd si forte ob eam causam Marcus succenseret, longè fore meliùs se vnum pro multis interire. Sed Marcus non delectabatur cædibus, idque ex eo licet animaduertere quòd Romæ spectabat gladiatores tanquam athletas certantes sine periculo. Nec enim gladiatoribus concessit acuto ferro dimicare, sed obtusis gladiis & teretibus omnes dimicabant. Mortem Faustinæ vehementer luxit, scripsitque ad Senatum ne quis eorum qui opem Cassio tulissent, morte afficeretur: tanquam in eo dolore quem ceperat ex interitu Faustinæ, hoc vnò solatio vti posset. *Absit enim*, inquit, *vt me tenente principatum, vestrûm quisquam meo vestróve decreto capite damnetur.* Ad extremum addidit, *Quòd si id à vobis non impetrabo, ad mortem ibo celeriter.* vsque adeo a cædibus alienus, mitis & bonus & pius erat. Quinetiam in plerosque interfectores beneficia contulit, quantum in ipso filióque eius fuit. Constituit autem vt nemo cum imperio esset in ea gente vnde antiquitus esset, propterea quòd Cassius quum in Syria patria sua imperium haberet, res nouas molitus fuerat. Senatus Marco & Faustinæ decreuit statuas argenteas Romæ in templo Veneris collocari, arámque extrui, in qua virgines omnes quæ nuberent in vrbe, vnà cum sponsis sacrificarent: prǽterea vt in theatro statua Faustinæ aurea in sella esset semper, quæ, quoties Marcus spectaret, in principali loco vnde ipsa spectare consueuerat viuens, ponere-

Hostis oppressi memoria sepelienda, nec scintilla belli ciuilis nimiū fodienda.

Primariiq; viri ferendi, dummodò sint sanabiles.

Sed prudenter à factionibus publicis remouendi qui in earum administratione turbas excitare possunt.

tur,eiq; omnes præstantissimæ fœminæ assiderent.

Bello extincto pacis artes & magistri colūtur.

7 MARCVS postquam Athenas venit, initiatúsque fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus, quorum in vrbe doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos constituit ad omnium gentium vtilitatem. Quum autem Romam venisset, concionaretúrque apud populum, ac subinde diceret inter cætera, se multos annos peregrinatum abfuisse, conclamarétque multitudo, *Octo*: idque significaret porrectis manibus, vt totidem aureos in cœnam acciperet, subrisit: tum ipse etiam, *Octo*, inquit, ac postea octo aureos viritim dedit, quantam summam nunquam ceperant antea. Quibus confectis, omnibus remisit id quod imperatorio vel publico fisco aliquid debebant ab annis 46. absque 16. annis Adriani, iussitq; syngraphas omnes scriptas de iis reb. in foro comburi. Pecuniam multis ciuitatibus largitus est, in quarum numero fuit Smyrna, quæ ingēti terræmotu cōquassata fuerat, eámque & Senatori prætorio instaurādam demandauit. Ex quo fit vt mirer eos qui Marcum reprehendunt negántque magno animo fuisse. Is enim etsi reuera frugalissimus erat, tamen nulla in re deerat sumptib. necessariis. licet in exigenda pecunia (vt supra dixi) nemini molestus esset, atque in rebus necessariis, præterquam in re familiari, maximos sumptus sustinebat. Postquam res Scythicæ præsentiam eius iterum postulare visæ sunt, Crispinam celeriùs quam vellet ob hanc causam filio in matrimonium collocauit. Nàm Quintilij, etsi vterq; eorum valebat prudentia & fortitudine ac vsu maximarum rerum, tamen id bellū conficere non potuerunt. Quamobrem ipsi Imperatores necessariò profecti sunt. Tum Marcus pecuniam ex ærario petiuit a Senatu, nō quòd ea nō esset in principis potestate, sed quòd diceret eam cæteráque omnia esse Senatus populique Rom. *Nos enim*, inquit, (id

Populus liberalitate in officio contineatur.

Et quidem quantum ærarij Principis & fisci publici facultates patientur. Stultissimi sunt enim omniū hominū principes qui ludunt de corio publico, innumerósque spoliāt, vt suis paucorúmque aliorum tegant tacendas voluptates.

Præsentia Principū vbi necessaria. Obseruā

(id dicebat in senatu) *vsqueadeo nihil habemus proprium, vt etiam vestras ædes habitemus*. Quúmque hæc dixisset, hastam sanguinolentam quæ in templo Bellonæ reposita erat, in agrum hostium (vt accepi ex iis qui aderant præsentes) contorsit, deinde contra hostes proficiscitur. Paterno magnas copias dat, eúmque ad prælium committendum mittit. Restitêre barbari totam diem: tandem verò omnes a Romanis cæsi sunt.

da hic iterũ Marci modestia, & belli inchoandi ceremonia.

8 MARCVS decimùm *Imperator* appellatus est: qui si vixisset diutius, ea quæ in Scythia erant omnia in suam potestatem redegisset: sed is decessit è vita XVII. Cal. April. non morbo quo laborabat, sed (vt ego certò accepi) peremptus à medicis qui Commodo gratificabantur. Quúmque esset morti proximus, Commodum militibus commendauit (nolebat enim videri vt mors sibi ab illo afferretur:) tribunóque militum signum postulanti ita respondit, *Abi*, inquit, *ad Orientem: ego enim iam ad Occasum commeo.* Mortuus, cum aliis magnis honoribus afficitur, tum verò statuitur aureus in curia. Itaque Marcus omnium hominum qui vnquam principatum tenuerunt, optimus, mortuus est: multis enim virtutibus præditus fuit, sed præsertim beneficentia, cui etiam templum ædificauit in Capitolio, eámq; proprio atque inaudito antea nomine nuncupauit. Neque verò solùm se ab omnibus vitiis abstinuit, sed etiam aliorũ vitia, & maximè vxoris, tulit, dum ea nec inuestigaret curiosius, nec puniret. Siquis autem rem vtilem faceret, eum collaudabat, eóque homine ad eam rem vtebatur, quum interim aliena facta nunquam sibi vendicaret. Ac Marcum quidem nihil simulatè, sed omnia cum virtute egisse, perspicuum esse potest ex eo quòd quum octo & quinquaginta annos, mensésque decem, ac dies viginti vixerit, in iisque cum Antonino patre diu fuerit cum

Marci Antonini mors philosophica

Sciuit enim plures orientem Solem quàm Occidentem adorare.

M. Antonini eximiæ virtutes, à quibus longè remoti videntur morosophi illi qui nostro hoc seculo, vt & prioribus, ambitione stultissima,

latrociniis crudelitate, immanitate, et effera quadã ferro & igne miseras regiones vastandi cupiditate vidẽtur fascinati, iusto equidẽ Numinis iudicio, principũ & populorum æstus tot malorũ incendio longè latéque grassante, cõpescentis.

imperio, ipséque decem annos & dies vndecim regnauerit, tamen ęquabilis in omni vita, nec vlla vnquam in re immutatus fuit. Itaque vere fuit vir bonus, quum in eo nihil fictum, nihil simulatum esset. Magnum ei adiumentum attulerunt bonæ artes: nam rhetoricis & philosophiæ præceptis exercitatus fuit, habuitque illorum Cornelium Frontonem, & Claudium Herodem, pręceptores: horum autem, Iunium Rusticum, & Nicomedem Apollonium, homines in pręceptis Zenonis exercitatos. Ex quo factum est vt magna hominum multitudo philosophari simulauerit, vt ab eo locupletarẽtur. Multùm vero ei contulit natura: antequam enim cum iis versaretur, magnopere contendebat ad studium virtutis: qua in re propinquis suis, qui multi erant & potentes & locupletes, ita satisfaciebat puer vt omnibus maximè charus esset, atq; ob eam causam præsertim ab Adriano adoptatus in familiam, nihilo magis insolens fuit. Græco autem & Latino sermone, tum rhetoricis ac philosophiæ præceptis semper imbuebatur. Is antequam Cæsar designaretur, humeros eburneos manúsque habere in somnis visus est, iisque ad omnes humanos vsus vti. Sed ex illo vehementi studio atque exercitatione factum est vt esset valde infirmo & imbecilli corpore, etsi principio fuerat bona valetudine ita vt armis certaret, aprósque ex equo in venatione conficeret: sed ea, vt meritum erat ipsius, non successit. Nam homo ęger, toto fere tempore principatus in plurimos morbos incidit. Quas ob res eum magis admirari soleo, & quòd superfuit alienissimis grauissimísq; negotiis, & quòd Imperium conseruauit. Id vnum fortunæ eius defuit atque felicitati, quod spe filij, quem optime, quoad eius fieri potuit, educari atque institui curauerat, frustratus est: de quo iam dicendum, ab aureo ad ferreum rubiginosúmque imperium, vt rebus

Principis ad exẽplũ subditi facilè cõponuntur.

Somnium Marci antequã Cæsar designaretur.

Magnus animus corpus imbecille ad obsequiũ trahit.

In filio Commodo Marci fortuna claudicauit

rebus tunc populo Romano, ita nunc nobis delapsa historia.

Nihil in vita humana omni ex parte beatum.

IVLII CAPITOLINI

M. Antoninus Philosophus.

BREVIARIVM.

Ex quib. parentib. ortus est M. Antoninus Philosophus.

MARCO Antonino, in omni vita philosophanti viro, & qui sanctitate vitæ omnibus principibus antecellit, pater Annius Verus, qui in prætura decessit: auus Annius Verus, iterum Consul & præfectus vrbi, adscitus in patricios à principibus Vespasiano & Tito Censoribus: patruus Annius Libo Consul: auita Galeria Faustina Augusta: mater Domitia Caluilla, Caluisij Tulli bis Consulis filia: proauus paternus, Annius Verus prætorius, ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator: proauus maternus, Catilius Seuerus, bis Consul & præfectus vrbi: auia paterna, Rupilia Faustina Rupilij boni consularis filia, fuere. Natus est Marcus Romæ sexto Calend. Maias in monte Cælio in hortis, auo suo iterum & Augure Coss. Cuius familia in originem recurrens, a Numa probatur sanguinem trahere, vt Marius Maximus docet: item à rege Salentino Malennio Dasummi filio, qui Lupias condidit. Educatus est in eo loco in quo natus est, & in domo aui sui Veri iuxta ædes Laterani. Habuit & sororem natu minorem Anniam Cornificiam: vxorem Anniam Faustinam consobrinam suã. M. Antoninus principio aui sui nomen habuit, & Catilij Seueri materni proaui. Post excessum verò patris ab Adriano Annius Verissimus vocatus est: post virilem autem togam, Annius Verus, patre mortuo, ab auo paterno adoptatus est & educatus.

Quo tẽpore & loco.

Vbi educatus.

Eius nomina.

Infantia. *Pueritia.* *Præceptores*

Fuit à prima infantia grauis. At vbi egressus est annos qui nutricum fouentur auxilio, magnis præceptoribus traditus ad philosophiæ scita peruenit. Vsus est magistris ad prima elementa Euphorione literatore, & Gemino comœdo, musico Androne eodémque geometra: quibus omnibus vt disciplinarum autoribus plurimum detulit. Vsus præterea grammaticis, Græco, Alexandro: quotidianis Latinis

nis, Trosio Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Siccensi. Oratoribus vsus est, Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino, Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in senatu petiit: Proculum verò vsque ad proconsulatum prouexit. Honoribus in se receptis, philosophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingressus, habitum philosophi sumpsit: & deinceps tolerantiam, quum studeret in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. Vsus est etiam Commodo magistro, cuius ei affinitas fuerat destinata. Vsus est & Apollonio Chalcedonio Stoico philosopho. Tantum autem studium in eo philosophię fuit, vt adscitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij discendi causa veniret. Audiuit & Sextum Chæronensem Plutarchi nepotem: Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos. Peripateticæ verò studiosos audiuit Claudium Seuerũ, & præcipuè Iunium Rusticum. quem & reueritus est & sectatus: qui domi militiæque pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimum, cum quo omnia communicauit publica priuatáque consilia. Cui etiam ante præfectos pręrorio semper osculum dedit: quem & consulem iterum designauit, cui post obitum à senatu statuas postulauit. Tantum autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret. Studuit & iuri, audiens L. Volusium Metianum: tantúmque operis & laboris studiis impendit vt corpus afficeret, atque in hoc solo pueritia eius reprehenderetur. Frequentauit & declamatorum scholas publicas: amauítque ex condiscipulis præcipuos senatorij ordinis Seium Fuscianum, & Aufidium Victorinum: ex

Eruditio, principes decet, ea maximè quæ philosophiæ studium & praxin complectitur.

Felix principatus, vbi principes philosophantur aut viris sapientib. docilem aurem prabent.

Eruditio pastus ingenij, quod dũ saginatur corpus fit infirmum.

equeſtri, Bebium Longum & Calenum, in quos maxime liberalis fuit: & ita quidem vt quos non poſſet ob qualitatem vitæ reipub. pręponere, locupletatos teneret. Educatus eſt in Adriani gremio, qui illum (vt ſupra diximus) Veriſſimum nominabat: & qui ei honorem etiam publice ſexenni detulit: octauo ætatis anno in ſaliorum collegium retulit. In ſaliatu omen accepit imperij. Coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ aliis locis hęſerunt, huius velut manu, capiti Martis aptata eſt. Fuit in eo ſacerdotio & præſul & vates & magiſter, & multos inaugurauit atque exaugurauit nemine præeunte, quod ipſe carmine cuncta didiciſſet. Virilem togam ſumpſit quintodecimo ætatis anno, ſtatímque ei L. Ceionij Commodi filia deſponſata eſt ex Adriani voluntate. Nec multo poſt præfectus feriarum Latinarum fuit. In quo honore præclariſſimè ſe pro magiſtratibus agentem, & in conuiuiis Adriani principis oſtendit. Poſt hoc patrimonium paternum ſorori totum conceſſit: quum eum ad diuiſionem mater vocaret, reſpondit, aui bonis ſe eſſe contentum: addens, vt & mater ſi vellet, in ſororem ſuum patrimonium conferret, ne inferior eſſet ſoror marito. Fuit autem ea vitæ indulgentia vt cogeretur nonnunquam vel in venationes pergere, vel in theatrum deſcendere, vel ſpectaculis intereſſe. Operam præterea pingendo ſub magiſtro Diogneto dedit. Amauit pugilatum, luctamina, & curſum, & aucupatus. & pila luſit apprime, & venatus eſt. Sed ab omnibus his intentionibus ſtudium eum philoſophiæ abduxit, ſeriúmque & grauem reddidit: non tamen prorſus abolita in eo comitate, quam præcipue ſuis mox amicis atque etiam minus notis exhibebat: quum frugi eſſet ſine contumacia, verecundus ſine ignauia, ſine triſtitia grauis.

Honores M. Ant. delati, eruditionis & ſapientiæ præmia. Munera autem publica hominem demonſtrant.

Magiſtratu fungentes de re publica potius quã de publica priuata oportet eſſe ſollicitos.

Exercitiis corporis præferendũ philoſophiæ ſtudium quod nos meliores reddat.

De adoptio-

2 His ita ſe habentibus, quum poſt obitum L.

Cæſar

Cæsaris Adrianus successorem imperij quæreret, nec idoneus, vtpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur, amitę Marci virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit, vt sibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen vt & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret. Sane ea die qua adoptatus est, Verus in somnis se humeros eburneos habere vidit: sciscitatúsque an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores. Vbi autem comperit se ab Adriano adoptatum, magis est deterritus quàm lætatus: iussúsque in Adriani priuatam domum migrare, inuitus de maternis hortis recessit. Quúmque ab eo domestici quærerent cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputauit quæ mala in se contineret imperium. Tunc primum pro Annio *Aurelius* cœpit vocari, quod in Aureliam, hoc est Antonini familiam, adoptionis iure transisset. Octauodecimo ergo ætatis anno adoptatus, in secundo consulatu Antonini iam patris sui, Adriano ferente, gratia ætatis facta, quæstor est designatus. Adoptatúsque in aulicam domum, omnibus parentibus suis tantam reuerentiam quantam priuatus exhibuit. Erátque haud secus rei suæ quàm in priuata domo parcus ac diligens, pro instituto patris volens agere, dicere, cogitare. Adriano Baiis absumpto, quum Pius ad vehendas eius reliquias esset profectus, relictus Romæ, auo iusta impleuit: & gladiatorum, quasi priuatus quæstor, edidit munus. Post excessum Adriani statim Pius per vxorem suam Marcum sciscitatus est: & quum dissolutis sponsalibus, quæ cum Lucij Ceionij Commodi filia desponderi voluerat, impar adhuc ętati esset, habita deliberatione cogitare velle se dixit. His ita gestis, adhuc quæstorem & consulem secum Pius Marcum designauit, & Cæsaris appellatione donauit: & seuirum turmis equitum Romanorum iam consu-

ne M. Ant. repetita narratio.

Somnio Veri confirmata.

Honores noui prudentē virum turbant.

Nec tamen mutant eius mores placidos & ingenuos.

M. Ant. Cæsar appellatur.

lem designatum creauit: & edenti cum collegis ludos seuirales adsedit,& in Tiberianam domũ transgredi iussit,& aulico fastigio renitentem ornauit,& in collegia sacerdotum iubente senatu recepit, secundùm etiam consulé designauit,quum ipse quartùm pariter iniret.Per eadem tempora quum tantis honoribus occuparetur, & quum formandus ad regendum statum reip.patris actibus interesset,studia cupidissime frequentauit. Post hæc Faustinam duxit vxorem,& suscepta filia,tribunitia potestate donatus est, atque imperio extra vrbem proconsulari, addito iure quintæ relationis:tantúmq; apud Pium valuit vt nunquam quenquam sine eo facile promouerit. Erat autem in summis obsequiis patris Marcus, quanuis non deessent qui aliqua aduersum eum insusurrarent, & præ cæteris Valerius Omulus: qui quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurrauit, *Illa nunc rogat vt diem tuum claudas, & filius imperet.*quod omnino apud Pium nihil valuit:tanta erat Marci probitas, & tanta in imperatorio principatu modestia. Aestimationis autem tantam curam habuit, vt & procuratores suos puer semper moneret nequid arrogantius facerent, & hæreditates delatas reddens proximis aliquando respuerit:denique per viginti & tres annos in domo patris ita versatus, vt eius quotidie amor cresceret: nec præter duas noctes per tot annos ab eo mansit diuersis vicibus. Ob hoc Antoninus Pius quum sibi adesse finem vitæ videret, vocatis amicis & præfectis, vt successorem eum imperij omnibus commendauit atque firmauit, statímque signo æquanimitatis tribuno dato,Fortunam auream,quæ in cubiculo solebat esse, ad Marci cubiculum transire iussit. Bonorum maternorum partem Mummio Quadrato sororis filio(quia illa iam mortua erat)tradidit.

Et renitens ornatur aulico fastigio. quis enim prudẽter ad hos scopulos impelli cupiat?

M. Anton. naufragium facit in coniugio. Idem sapientibus aliis plerisque princip. euenit.

Bona fama ingens thesaurus.

Antonini Pij iudiciũ de successore suo.

Fortuna aurea in Imp. cubiculo.

3 Post excessum diui Pij à senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designauit: quem Lucium Aurelium Verum Commodum appellauit, Cæsarémque atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperũt rempublicam regere. Túncque primùm Romanum imperium duos Augustos habere cœpit. . lictum cum alio participasset. Antonini mox ipse nomen recepit. & quasi pater L.Commodi esset, & Verum eum appellauit, addito Antonini nomine; filiámque suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni ascribi pręceperunt. Actis igitur quæ agenda fuerant in senatu, pariter castra prætoria petiuerunt, & vicena millia nummûm singulis ob participatum imperium militibus promiserunt, & cæteris pro rata. Adriani autem sepulcro corpus patris intulerunt magnifico exequiarum officio: mox iustitio sequuto, publicè quoque funeris expeditus est ordo. Et laudauere vterque pro rostris patrem, flaminémque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creauere. Adepti imperium ita ciuiliter se ambo egerunt, vt lenitatem Pij nemo desideraret, quum eos Marullus sui temporis mimographus cauillando impunè perstringeret. Funebre munus patri dederunt. Dabat se Marcus totum & philosophiæ, amorem ciuium affectans. Sed interpellauit istam felicitatem securitatémque Imperatoriam prima Tiberis inundatio, quę sub illis grauissima fuit: quæ res & multa vrbis ædificia vexauit, & plurimum animalium interemit, & famem grauissimam peperit. Quæ omnia mala Marcus & Verus sua cura & præsentia temperarunt. Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus patratum sub Pio, Marci & Veri tempore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam

Omnis potestas impatiens est consortis. At sapiẽs princeps modo id sine maiestatis suæ & reip. detrimento fieri possit, oneris partẽ alienis humeris committere gaudet.

Pietas erga bene factorẽ minimè omittenda.

Cum collegis amicitia sedulò colenda.

Felicitas & securitas humana momento interpellatur. Euentibus autem luctuosis medetur prudentia.

tunc administrabat. Imminebat etiam Britannicum bellum, & Catti in Germaniam ac Rhetiam irruperant. Et aduersus Britannos quidem Calphurnius Agricola missus est, contra Cattos Aufidius Victorinus. Ad Parthicum verò bellum senatu consentiente, Verus frater eius missus est: ipse Romæ remansit, quòd res vrbanæ Imperatoris præsentiam postularent. Et Verum quidem Marcus Capuam vsque prosequutus, amicis comitantibus è senatu ornauit, additis officiorum omnium principibus. Sed quum Romam redisset Marcus, cognouisséque Verum apud Canusium ægrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in senatu votis: quæ posteaquam Romam rediit, audita Veri transmissione, statim reddidit. Et Verus quidem posteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, armísque se gladiatoriis & venatibus exercuit, quum per legatos bellum Parthicum gerens, Imperator appellatus esset, quum Marcus horis omnibus reipublicæ actibus incubaret, patientérque delicias fratris & propè inuitus ac nolens ferret. Denique omnia quæ ad bellum erant necessaria, Romæ positus & disposuit Marcus & ordinauit. Gestæ sunt res in Armenia prosperè per Statium Priscum Artaxatis captis: delatúmque *Armeniacum* nomen vtrique principum: quod Marcus per verecundiam primo recusauit, postea tamen recepit. Profligato autem bello, vterque *Parthicus* appellatus est. sed hoc quoque Marcus delatum nomen repudiauit, quod postea recepit. *Patris patriæ* autem nomen delatum fratre absente, in eiusdem præsentiam distulit: medio belli tempore & Ciuicam patruum Veri & filiam suam nupturam commissam sororis suæ curæ, eandem locupletatam, Brūdusium vsque deduxit, & ad eum misit. Romam vero statim rediit reuocatus eorum sermonibus qui diceb

Negotia publica solerter tractanda.

Aliique aliorū debent onera portare, & næuos tegere, quantum bonum publicum patitur.

Sapientis principis vt plurimū felix est administratio.

Nihil modestiâ tutius & amabilius.

dicebant Marcum velle finiti belli gloriam sibimet vendicare, atque idcirco in Syriam proficisci. Ad proconsulem scribit, nequis filiæ suæ iter facienti occurreret.

4 INTER hæc liberales causas ita muniuit, vt primus iuberet apud præfectos ærarij Saturni vnumquenque ciuium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito. Per prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret quod Romæ apud præfectos ærarij: vt si forte aliquis in prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hanc totam legem de assertionibus firmauit: aliásque de mensariis & auctionibus tulit. Senatum multis cognitionibus, & maxime ad se pertinentibus, iudicem dedit. De statu etiam defunctorum intra quinquennium quæri iussit: neque quisquam principum amplius senatui detulit. In senatus autem honorificentiam, multis & prætoriis & consularibus priuatis decidenda negotia delegauit, quò magis eorum cum exercitio iuris autoritas cresceret. Multos ex amicis in senatum allegit cum ædilitiis aut prætoriis dignitatibus: multis senatoribus vel pauperibus sine crimine, dignitates tribunitias ędilitiásque concessit: nec quenquam in ordinem legit nisi quem ipse bene sciisset. Hoc quoque senatoribus detulit, vt quoties de eorum capite esset iudicandum, secretò pertractaret, atque ita in publicum prodiret: nec pateretur equites Romanos talibus interesse causis. Semper autem, quum potuit, interfuit senatui, etiamsi nihil esset referendum, si Romæ fuit: si verò aliquid referre voluit, etiam de Campania ipse venit. Comitiis præterea etiam vsque ad noctem frequenter interfuit: neque vnquam recessit de curia nisi consul dixisset, *Nihil vos moramur patres conscripti*: sin autem, appellationibus à consule factis,

Sapientia principis radij, bonæ leges.

De liberorũ cognitione. Sunt enim reip. columnæ legitimi liberi.

Senatus ritè rectéque constituendus.

Dignitatib. sapientes & probi homines honorandi.

De primariis viris nõ leuiter statuendum.

Princeps iustitiæ solium sæpius frequentare & præsentia sua decorare debet.

iudicem dedit. Iudiciariæ rei singularem diligentiam adhibuit: fastis dies iudiciarios addidit, ita vt ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibúsque disceptandis constitueret. Prætorem tutelarem primus fecit, quum antè tutores a consulibus poscerentur, vt diligentius de tutoribus tractaretur. De curatoribus verò, quum ante nonnisi ex lege Lectoria vel propter lasciuiam vel propter dementiam darentur, ita statuit vt omnes adulti curatores acciperent non redditis causis. Cauit & sumptibus publicis, & calumniis quadruplatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus augeretur, contempsit. De alimentis publicis multa prudenter inuenit. Curatores multis ciuitatibus, quò latius senatorias tenderet dignitates, à senatu dedit. Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex vrbe donauit: omníque frumentariæ rei consuluit. Gladiatoria spectacula omnifariam temperauit. Temperauit etiam scenicas donationes, iubens vt quinos aureos scenici acciperent: ita tamen vt nullus editor decem aureos egrederetur. Vias etiam vrbis atque itinerum diligentissimè curauit. Rei frumentariæ grauiter prouidit. Datis iuridicis, Italiæ consuluit, ad id exemplum quo Adrianus consulares viros reddere iura præceperat. Hispaniis exhaustis Italica allectione contra Trajani præcepta, verecunde cõsuluit. Leges etiam addidit de vicesima hæreditatum, de tutelis liberorum, de bonis maternis, & item de filiorum successionibus pro parte materna, vtque senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent. Dedit præterea curatoribus regionum ac viarum potestatem, vt vel punirent, vel ad præfectum vrbi puniendos remitterent eos qui vltra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent. Ius autem magis vetus restituit quàm nouum fecit. Habuit secum præfectos, quor

Pupillorum habenda ratio.

Sumptus publici ordinandi.

Delatores notandi.

Ciuitates annona subleuandæ.

Exercitia et spectacula publica intra quosdã temperantiæ limites coercenda: & in summa omnium hominum & rerũ cura gerenda. Nec enim principem decet eũ esse, qui crapula, libidinibus, ludicris exercitiis, aut ignauiæ indulgeat.

quorum & autoritate & periculo ſemper iura dictauit. Vſus autem eſt Scæuola præcipuè iuris perito. Cum populo autem non aliter egit quàm eſt actum ſub ciuitate libera. Fuitque per omnia moderatiſſimus in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos: moderate etiam cauillationes nonnullorum ferens. Nam quum quendam Veteraſinum famę deteſtandæ honorem petentem moneret vt ſe ab opinionibus populi vendicaret, & ille contrà reſpondiſſet, multos qui ſecum in harena pugnaſſent, ſe prætores videre, patienter tulit. Ac ne in quẽquam facilè vindicaret, prætorem quoque dum peſſimè egerat, non abdicare ſe prætura iuſſit, ſed collegæ iuriſdictionem mandauit. Fiſco in cauſis compendij nunquam iudicans fauit: ſanè quanuis eſſet conſtans, erat etiam verecundus.

Populus non vt mãcipia tractandus: ſed præmiorum liberalitate & pœnarũ minis in obſequio alacriter præſtando cõtinendus.

5 POSTEAQVAM autem à Syria victor rediit frater, patris patriæ nomen ambobus decretum eſt, quum ſe Marcus abſente Vero erga omnes ſenatores atque homines moderatiſſimè geſſiſſet. Corona præterea ciuica oblata eſt ambobus, petiitque Lucius vt ſecum Marcus triumpharet. Petiit præterea Lucius vt filij Marci Cæſares appellarentur. Sed Marcus tanta fuit moderatione vt quũ ſimul triumphaſſet, tamen poſt mortem Lucium tantùm Parthicum, Germanicum ſe vocaret, quod ſibi bello proprio pepererat. In triumpho autem liberos Marci vtriuſque ſexus ſecum vexerunt, ita tamen vt & puellas virgines veherent. Ludos etiam ob triumphum decretos ſpectauerunt habitu triumphali. Inter cætera pietatis eius hęc quoque moderatio prędicanda eſt: Cunabulis poſt puerorum lapſum culcitras ſubiici iuſſit: vnde hodiéque rete prætenditur. Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt

Pro repub. extantlatos labores latus honos comitatur.

Quã modeſtè victor Princeps excipere debet.

Et ſe ad nouos ſuderes

comparare. Publica enim hac seruitus, est perpetua.

Bellaces populi metuendi. Ethnica autem superstitio eos arguit, qui in maximis periculis constituti Numinis auxilio neglecto ad humana præsidia confugiunt, ijsque prorsus adhærent.

Marci clementia erga vanum hariolum.

Marcomanicum, quod diu eorum qui aderant arte suspensum est, vt finito iam orientali bello Marcomanicum agi posset. Et quum famis tempore populo insinuasset de bello, fratre post quinquennium reuerso, in senatu egit, ambos necessarios dicens bello Germanico imperatores. Tantus autem timor belli Marcomanici fuit, vt vndique sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere lustrauerit, retardatúsque à bellica profectione sit. Celebrauit & Romano ritu lectisternia per septem dies. Tanta autem pestilentia fuit vt vehiculis cadauera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorúmque asperrimas sanxerunt: quandoquidem cauerunt vt siquis vellet fabricaret sepulcrum: quod hodiéque seruatur. Et multa quidem milia pestilentia consumpsit, multósque ex proceribus: quorum amplissimis Antoninus statuas collocauit. Tantáque clementia fuit vt & sumptu publico vulgaria funera iuberet efferri: & vano cuidam qui diripiendæ vrbis occasionem cum quibusdam conscijs requirens, de caprifici arbore in campo Martio concionabundus, ignem de cælo lapsurum, finémque mundi affore diceret, si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur: quum statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, perducto ad se atque confesso veniam daret. Profecti tamen sunt paludati ambo Imperatores, Parthis & Marcomanis cuncta turbantibus, aliis etiam gentibus quæ pulsæ à superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. Nec parum profuit ista profectio, quum Aquileiam vsque venissent. Nam plerique reges & cum populis suis se retraxerunt, & tumultus autores interemerunt. *Quadi* autem amisso rege suo, non prius se confirmaturos eum qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imper

Potentum principum præsentia ferocientes regulos & populos compescit.

Imperatoribus. Lucius tamen inuitus profectus est, quum plerique ad legatos Imperatorum mitterent, defectionis veniam postulantes. Et Lucius quidem quòd amissus esset præfectus prætorio Furius Victorinus, atque pars exercitus interisset, redeundum esse censebat: Marcus autem, fingere barbaros existimans & fugam & cætera quæ securitatem belicam ostenderent, ob hoc ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse dicebat. Denique transcensis Alpibus longius processerunt, composuerúntque omnia quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Placuit autem, vrgente Lucio, vt præmissis ad senatum literis Lucius Romam rediret. Vna quoque postea iter ingressi sunt: sedens cum fratre in vehiculo Lucius apoplexi arreptus periit.

Prudentia Marci, quid facto opus sit, maturè prævidentis.

Verus apoplēxia extinguitur.

6 FVIT autem consuetudo Marco vt in circensium spectaculo legeret, audiretque ac subscriberet: ex quo quidem sæpe iocis popularibus dicitur lacessitus. Multum sanè potuerunt liberti sub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus. Tantæ autem sanctitatis fuit Marcus, vt Veri vitia & celauerit & defenderit, quum ei vehementissime displicerent, mortuúmque eum diuum appellauerit: amitásque eius & sorores honoribus & salariis decretis subleuauerit atque prouexerit, sacrisque eum plurimis honorauerit. flaminem & Antonianos sodales, & omnes honores qui diuis habentur, eidem dedicauit. Nemo est principum quem non grauis fama perstringat, vsqueadeo vt etiam Marcus in sermonem venerit quòd Verum vel veneno ita sustulerit, vt parte cultri veneno lita vuluam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, & sibi innoxiam reseruans: vel certe per medicum Posidippum, qui ei sanguinem intempestiuè dicitur emisisse. Cassius post mortem Veri à Marco desciuit.

Principis lenitas collegæ vitia dissimulantis.

Eúmq. summis honorib. prosequētis.

Graui tamē fama perstringitur: docens sinceram cōsciētiā inuidiæ telis esse expositam.

Iam in ſuos tanta fuit benignitate Marcus, vt cum in omnes propinquos cuncta honoris ornamenta contulerit, tum in filium Commodum, & quidem ſceleſtum atque impurum, citò nomen Cæſaris, & mox ſacerdotium, ſtatimque nomen Imperatoris ac triumphi participationem & conſulatum, quo quidem tempore ſine Imperatoris filio ad triumphalem currum in circo pedes cucurrit. Poſt Veri obitum Marcus Antoninus ſolus rempubl.tenuit, multo melior & feracior ad virtutes: quippe qui nullis Veri iam impediretur aut ſimulatis callidæ ſeueritatis (quo ille ingenito vitio laborabat) erroribus, aut his quibus præcipuè diſplicebat Marco Antonino iam inde à primo ætatis ſuæ tempore, vel inſtitutis mentis prauæ, vel moribus. Erat enim ipſe tantæ tranquillitatis, vt vultum nunquam mutauerit mœrore vel gaudio, philoſophiæ deditus Stoicæ, quam & per optimos quoſque magiſtros acceperat, & vndique ipſe collegerat. Nam & Adrianus hunc eundem ſucceſſorem parauerat, niſi & ætas puerilis obſtitiſſet. Quod quidem apparet ex eo quòd generum Pio hunc eundem delegit, vt ad eum, dignum vtpote virum, quandocunque Romanum perueniret imperium. Ergo prouincias poſt hæc ingenti moderatione ac benignitate tractauit. Contra Germanos res feliciter geſſit. Speciale ipſe bellum Marcomanicum, ſed quantum nulla vnquam memoria fuit, tum virtute tum etiam felicitate tranſegit, & eo quidem tempore quo peſtilentia grauis multa milia & popularium & militum interemerat. Pannonias ergo Marcomanis, Sarmatis, VVandalis, ſimul etiam Quadis extinctis, ſeruitio liberauit: & Romæ cum Commodo, quem iam Cæſarem fecerat, filio vt diximus ſuo, triumphauit. Quum autem ad hoc bellum omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neque in animum induceret vt extra

Quæ tela inuicto animi robore facilè diſcutit & frangit.

Collega ſublato vires principis augentur.

Philoſophi Stoici effigies adviuũ expreſſa.

Immo optimi principis exemplar.

Siue fortitudinẽ et felicitatẽ bellicã ſpectes.

Siue ad eius liberali-

tra

tra ordinem prouincialibus aliquid imperaret, in foro diui Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendidítque aurea pocula & cryſtallina & myrrhina, vaſa etiam regia & veſtem vxoriam ſericam & auratam, gemmáſque etiam quas multas in repoſtorio ſanctiore Adriani repererat: & per duos quidem menſes hæc venditio celebrata eſt, tantúmque auri redactum vt reliquias belli Marcomanici ex ſententia perſequutus, poſtea dederit poteſtatem emptoribus, vt ſiquis vellet empta reddere atque aurum recipere, ſciret licere. Nec moleſtus vlli fuit qui vel non reddidit empta, vel reddidit. Tunc viris claris permiſit vt eodem cultu quo & ipſe vel miniſteriis ſimilibus conuiuia exhiberent. In munere autem publico tam magnanimus fuit vt centum leones vna miſſione ſimul exhiberet ſagittis interfectos.

tatem & populi leuamẽ animum intendas.

Nec enim priuatis princeps debet eſſe moleſtus, ſed gratus, et ob munificẽtiã acceptus.

7 QVVM igitur in amore omnium imperaſſet, atque ab aliis modò frater, modò pater, modò filius, vt cuiuſque ætas ſinebat, & diceretur & amaretur, octauodecimo anno imperij ſui, ſexageſimo & primo vitæ, diem vltimum clauſit. Tantúſque illius amor eo die regij funeris claruit, vt nemo illum plangendum cenſuerit, certis omnibus quòd à diis commodatus, ad deos rediſſet. Denique priuſquam funus conderetur, vt plerique dicunt (quod nunquam antea factum fuerat neque poſtea) ſenatus populúſque, non diuiſis locis, ſed in vna ſede propitium deum dixit. Hic ſanè vir tantus & talis, ac diis vita & morte coniunctus, filium Commodum dereliquit: qui ſi felix fuiſſet, filium non reliquiſſet. Et parum ſanè fuit quòd illi honores diuinos omnis ętas, omnis ſexus, omnis conditio ac dignitas dedit, niſi quòd etiam ſacrilegus iudicatus eſt, qui eius imaginem in ſua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere vel debuit. Denique hodié-

M. Antonini principis vndequaq. laudatiſſimi mors.

Felix cur exiſtimata.

Apotheoſi decorata.

Et ſummis honorib. ornata.

que in multis domibus M. Antonini statuæ consistunt inter deos penates: nec defuerunt homines qui somniis eum multa prædixisse, augurantes futura & vera concinuerunt. Vnde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniani, & sodales & flamines, & omnia quæ de sacratis decreuit antiquitas. Aiunt quidā (quod verisimile videtur) Commodum Antoninum successorem illius ac filium nō esse de eo natum, sed de adulterio: ac talem fabellam vulgari sermone contexunt: Faustinam quondam Pij filiam, Marci vxorem, quum gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam, quum longa ægritudine laboraret, viro de āmore confessam. Quod quum ad Chaldæos Marcus retulisset, illorum fuisse consilium vt occiso gladiatore, sanguine illius sese Faustina sublauaret, atque ita cum viro concumberet. Quod quum esset factum, solutum quidem amorem, natum verò Commodum gladiatorem esse non principem: qui mille prope pugnas publicè populo inspectante gladiatorias Imperator exhibuit, vt in vita eius docebitur. Quod quidem verisimile ex eo habetur quòd tam sancti principis filius his moribus fuit quibus nullus lanista, nullus scenicus, nullus harenarius, nullus postremò ex omnium dedecorum ac scelerum colluuione concretus. Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum: siquidem Faustinam satis constat apud Caietam conditiones sibi & nauticas & gladiatorias elegisse: de qua quum diceretur Antonino Marco, vt repudiaret, si non occideret, dixisse fertur. *Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem.* Dos autem quid habebatur, nisi imperium quod ille ab socero volente Adriano adoptatus acceperat? Tantum sanè valet boni principis vita, sanctitas, tranquillitas, pietas, vt eius famam nullius proximi decoloret inuidia. Denique Antonino quum

De morte et natiuitate Cōmodi sententia. Quis enim sanguinarium istū ab alio quā à gladiatore vel lanista vitam hausisse dixerit?

Probabilior sententia.

Marci tacita confessione comprobata.

quum ſuos mores ſemper teneret, neque alicuius inſuſurratione mutaretur, non obfuit gladiator filius, vxor infamis: deus vſque etiam nunc habetur, vt vobis ipſi ſacratiſſime Imperator Diocletiane, & ſemper viſum eſt & videtur: qui eum inter numina veſtra, non vt cæteros, ſed ſpecialiter veneramini, ac ſæpe dicitis vos vita & clementia tales eſſe cupere, qualis fuit Marcus, etiamſi philoſophia nec Plato eſſe poſſit, ſi reuertatur in vitam: & quidem hæc breuiter & congeſtè ſub Marco Antonino hæc ſunt geſta poſt fratrem.

Tanti principis virtus filij turpitudine & vxoris infamis libidinib. nō poteſt obſcurari.

8 CORPVS eius Romam deuectum eſt, & illatum maiorũ ſepulcris: diuini honores decreti. Deinde quum gratias ageret Senatui quòd fratrem conſecraſſet, occultè oſtendit omnia bellica conſilia ſua fuiſſe quibus ſuperati ſunt Parthi. Addidit preterea quædam quibus oſtendit nunc demum ſe quaſi à principio acturum eſſe remp. amoto eo qui remiſſior videbatur. Nec aliter Senatus accepit quam Marcus dixerat, vt videretur gratias agere quòd Verus exceſſiſſet vita. Omnibus deinde ſororibus & affinibus & libertis, iuris & honoris & pecuniæ plurimum detulit. Erat enim famæ ſuæ curioſiſſimus, & requirens ad verum quid quiſque de ſe diceret, emendans quæ bene reprehenſa viderentur. Proficiſcens ad bellum Germanicum, filiam ſuam non decurſo luctus tempore, grandæuo equitis Romani filio Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochenſi, nec ſatis nobili: quem poſtea bis conſulem fecit, quum filia eius Auguſta eſſet & Auguſtæ filia. Sed has nuptias & Fauſtina, & ipſa quæ dabatur, inuitæ habuerunt. Quum Mauri Hiſpanias prope omnes vaſtarent, res per legatos bene geſtæ ſunt. Et quum per Aegyptum Bucolici milites grauia multa feciſſent, per Auidium Caſſium retuſi ſunt, qui poſtea tyrannidem arripuit. Sub ipſis profectionis diebus

Reuertitur Capitolinus ad Marci geſta poſt Veri obitum & funus.

Marci liberalitas.

Sollicitudo.

Filiæ matrimonium.

Fauſtina & ipſi filia ingratum.

Bellũ adu. Bucolos Aegyptios.

Veri Cæsaris mors, patri, & imperio Rom. incommoda: solus enim Cōmodus successor remāsit.

in secessu Prænestino agens, filium nomine Verum Cæsarem execto sub aure tubere septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit, consolatúsque etiam medicos, actibus publicis se reddidit. Et quia ludi Iouis optimi maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit: iussitque vt statuæ tātummodo filio mortuo decernerentur, & imago aurea circensibus per pompam ferenda, & vt saliari carmini nomen eius insereretur. Instante sanè adhuc pestilentia, & deorum cultum diligentissimè restituit, & seruos quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parauit, quos *Voluntarios* exemplo Volonum appellauit. Armauit etiam gladiatores, quos *Obsequentes* appellauit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armauit & Diocmitas. emit & Germanorum auxilia contra Germanos. Omni præterea diligentia parauit legiones ad Germanicum & Marcomannicum bellum: & ne prouincialibus esset molestus, auctionem rerum aulicarum, vt diximus, fecit in foro diui Trajani, in qua præter vestes & pocula & vasa aurea, etiam signa cum tabulis magnorum artificum vendidit. Marcomannos in ipso transitu Danubij deleuit, & prædam prouincialibus reddidit. Gentes omnes ab Illyrici limite vsque Galliam conspirauerat, vt Marcomani, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliíque cum Victoualis Sosibes, Sicobotes, Roxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci. Imminebat & Parthicum bellum & Britannicum. Magno igitur labore etiam suo, gentes asperrimas vicit, militibus sese inuitantibus, ducentibus etiam exercitum legatis & præfectis prætorio: accepitque in deditionem Marcomanos, plurimis in Italiam traductis. Semper sanè cum optimatibus, non solùm bellicas res, sed etiam ciuiles priusquam faceret aliquid, contulit

Prudentia bellica M. Antonini.

Varios & bellaces populos vincit

Alacritate militum & præfectorum suorū fortitudine fretus.

22

lit. Denique ſententia illius præcipua ſemper hæc fuit: *Aequius eſt vt ego tot & talium amicorum conſilium ſequar, quàm vt tot & tales amici meam vnius voluntatem ſequantur.* Sanè quia durus videbatur ex philoſophiæ inſtitutione Marcus ad militiæ labores atque ad omnem vitam grauiter carpebatur: ſed male loquentium dictis, vel literis vel ſermone reſpondebat. Et multi nobiles bello Germanico ſiue Marcomanico, imò plurimarum gentium, interierunt: quibus omnibus ſtatuas in foro Vlpio collocauit. Quare amici frequenter ſuaſerunt vt à bellis diſcederet, Romam veniret: ſed ille contempſit ac perſtitit, nec priùs receſſit quàm omnia bella finiret. Prouincias ex proconſularibus conſulares, aut ex conſularibus proconſulares, aut prætorias pro belli neceſſitate fecit. Res etiam in Sequanis turbatas, cenſura & autoritate repreſſit. Compoſitę res in Hiſpania quæ per Luſitaniam turbatæ erant.

Conſiliis optimatū obtemperans, remp. ſartā tectam conſeruat.

Et quietē opere demum perfecto exoptat. Nec triumphos canit ante victorias.

9 FILIO Commodo accerſito ad limitem, togam virilem dedit: quare congiarium populo diuiſit, & eum ante tempus conſulem deſignauit. Siquis vnquam proſcriptus eſſet à pręfecto vrbi, non libenter accepit. Ipſe in largitionibus pecuniæ publicæ parciſſimus fuit: quod laudi potiùs datur quàm reprehenſioni: ſed tamen & bonis viris pecunias dedit, & oppidis labentibus auxilium tulit, & tributa vel vectigalia vbi neceſſitas cogebat, remiſit. Abſens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditiſſimos editores. Fuit enim populo hic ſermo, quum ſuſtuliſſet ad bellum gladiatores, quòd populum ſublatis voluptatibus vellet cogere ad philoſophiam. iuſſerat enim, ne mercimonia impedirentur, tardiùs pantomimos exhiberi non votis diebus. De amatis pantomimis ab vxore fuit ſermo, vt ſuperiùs diximus: ſed hæc omnia per epiſtolas ſuas purgauit. Idem Marcus ſederi in ciuitatibus

Varia M. Antonini virtutes principibus imitāda proponuntur.

Liberalitas & munificētia moderata.

Ciuilis diſciplinæ conſeruatio.

Honeſtatis conſeruandæ cura.

vetuit in equis siue vehiculis: lauacra mixta submouit. Mores matronarum composuit diffluentes. Et iuuenum nobilium sacra Serapidis à vulgaritate Pelusiæ submouit. Fama fuit sanè quòd sub philosophorum specie quidam remp. vexarent & priuatos: quod ille purgauit. Erat mos iste Antonino vt omnia crimina minore supplicio quam legibus plecti solent, puniret: quanuis nonnunquam contra manifestos & grauium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales causas hominum honestorum ipse cognouit, & quidem summa æquitate, ita vt prætorem reprehenderet qui citò reorum causas audierat: iuberétque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens vt ab eo audirentur qui pro populo iudicaret. Aequitatem etiam circa captos hostes custodiuit. Infinitos ex gentibus in Romano solo collocauit. Fulmen de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuia impetrata quum siti laborarent. Voluit Marcomaniam, prouinciam, voluit etiam Sarmatiam facere: & fecisset nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in oriente, qui Imperatorem se appellauit, (vt quidam dicunt) Faustina volente, quæ de mariti valetudine desperaret. Alij dicunt, ementita morte Antonini, Cassium Imperatorē se appellasse quum diuum Marcum appellasset. Et Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassij, nec in eius affectus sæuiit, sed per Senatum hostis est iudicatus, bonáque eius proscripta per ærarium publicum. Relicto ergo Sarmatico Marcomannicóque bello, contra Cassium profectus est. Romæ turbæ etiam fuerunt, quasi Cassius absente Antonino aduentaret: sed Cassius statim interfectus est: caput eius allatum est ad Antoninum. Marcus tamen non exultauit interfectione Cassij, capútque eius humari iussit. Metianum etiam filium Cassij, cui Alexādria

Sumptuū & luxus suppressio.

Legum rigor temperatus.

Aequitatis summus amor.

Benignitas.

Felicitas, paucis descripta, sed fusius a Xiphilino explicata, quum supra de legione fulminatrice Christianorū actum est.

Cassius perduellis oppressus.

erat commissa, exercitus occidit: nam & præfectum præt. sibi fecerat. qui & ipse occisus est. In conscios defectionis vetuit Senatum grauiter vindicare: simul petiit nequis Senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium: eos etiam qui deportati fuerant, reuocari iussit, quum paucissimi centuriones capite essent puniti. Ignouit & ciuitatibus quæ Cassio consenserant: ignouit Antiochensibus qui multa in Marcum pro Cassio dixerant. quibus & spectacula & conuentus publicos tulerat, & omnium concionum genus, contra quos edictum grauissimum misit. Seditiosos autem eos & oratio Marci indicat indita a Mario Maximo, qua ille vsus est apud amicos. Denique noluit Antiochiam videre quum Syriam peteret: nam nec Cyprum voluit videre, ex qua erat Cassius. |Fuit Alexandriæ, clementer cum iis agens. postea tamen Antiochiam vidit. Multa egit cum regibus, & pacem confirmauit sibi occurrentibus cunctis regibus & legatis Persarum: omnibus orientalibus prouinciis charissimus fuit: apud multas etiam philosophiæ vestigia reliquit. Apud Aegyptios ciuem se egit & philosophum in omnibus studiis, templis, locis. Et quum multa Alexandrini in Cassium dixissent fausta, tamen omnibus ignouit, & filiam suam apud eos reliquit. Faustinam vxorem suam in radicibus montis Tauri, in vico Halale exanimatam subito morbo amisit. Petiit à Senatu vt honores Faustinæ ędémque decernerent, laudata eadem, quum tamen impudicitiæ fama grauiter laborasset: quæ Antoninus vel nesciuit vel dissimulauit. Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuæ. Diuam etiam Faustinam à Senatu appellatam gratulatus est: quam secum & in æstiuis habuerat, vt matrem castrorum appellaret. Fecit & coloniam vicum in quo obiit Faustina, & ædem illi extruxit. sed

Erga defectionis socios M. Antonini clemētia. Humanitatis enim officiis plerunq; rebelles pau cis punitis ad obsequiū reuocantur.

26.

Tandem reconciliatio & pax quærēda est.

Atque vrbium populi benefactis alliciendi.

Dissimulatio M. Antonini, qui vt dotē non redderet, impudicæ vxoris mores pertulit.

hæc poſtea ædes Heliogabalo dedicata eſt. Ipſum Caſſium pro Clementia occidi paſſus eſt, non occidi iuſſit. Deportatus eſt Heliodorus filius Caſſij, & alij liberum exilium acceperunt cum bonorum parte. Filij autem Caſſij & ampliùs media parte acceperunt paterni patrimonij, & auro atque argento adiuti, mulieres autem etiam ornamentis, ita vt Alexandria filia Caſſij, & Druncianus gener, liberam vagandi poteſtatem haberet, commendati amitæ marito. Doluit denique Caſſium extinctum, dicens voluiſſe ſe ſine ſenatorio ſanguine imperium tranſigere.

Eiuſdem liberalitas erga Caſſij liberos, & teſtata clementia.

Athenas inuiſit, religionis ergo.

10 ORIENTALIBVS rebus ordinatis, Athenis fuit, & inter alia Cereris templum adiit vt ſe innocentem probaret, & ſacrarium ſolum ingreſſus eſt. Reuertens ad Italiam nauigio, tempeſtatem grauiſſimam paſſus eſt. Per Brunduſium veniens in Italiam, togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit: nec vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites. Romam vt venit, triumphauit. Exinde Lauinium profectus eſt. Commodum deinde ſibi collegam in tribunitiam poteſtatem iunxit: congiarium populo dedit & ſpectacula mirifica: dein ciuilia multa correxit. Gladiatorij muneris ſumptus modum fecit. Sententia Platonis ſemper in ore illius fuit: *Florere ciuitates, ſi aut philoſophi imperarent, aut imperatores philoſopharentur.* Filio ſuo Brutij Præſentis filiam iunxit, nuptiis celebratis exemplo priuatorum. quare etiam congiarium dedit populo. Deinde ad conficiendum bellum conuerſus, in adminiſtratione eius belli obiit, labentibus iam filij moribus ab inſtituto ſuo. Triennio bellum poſtea cum Marcomanis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis etiam egit: & ſi anno vno ſuperfuiſſet, prouincias ex his feciſſet. Ante biduum quàm expiraſſet, admiſſis amicis dicitur oſtendiſſe ſententiam de filio eandem quam Philip

Roma triũphat.

Populũ ſibi conciliat.

Apophthegmate adminiſtrationis ſuæ famam celebrat.

Celeritas eiuſdẽ in bellis conficiendis.

Philippus de Alexandro, quum de hoc malè ſentiret, addens minime ſe ægre ferre, filium ſuperſtitem relinquens. nam iam Cõmodus turpem ſe & cruentum oſtentabat. Mors autem talis fuit: Quum ægrotare cœpiſſet, filium aduocauit, atque ab eo primùm petiit vt belli reliquias non contemneret, ne videretur remp. prodere: & quum filius ei reſpondiſſet cupere ſe primùm ſanitatem, vt vellet permiſit, petens tamen vt expectaret paucos dies, aut ſimul proficiſceretur. Deinde abſtinuit cibo potúque, mori cupiens, auxitque morbum. Sexta die vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem autem contemnens, ad amicos dixit, *Quid me fletis, & non magis de peſtilentia & communi morte cogitatis?* Et quum illi vellent recedere, ingemiſcens ait, *Si iam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens.* Et quum ab eo quæreretur, cui filium commendaret, ille reſpondit, *Vobis, ſi dignus fuerit, & diis immortalibus.* Exercitus cognita mala valetudine, vehementiſſimè dolebant, quia illum vnicè amauerunt. Septimo die grauatus eſt, & ſolum filium admiſit: quem ſtatim dimiſit ne in eum morbus tranſiret. Dimiſſo filio, caput operuit quaſi volens dormire: ſed nocte animam efflauit. Fertur illum mori voluiſſe quum filium talem videret futurum qualis extitit poſt eius mortem, ne, vt ipſe dicebat, ſimilis Neroni, Caligulæ & Domitiano eſſet. Crimini ei datum eſt quòd adulteros vxoris promouerit, Tertullum & Vtilium & Orphitum & Moderatum, ad varios honores: quum Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. de quo mimus in ſcena præſente Antonino dixit, quum ſtupidus nomen adulteri vxoris à ſeruo quæreret, & ille diceret *ter Tullus*, & adhuc ſtupidus quæreret, reſpondit ille, *Iam tibi dixi, Tertullus dicitur.* Et de hoc quidem multa populus, multa alij dixerunt, patiẽtiam Antonini incuſantes. Ante tempus

De Commodo anceps ſententia.

Nouißima verba ad filium, de imperij adminiſtratione.

Ad amicos, de vanitate humanæ vitæ, mortis cõtemptu, & ſucceſſore.

Vita iii amara qui malũ ſucceſſorẽ videt.

Næuus in M. Antonino.

Qui in hac, nõ patiẽtia,

ſed turpi diſſimulatione minimè philoſophatur.

ſanè mortis priuſquam ad bellum Marcomanicum rediret, in capitolio iurauit, nullum Senatorem ſe ſciente occiſum, quum etiam rebelles dixerit ſe ſeruaturũ fuiſſe, ſi ſciſſet. Nihil etiam magis & timuit & deprecatus eſt quam auaritiæ famam: de qua ſe multis epiſtolis purgat. Dederunt ei vitio quod & fictus fuiſſet, nec tam ſimplex quam videretur, aut quam vel Pius vel Verus fuiſſet. Dederunt etiam crimini quòd aulicam arrogantiam confirmauerit ſubmouendo amicos à ſocietate communi & a conuiuiis. Parentibus conſecrationem decreuit. Amicos parentum etiam mortuos ſtatuis ornauit. Suffragatoribus non citò credidit, ſed ſemper diu quæſiuit quod erat verum. Eniſa eſt Fabia vt Fauſtina mortua in eius matrimonium coiret, ſed ille concubinam ſibi aſciuit procuratoris vxoris ſuæ filiam, ne tot liberis ſuperduceret nouercam.

Alij in eodẽ næui, qui tamẽ eiuſdẽ virtutesgratámque memoriã tollere nequeũt.

IVLII CAPITOLINI
Verus Imperator, ad Diocletianum Aug.

BREVIARIVM.

1 *Antonini Veri ſtemmata, præceptores, vxor, exercitia, ingenium, mores, adoptio & functiones publicæ.*

2 *A M. Antonino philoſopho collega imperii adſcitus, & in Syriam miſſus, omnis generis voluptatibus ſecurè indulget.*

3. 4 *Ignauia, & turpitudo Veri amplius deſcripta.*

5 *De ſubita morte Veri ſententiæ. Vitæ compendium, corporis forma, & ſepultura.*

SCIO

SCIO plerosque ita vitam Marci ac Veri literis atque historiæ dedicasse, vt priorem Verum intimādum legentibus darent, non imperandi sequutos ordinem, sed viuendi. Ego verò, quòd prior Marcus imperare cœpit, deinde Verus qui superstite periit Marco, priorem Marcum, dehinc Verum credidi celebrandum. Igitur *L. Ceionius Aelius Commodus Verus Antoninus*, qui ex Adriani voluntate *Aelius* appellatus est, ex Antonini coniunctione *Verus* & *Antoninus*: neque inter bonos, neque inter malos principes ponitur, quem constat non inhorruisse vitiis, nec abundasse virtutibus: vixisse deinde non in libero principatu, sed sub Marco in simili ac pari maiestatis imperio. a cuius secta lasciuia morum & vitæ licentioris nimietate dissensit. erat enim morum simplicium, & qui adumbrare nihil posset. Huic naturalis pater fuit L. Aelius Verus, qui ab Adriano adoptatus, primus *Cæsar* est dictus, & in eadem statione cōstitutus periit. Aui ac proaui & item maiores plurimi consulares. Natus est Lucius Romę in prætura patris sui, XVIII Calend. Ianuarias, die quo & Nero qui rerum potitus est. Origo eius paterna pleraque ex Hetruria fuit, materna ex Fauentia. Hac prosapia genitus, patre ab Adriano adoptato, in familiam aliam deuenit: mortuóq; patre Cæsare, in Adriani familia remansit. A quo, Aurelio datus est adoptandus, quum sibi ille Pium filium, Marcum nepotem esse voluisset, posteritati satis prouidens, & ea quidem lege vt filiam Pij Verus acciperet, quæ data est Marco idcirco quia hic ad hoc impar videbatur ætate, vt in Marci vita exposuimus. Duxit autem vxorem Marci filiam Lucillam: educatus est in domo Tiberiana. Audiuit Scaurum grammaticum Latinum, Scauri filium, qui grammaticus Adriani fuit: Græcos, Telephum,

Ratio ordinis à Capitolino in scribendis Antonini Veri vita obseruati

Non malus Princeps Verus appellatur, quòd nō fuerit perfidus & crudelis. Inter bonos autem minimè ponitur. genio enim nimiū indulsit, & imperatoria dignitatis nullam ferè rationem habuisse videtur.

Stemmata & nuptia Veri.

Præceptores.

Hephęstionem, Harpocrationem: rhetores Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum: Latinum, Cornelium Frontonem: philosophos, Apollonium & Sextum: hos omnes amauit vnicè, atque ab his inuicem dilectus est, nec tamen ingeniosus ad literas. Amauit autem in pueritia versus facere, pòst orationes: & melior quidem orator fuisse dicitur quam poeta: imò (vt veriùs dicam) peior poeta quàm rhetor. Nec desunt qui dicant eum adiutum ingenio amicorum, atque ab aliis ei illa, qualiacunque sunt, scripta. Siquidem multos disertos & eruditos semper secum habuisse dicitur. Educatorem habuit Nicomedem. Fuit voluptarius & nimis lætus, & omnibus deliciis, ludis, iocis decenter aptissimus. Post septimum annum in familiam Aureliam traductus, Marci moribus & autoritate formatus est. Amauit venatus, palæstras, & omnia exercitia iuuentutis. Fuitque priuatus in domo imperatoria viginti & tribus annis. Qua die togam virilem Verus accepit, Antoninus Pius ea occasione qua patris templum dedicabat, populo liberalis fuit, mediúsque inter Pium & Marcum idem resedit, quum quæstor populo munus daret. Post quæsturam statim consul est factus cum Sextilio Laterano: interiectis annis, cum Marco fratre iterum factus est consul. Diu autem & priuatus fuit, & ea honorificentia caruit qua Marcus ornabatur. Namque in Senatu ante quæsturam non sedit: neque in itinere cum patre, sed cum pręfecto prætorij vectus est: nec aliud ei honorificentiæ ad nomen adiunctum est, quàm quòd Augusti filius appellatus est. Fuit studiosus etiam circensium haud aliter quàm gladiatorij muneris. Hic quum tantis deliciarum & luxuriæ quateretur erroribus, ab Antonino videtur ob hoc retentus quòd eum pater ita in adoptionem Pij transire iusserat vt nepotem appellaret: cui, quan

Quos amauit, & à quibus dilectus est.

Educator.

Mores.

Adoptio.

Exercitia.

3.

Dignitates publicæ.

Augusti filius appellatur.

Cur ab Antonino retentus.

quantũ videtur, fidem exhibuit non amorẽ. Amauit tamen Antoninus Pius simplicitatẽ ingenij puritatémq; viuẽdi: hortatúsq; est vt imitaretur & fratrẽ.

2 DEFVNCTO Pio, Marcus in eum omnia contulit, principatu etiam imperatoriæ potestatis indulto: sibique consortem fecit, quum illi soli Senatus detulisset imperium. Dato igitur imperio & indulta tribunitia potestate, proconsulatus etiam honore delato, *Verum* vocari præcepit, suum in eum transferens nomen, quum ante *Commodus* vocaretur. Lucius quidem Marco vicem reddens si susciperet, obsequutus vt legatus proconsuli, vel præses imperatori, iam primùm quum Marcus pro ambobus ad milites est loquutus, & pro consensus imperio grauiter se ad Marci mores egit. Vbi verò in Syriam profectus est, non solùm licentia vitæ liberioris, sed etiam adulteriis & iuuentutis amoribus infamatus est. Siquidem tantæ luxuriæ fuisse dicitur vt etiam posteaquam de Syria rediit, popinam domi instituerit, ad quam post conuiuium Marci diuertebat, ministrantibus sibi omni genere turpium personarum. Fertur & nocte perpeti alea lusisse, quum in Syria concepisset id vitium: atque intantum vitiorum Caianorum & Neronianorum ac Vitellianorũ fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio, & commisceretur cum triconibus, & committeret rixas, dissimulans quis esset, sępeque afflictum liuida facie redisse, & in tabernis agnitum quum sese absconderet. iaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret. Amauit & aurigas, prasino fauens. Gladiatorum etiam frequentiùs pugnas in conuiuio habuit, trahens cœnam in noctem: & in thoro conuiuali condormiens, ita vt leuatus cum stromatibus in cubiculum perferretur. Somni fuit permodici, digestionis facillimæ. Sed

Collega Imperij à M. Antonino Phil. adsciscitur, & Verus vocatur

In Syriã proficiscitur, vbi bellũ aduersa fortitatem & pudorem gerit.

Qui munus honorificũ sibi cõmissum & Reipub. vtile negligunt, eò delabuntur vt turpia quæuis agant & patiantur.

Marcus hæc omnia quasi nesciens dissimulabat rem, pudore illo ne reprehenderet fratrem. Et notissimum eius quidem fertur tale conuiuium, in quo primùm duodecim accubuisse dicitur, quum sit notissimum dictum de numero conuiuarum, *Septem, conuiuium: nouem verò, conuitium.* donatos autem pueros decoros qui ministrabant singulis. donatos etiam structores & lances singulis quibusque: donata & viua animalia, vel cicurum vel ferarum auium vel quadrupedum quorum cibi appositi erant. donatos etiam calices singulis per singulas potiones, murrhynos & crystallinos Alexandrinos, ac quoties bibitum est. data etiam aurea atque argentea pocula & gemmata. Coronas quin etiam datas, lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus. data & vasa aurea cum vnguentis ad speciem alabastrorum. data & vehicula cum mulabus ac mulionibus cum iuncturis argenteis, vt ita de conuiuio redirent. Omne autem conuiuium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus H-S. Hoc conuiuium posteaquam Marcus audiuit, ingemuisse dicitur & doluisse publicum fatum. Post conuiuium lusum est tesseris vsque ad lucem. Et hæc quidem post Parthicum bellum, ad quod eum misisse dicitur Marcus, ne vel in vrbe ante oculos omnium peccaret, vel vt parsimoniam peregrinatione addisceret, vel vt timore bellico emendatior rediret, vel vt se Imperatorem esse cognosceret. Sed quantùm profecerit, cum alia vita tum hæc quam narrauimus cœna monstrauit.

Magnificentiam itẽ & liberalitatẽ Principibus viris virtutem peculiarẽ, bonis, piis, eruditis fortibus & industriis viris reseruatã, in fœdã prodigalitatẽ couertũt, & temporis rei omnium pretiosissimæ irreparabilẽ faciunt iacturam.

3 CIRCENSIVM tantam curam habuit, vt frequenter prouincialibus literas causa circensium & miserit & acceperit. Denique etiam præsens & cum Marco sedens, multas a Venetianis est passus iniurias, quod turpissimè contra eos faueret. Nam &

Seria in nugas & ludicra conuertunt.

Voluc

Volucri equo prasino aureum simulacrum fecerat quod secum portabat. Cui quidem passas vuas & nucleos in vicem hordei in præsepe ponebat, quem sagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad se adduci iubebat.cui mortuo sepulcrum in Vaticano fecit. In huius equi gratiam primùm cœperunt equi aurei vel brauia postulari. In tāto autem equus ille honore fuit, vt ei à populo prasinianorum sæpe modius aureorum postularetur. Profectum eum ad Parthicum bellum, Marcus Capuam prosequutus est. Quúmque inde per omnium villas se ingurgitaret, morbo implicitus, apud Canusium ægrotabat, quò ad eum visendum frater contendit. Multa in eius vita ignaua & sordida, etiam belli tempore, deteguntur. Nam quum interfecto legato, cæsis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus, oriens vastaretur, ille in Apulia venabatur: & apud Corinthum & Athenas inter symphonias & cantica nauigabat: & per singulas maritimas ciuitates Asiæ, Pamphyliæ, Ciliciæque clariores, voluptatibus immorabatur. Antiochiam posteaquam venit, ipse quidem se luxuriæ dedit: duces autem confecerunt Parthicum bellum Statius Priscus, & Auidius Cassius, & Martius Verus per quadriennium, ita vt Babylonem & Mediam peruenirent, & Armeniam vendicarent: partúmque est ipsi nomen *Armenici, Parthici, Medici,* quod etiam Marco Romæ agenti delatum est. Egit autem per quadriennium Verus hyemem Laodiceæ, æstatem apud Daphnen, reliquam partem Antiochiæ. Risui fuit omnibus Syris, quorum multa ioca in theatro in eum dicta extant. Vernas in triclinium Saturnalibus & diebus festis semper admisit. Ad Euphratem tamen impulsu comitum suorum secundò profectus est. Ephesum etiam rediit, vt Lucillam vxorem missam a patre Marco susciperet; & idcirco maxime, ne Marcus cum

Vt nihil hominis gerūt præter faciē, ita animantia rationis nō expertia bonis & doctis viris præferunt.

Etiamsi terra misceatur igni, voluptatib. bel luinis suis immorantur & immoriūtur.

Stertentes, per præfectos sustentantur.

Omnib. sunt risui.

Aliorū impulsu aliquid agunt.

ea in Syriam veniret ac flagitia eius agnofceret. Nam fenatui Marcus dixerat fe filiam inSyriam deducturum. Confecto fanè bello,regna regibus, prouincias verò comitibus fuis regendas dedit. Romam inde ad triumphum inuitus, quòd Syriam quafi regnum fuum relinqueret, rediit, & pariter cum fratre triumphauit,fufceptis à fenatu nominibus quæ in exercitu acceperat. Fertur præterea ad amicę vulgaris arbitrium in Syria pofuiffe barbam, vnde in eum à Syris multa funt dicta. Fuit eius fati vt in eas prouincias per quas rediit,Romam vfque, luem fecum deferre videretur. Et nata fertur peftilentia in Babylonia: vbi de templo Apollinis ex arcula aurea quam miles fortè inciderat, fpiritus peftilens euafit, atque inde Parthos orbémque compleffe.Et hoc non Lucij Veri vitio, fed Caffij,à quo contra fidem Seleucia, quæ vt amicos milites noftros receperat, expugnata eft. Quod quidem inter cæteros etiam Quadratus belli Parthici fcriptor, incufatis Seleucenis qui fidem primi ruperant,purgat.Habuit hanc reuerentiam Marci Verus, vt nomina quæ fibi delata fuerant,cum fratre communicaret die triumphi,quem pariter celebrarunt.

Virtutē exofam reuerentur, & timēt vt puer malus pædagogi ferulam.

A fcorti potiùs voluntate quàm ab officij fui cōfideratione pendent.

Virtutem aliquo in pretio habere coguntur.

4 REVERSVS à Parthico bello,minore circa fratrem cultu fuit Verus. Nam & libertis inhoneftius indulfit, & multa fine fratre difpofuit. His acceffit quòd quafi reges aliquos ad triumphum adduceret,fic hiftriones eduxit e Syria:quorum præcipuus fuit Maximinus,quem Paridis nomine nuncupauit.Villam præterea extruxit in via Clodia famofiffimam, in qua permultos dies & ipfe ingenti luxuria debacchatus eft cum libertis fuis & amicis paribus, quorum præfentiæ nulla inerat reuerentia. Et Marcum rogauit: qui venit vt fratri venerabilem morum fuorum & imitandam oftenderet fanctitudinem: & quinque diebus in eadem villa refidens

Quidquid agant, ad ingenium continuo recurrunt.

Graues viros aliquoti es accerfunt

reſidens,cognitionibus continuis operam dedit,aut conuiuante fratre, aut conuiuia comparante. Habuit & Agrippum hiſtrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem & ipſum è Syria veluti trophæum Parthicum adduxerat, quem Apolauſtum nominauit. Adduxerat ſecum & fidicinas & tibicines & hiſtriones,ſcurráſque mimarios & prę̃ſtigiatores,& omnia mancipiorum genera quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate, prorſus vt videretur bellum non Parthicum ſed hiſtrionicum conſeciſſe. Et hæc vitæ diuerſitas atque alia multa,inter Marcum & Verum ſimultates feciſſe,non aperta veritas indicabat ſed occultus rumor inſuſurrabat. Verùm illud præcipuum:quòd quum Liboné quendam patruelem ſuum Marcus legatum in Syriam miſiſſet, atque ille ſe inſolentius quàm verecundus ſenator efferret,dicens,ad fratrem ſe ſcripturum eſſe ſiquid fortè dubitaret, nec Verus præſens pati poſſet,ſubitóque morbo notis propè veneni exiſtentibus interiſſet,viſum eſt nonnullis,non tamē Marco, quòd eius fraude putaretur occiſus. Quæ res ſimultatum auxit rumorem. Liberti multum potuerunt apud Verum,vt in vita Marci diximus, Geminas,& Agaclytus, cui dedit inuito Marco Libonis vxorem. Denique nuptiis ab Vero celebratis, Marcus conuiuio non interfuit. Habuit & alios libertos Verus improbos, Codem & Eclectum,cæteróſque: quos omnes Marcus poſt mortem Veri, ſpecie honoris abiecit, Eclecto retento qui poſtea Commodum filium eius occidit.

5 Ad bellum Germanicum,quòd Marcus nollet Lucium ſine ſe vel ad bellum mittere,vel in vrbe dimittere cauſa luxuriæ, ſimul profecti ſunt, atque Aquileiam venerunt:inuitóque Lucio Alpes tranſgreſſi, quum Verus apud Aquileiam tantùm venatus conuiuatúſque eſſet, Marcus autem omnia pro-

vt turpitudini ſuæ colorem quendam veluti inducant.

Ita tamē vt ſimiæ ſemper ſimiæ appareant, etiamſi geſtēt purpuram.

Et aliquādo etiā pellem vulpinā induant.

Cum eiuſmodi autem hominibus, ſapientes coaleſcere nequeunt.

Inuiti ad ſeria,reipublicaq. vtilia negotia pertrahuntur.

ſpexiſſet. De quo bello quid per legatos barbarorum pacem petentium, quid per duces noſtros geſtum eſt, in Marci vita pleniſſimè diſputatum eſt. Compoſito autem bello in Pannonia, vrgente Lucio Aquileiam rediret, quòd vrbanas deſiderabat Lucius voluptates, in vrbem deſtinatus eſt: ſed non longè ab Altino ſubitò in vehiculo morbo quem apoplexin vocant, correptus Lucius, depoſitus è vehiculo, detracto ſanguine Altinum perductus, quum triduo mutus vixiſſet, apud Altinum periit. Fuit ſermo quòd & ſocrum Fauſtinam inceſtaſſet. Et dicitur Fauſtinæ ſocrus dolo, aſperſis oſtreis veneno extinctus eſſe: idcirco quòd conſuetudinem quam cum matre habuerat, filiæ prodidiſſet: quanuis & illa fabula quæ in Marci vita poſita eſt, abhorrens à talis viri vita ſit exorta: quum multi etiam vxori eius, flagitium mortis aſſignēt, idcirco quòd Fabię nimium indulſerat Verus: cuius potentiam vxor Lucij vel Marci ferre non poſſet. Tanta ſanè familiaritas inter Lucium & Fabiam ſororem fuit, vt hoc quoque vſurpauerit rumor, quòd inierint conſilium ad Marcum è vita tollendum. Idque quum eſſet per Agaclytum libertum proditum Marco, ante aduentum, Lucium Fauſtina nece præuenerat. Fuit decorus corpore, vultu gemmatus, barba propè barbaricè demiſſa procerus, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilis. Dicitur ſanè tantam habuiſſe curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta reſpergeret, quò magis coma illuminata flaueſceret. Lingua impeditior fuit: aleæ cupidiſſimus, vitæ ſemper luxurioſæ, atque in pluribus Nero, præter crudelitatem & ludibria. Habuit inter alium luxuriæ apparatum calicem cryſtallinum nomine Volucrem, ex eius equi nomine quem dilexit, humanæ potionis modum ſupergreſſum. Vixit annis quadraginta duobus. Imperauit cum fratre annis vndecim

Tandē vitæ more pecudum actæ, fructus ſequitur, improuiſa mors videlicet, et ſubitanea. Nec morientem decet loqui, qui non vt homo ſed ſicut beſtia vixit.

De morte Veri varia ſentētia. Nec enim aulicæ artes in huiuſmodi caſibus facilè deteguntur.

Cōpendium vitæ Veri.

Non diu potuit viuere,

decim. Illatúmque eius corpus est Adriani sepulcro, in quo & Cæsar pater eius naturalis sepultus est. Nota est fabula quam Marci nō capit vita, quòd partem vuluæ veneno illitam, quum eam execuisset cultro vna parte venenato, Marcus Vero porrexit: sed hoc nefas est de Marco putari, quanuis Veri & cogitata & facta mereantur: quod nos non in medio relinquimus, sed totam purgatam confutatámque respuimus, quum adhuc post Marcū, præter vestram clementiam, Diocletiane Auguste, imperatorem talem nec adulatio videatur potuisse confingere.

qui valetudini sua viuens pessimè consuluit.

Nec ab optimo principe qualis fuit, Marcus, veneno sublatus esse, dicendus est.

VVLCATII GALLICANI V. C.

Auidius Cassius.

BREVIARIVM.

1 *Auidius Cassius, sub Marco Antonino Philosopho & Vero Augustis Syriæ præfectus, vir magni animi, & quid de eo Verus & Marcus senserint.*

2 *Cassii natura & mores.*

3 *Militaris disciplinæ seuerus exactor, à Marco eiúsque præfecto laudatur.*

4 *Imperator in oriente salutatur, vnde Romanus terror, quid eo interfecto dixerit & fecerit M. Antoninus Philosophus.*

5 *Marci & Faustinæ de Cassio epistolæ ingenium philosophi & mulieris Augustæ spirantes.*

6 *Oratio Marci ad senatum, philosopho & clementissimo principe digna senatus responsum obseruandum. Commodus post patris excessum in posteros Cassii crudeliter sæuit, fragmentum epistolæ Cassii, in qua eius ingenium elucet.*

Ad Diocletianum Augustum.

Monarchiæ odium à maiorib. in posteros translatum.

AVidius Cassius, vt quidam volunt, ex familia Cassiorum fuisse dicitur, per matrem tamen auo genitus Auidio Seuero: qui ordines duxerat, & pòst ad summas dignitates peruenerat. Cuius Quadratus in historiis meminit: & quidem grauiter, quum illum summum virum & necessarium reipub. asserit, & apud ipsum Marcum præualidum. Nam iam eo imperante perisse fatali sorte perhibetur. Hic ergo Cassius ex familia (vt diximus) Cassiorum qui in C. Iulium conspirauerant, oderat tacite principatum, nec ferre poterat imperatorium nomen: dicebátque esse grauius nomen imperij, quod non posset è rep. tolli nisi per alterum imperatorem. Denique tentasse in pueritia dicitur extorquere etiam Pio principatum, sed per patrem virum sanctum & grauem, affectationem tyrannidis latuisse, habitum tamen semper ducibus suspectum. Vero autem illum parasse insidias, ipsius Veri epistola indicat quam inserui. Ex epistola Veri: *Auidius Cassius auidus est imperii, quantum & mihi videtur, & iam inde sub auo meo patre tuo innotuit: quem velim obseruari iubeas. Omnia ei nostra displicent, opes non mediocres parat, literas nostras ridet. Te philosopham aniculam, me luxuriosum morionem vocat. Vide quid agendum sit: ego hominem non odi: sed vide ne tibi & liberis tuis non bene consulat, quum tales inter præcinctos habeas qualem milites libenter audiunt, libenter vident.* Rescriptum Marci de Auidio Cassio. *Epistolam tuam legi, & solicitam potius quàm imperatoriam, & non nostri temporis. Nam si ei diuinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proaui tui dictum,* Successorem suum nullus occidit. *sin minus, ipse sponte sine nostra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quòd non possumus reum facere quem nullus accusat, &* (vt

Imperij nomen Cassiis exosum.

Ignauia Veri Auidium Cassium excitat & audacē reddit. Imago omnium ferè seculorum.

Marci responsio, ex Stoicorum decretis petita, & obseruatu dignißima.

(vt ipse dicis) milites amant. Deinde in causis maiestatis hæc natura est, vt videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim ipse quid auus tuus Adrianus dixerit, Misera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide nisi occisis non potest credi. *Eius autem exemplum ponere, quàm Domitiani, qui hoc primus dixisse fertur, malui. Tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tantum autoritatis quantum debent. Sibi ergo habeat suos mores, maximè quum bonus dux sit & seuerus, & fortis, & reip. necessarius. Nam quod dicis, liberis meis cauendum esse morte illius, planè liberi mei pereant si magis amari merebitur Auidius quàm illi, & si reip. expedit Cassium viuere quàm liberos Marci.*

Scito Adriani dicto illustrata.

Excelsa & verè philosophica Marci mens.

2 HAEC de Cassio Verus, hæc Marcus. Sed nos hominis naturam & mores breuiter explicabimus. Neque enim plura de his sciri possunt quorum vitam illustrare nullus audet, eorum causa a quibus oppressi fuerint. Addemus autem quemadmodum ad imperium venerit, & quemadmodum sit occisus, & vbi victus. Proposui enim, Diocletiane Auguste, omnes qui Imperatorum nomen, siue iustè siue iniustè habuerunt, in literas mittere, vt omnes purpuratos Augustos cognosceres. Fuit his moribus vt nonnunquam trux & asper videretur, aliquando mitis & lenis: sæpe religiosus, aliàs contemptor sacrorum: auidus vini, interim abstinens: cibi appetens, & inediæ patiens: veneris cupidus, & castitatis amator. Nec defuere qui illum *Catilinam* vocarent: quum & ipse se ita gauderet appellari, addens futurum se Sergium, si dialogistam occidisset, Antoninum hoc nomine significans: qui tantùm enituit in philosophia, vt iturus ad bellum Marcomanicum, timentibus cunctis nequid fatale proueniret, rogatus sit non adulatione sed seriò, vt præcepta philosophiæ ederet: nec ille timuit, sed per ordinem paræneseos, hoc est præceptionum, per tri-

Cassij natura & mores magno belli duce dignissimi, modo nimiam seueritatem & versatilem illã viuendi ratione͂ seu hypocrisin excipias.

duum disputauit. Fuit præterea disciplinæ militaris Auidius Cassius tenax,& qui se *Marium* dici vellet. Quoniam de seueritate illius dicere cœpimus, multa extant crudelitatis potius quam seueritatis eius indicia. Nam primùm milites qui aliquid prouincialibus tulissent per vim, in illis ipsis locis in quibus peccauerant, in crucem sustulit. Primus etiam id supplicij genus inuenit vt stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id est, materiam,& a summo vsque ad imum damnatos ligaret:& ab imo focum apponeret, incensísque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, vel in mare. Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit ac poplites, dicens *maius exemplum esse viuentis miserabiliter criminosi, quàm occisi.* Quum exercitum duceret,& inscio ipso manus auxiliaria centurionibus suis autoribus, tria millia Sarmatarum neglıgentius agentium in Danubij ripis occidissent, & cum præda ingenti ad eum redissent, sperantibus centurionibus præmium, quòd perparua manu tantum hostium, segnius agentibus tribunis & ignorantibus, occidissent, rapi eos iussit & in crucem tolli, seruilique supplicio affici, quod exemplum non extabat: dicens *euenire potuisse vt essent insidiæ, ac periret Romani imperii reuerentia.* Et quum ingens seditio in exercitu exorta esset, processit nudus campestri solo tectus, & ait, *Percutite me si audetis, & corruptæ disciplinæ facinus addite.* Tunc conquiescentibus cunctis meruit timeri, quia non timuit. Quæ res tantum disciplinæ Romanis addidit, tantum terroris barbaris iniecit, vt pacem annorum centum ab Antonino absente peterent: siquidem viderant damnatos Romani ducis iudicio etiam eos qui contra fas vicerant.

Crudelis quidem apparet cum M. Antonino placidus principe comparatus At militaris licentia quàm seuerè semper coercenda fuerit nemo nescit.

Veteris disciplinæ Romanæ (cuius monumenta in Liuio & aliis extãt) exemplum.

Qui non timet dignus est qui timeatur.

3 De

3 De hoc multa grauia contra militum licentiam facta inueniuntur apud Aemilium Parthenianum, qui affectatores tyrannidis iam inde a veteribus historiæ tradidit. Nam & virgis cæsos in foro & in mediis castris securi percussit, qui ita meruerunt: & manus multis amputauit. Et præter laridum ac buccellatum atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit: etsi aliud quippiam reperit, luxuriem non leui supplicio affecit. Extat de hoc epistola diui Marci ad præfectum suum talis: *Auidio Caßio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, & Daphnicis moribus agentes, quas totas excaldantes se reperisse Cæsonius Vectilianus scripsit. & puto me non errasse, siquidem & tu notum habeas Caßium, hominem Caßianæ seueritatis & disciplinæ. neque enim milites regi possunt nisi in vetere disciplina. Scis enim versum à bono poeta dictum & omnibus frequentatum,*

Militum li centia com pescenda.

In castris temperātia reuocanda.

Eximia laus ea est atque perēnis quæ à laudato principe proficiscitur.

Moribus antiquis res stat Romana virísque.

Tu tantùm fac adsint legionibus abundè commeatus. quos (si bene Auidium noui) scio non perituros. Præfecti ad Marcum, *Rectè consuluisti, mi domine, quod Caßium præfecisti Syriacis legionibus. Nihil enim tam expedit quàm homo seuerior Græcanicis militibus. Ille sanè omnes excaldationes, omnes flores de capite collo & sinu militi excutiet. Annona militaris omnis parata est, neque quicquam deest sub bono duce: non enim multum aut quæritur aut impenditur.* Nec fefellit de se iudicium habitum. Nam statim ad signa edici iussit, & programma in parietibus fixit, vt siquis cinctus inueniretur apud Daphnen, discinctus rediret. Arma militum septima die semper respexit, vestimenta etiam & calciamenta & ocreas: delicias omnes de castris submouit, iussitque eos hyemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores: & egissent, nisi honestius vixissent. Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita vt sagittas mitterent & armis luderent.

Dissoluto militi dux seuerus tribuendus.

Militaris disciplinæ descriptio, cuius nomen solum nostro hoc seculo vix remansisse videtur.

Dicebat enim, miserum esse, quum exercerentur athletę, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor si consuetus esset. Ergo correcta disciplina, & in Armenia & in Arabia & in Aegypto res optimè gessit: amatúsque est ab omnibus orientalibus, & speciatim ab Antiochensibus: qui etiam imperio eius consenserunt, vt docet Marius Maximus in vita diui Marci. Nam & quum Bucolici milites per Aegyptum grauia multa facerent, ab hoc retusi sunt, vt idem Marius Maximus refert in eo libro quem secundum de vita Marci & Antonini edidit.

Prosperè agunt qui se aliósque in officio continent.

4 HIC imperatorem se in oriente appellauit, vt quidam dicunt, Faustina volente, quæ valetudini Marci iam diffidebat, & timebat ne infantes filios tueri sola non posset, atque aliquis existeret qui capta statione regia infantes de medio tolleret. Alij autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus & prouincialibus Cassium contra Marci amorem, vt sibi posset consentiri, quo diceret Marcum diem suum obiisse. Nam & diuum eum appellasse dicitur, vt desiderium illius leniret. Imperatorio nomine quum processisset, eum qui sibi aptauerat ornamenta regia, statim præfectum prætorij fecit, qui & ipse occisus est, Antonino inuito, ab exercitu: qui & Metianum cui erat commissa Alexandria, quique consenserat spe participatus Cassio, inuito atque ignorante Antonino, interemit. Nec tamen Antoninus grauiter est iratus, rebellione cognita, nec in eius liberos aut affectus sæuiit. Senatus illum hostem appellauit, bonáque eius proscripsit, quæ Antoninus in priuatum ærarium congeri noluit. quare senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata. Nec Romæ terror defuit, quum quidam Auidium Cassium dicerent, absente Antonino, qui

Cassius à Faustina deceptus, docet quã metuendæ sint armatis viris molliũ sed ambitiosarũ mulierum artes.

Qui in dominũ legitimũ insurgunt, vix effugiũt imò breui sentiunt dei & hominum manus.

Romæ terror ob Cassij nomen.

qui niſi à voluptariis vnicè amabatur, Romam eſſe venturum, atque vrbem tyrannice direpturum, maxime ſenatorum cauſa qui eum hoſtem iudicauerant bonis proſcriptis. Et amor Antonini hoc maximè enituit, quòd conſenſu omnium, præter Antiochenſes, Auidius interemptus eſt: quem quidem occidi non iuſſit, ſed paſſus eſt, quum apud cunctos clarum eſſet, ſi poteſtatis ſuæ fuiſſet, parſurum illi fuiſſe. Caput eius ad Antoninum quum delatum eſſet, ille non exultauit, non elatus eſt: ſed etiam doluit ereptam ſibi eſſe occaſionem miſericordiæ, quum diceret ſe viuum illum voluiſſe capere vt illi exprobraret beneficia ſua, eúmque ſeruaret. Denique quum quidam diceret, reprehendendum Antoninum quòd tam mitis eſſet in hoſtem ſuum, eiúſque liberos & affectus, atque omnes quos conſcios tyrannidis reperiſſet, addente illo qui reprehendebat, *Quid ſi ille viciſſet*, dixiſſe dicitur, *Non ſic deos coluimus, nec ſic viuimus vt ille nos vinceret*. Enumerauit deinde, omnes principes qui occiſi eſſent, habuiſſe cauſas quibus mererentur occidi, nec quenquam facilè bonum vel victum à tyranno vel occiſum; dicens, meruiſſe Neronem, debuiſſe Caligulam, Othonem & Vitellium nec imperare voluiſſe. Nam de Pertinace & Galba paria ſentiebat, quum diceret, *In Imperatore auaritiam eſſe acerbiſsimum malum*. Denique non Auguſtum, non Trajanum, non Adrianum, non patrem ſuum à rebellibus potuiſſe ſuperari, quum & multi fuerint, & ipſis vel inuitis vel inſciis extincti. Ipſe autem Antoninus à ſenatu petiit ne grauiter in conſcios defectionis animaduerteretur, eo ipſo tempore quo rogauit ne quis ſenator temporibus ſuis capitali ſupplicio afficeretur: quod illi maximum amorem conciliauit. Denique pauciſſimis centurionibus punitis, deportatos reuocari iuſſit.

Marci Antonini amor & reſpectus Caſsium euertit. Principis clementis & beneficii ſolum eſt firmiſsimum.

Nihil mirabilius quàm eum cuius iræ nihil obſtare poteſt, ſibi ipſi manum iniicere, & poteſtate ſua in melius placidiúſque vti.

Magni animi eſt proprium placidũ eſſe tranquillũmque & iniurias atque offen-

siones, & qui dem maximas, despicere.

Antiochensibus qui Auidio Cassio consenserant: sed & aliis ciuitatibus quæ illum iuuerant, ignouit, quum primo Antiochensibus grauiter iratus esset, hisque spectacula sustulisset & multa alia ciuitatis ornaméta, quæ postea reddidit. Filios Auidij Cassij Antoninus Marcus parte media paterni patrimonij donauit, ita vt filias eius auro, argento, & gemmis honestaret. Nam & Alexandriæ filiæ Cassij & genero Druentiano, liberam euagandi vbi vellent potestatem dedit: vixeruntque non quasi tyranni pignora, sed quasi senatorij ordinis in summa securitate: quum illis etiam in lite obiici fortunam propriæ vetuisset domus, damnatis aliquibus ob iniuriam quòd in eos petulantes fuissent, quos quidem amitæ suæ marito commendauit.

Seruare proprium est excellentis fortunæ.

Cui vltio in facili est, is ea omissa, certam mansuetudinis laudem consequitur.

5 SI QVIS autem omnem hanc historiam scire desiderat, legat Marij Maximi secundum librum De vita Marci, in quo ille ea dicit quæ solùm Marcus mortuo iam Vero egit. Tunc enim Cassius rebellauit, vt probat epistola missa ad Faustinam, cuius hoc exemplum est: *Verus mihi de Auidio verum scripserat, quòd cuperet imperare. Audisse enim te arbitror quod aruscatores de eo nuntiarent. Veni igitur in Albanum, vt tractemus omnia diis volentibus, nihil timens.* Hic autem apparet, Faustinam ista nescisse, quum dicat Marius, infamari eam cupiens, quòd ea conscia Cassius imperium sumpsisset. Nam & ipsius epistola extat ad Verum, qua vrget Marcum vt in eum grauiter vindicet. Exemplum epistolæ Faustinæ ad Marcum: *Ipsa in Albanum cras, vt iubes, mox veniam: tamen iam hortor, vt si amas liberos tuos, istos rebelliones acerrimè prosequaris. Malè enim assueuerunt & duces & milites: qui nisi opprimantur, oppriment.* Item alia epistola eiusdem Faustinæ ad Marcum: *Mater mea Faustina patrem tuum Pium eiusdem in defectione Celsi sic hortata est, vt pietatem*

Nullis magis cauendum est, qualem famam habeant, quàm principibus, qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt.

Faustina &

tatem

tatem primùm circa suos seruaret, sic circa alienos. Non enim pius est Imperator qui non cogitat vxorem & filios. Commodus noster vides in qua ætate sit: Pompeianus gener, & senior est & peregrinus. Vide quid agas de Auidio Cassio & de eius consciis. Noli parcere hominibus qui tibi non pepercerunt: & nec mihi nec filiis nostris parcerent, si vicissent. Ipsa iter tuum mox consequor: quia Fadilla nostra ægrotabat, in Formianum venire non potui. Sed si te Formiis inuenire non potero, assequar Capuam: quæ ciuitas & meam & filiorum nostrorum ægritudinem poterit adiuuare. Soteridam medicum in Formianum vt dimittas rogo: ego autem Pisitheo nihil credo, qui puellæ virgini curationem nescit adhibere. Signatas mihi literas Calphurnius dedit, ad quas rescribam si tardauero, per Cacilium senem spadonem, hominem (vt scis) fidelem: cui verbo mandabo quid vxor Auidii Cassii & filii & gener de te iactare dicantur. Ex his literis intelligitur Cassio Faustinam consciam non fuisse, quinetiam supplicium eius grauiter exegisse: siquidem Antoninum quiescentem & clementiora cogitantem, ad vindictæ necessitatem impulit. Qui Antoninus quid rescripserit, subdita epistola perdocebit: *Tu quidem mea Faustina religiosè pro marito & pro nostris liberis agis. Nam relegi epistolam tuam in Formiano, qua me hortaris vt in Auidii conscios vindicem. Ego verò & eius liberis parcam, & genero & vxori, & ad senatum scribam ne aut proscriptio grauior sit, aut pœna crudelior. Non enim quicquam est quod imperatorem Romanum melius commendet gentibus quàm clementia. Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecrauit, hæc patrem tuum in primis Pii nomine ornauit. Denique si ex mea sententia de bello iudicatum esset, nec Auidius esset occisus. Esto igitur secura, dii metuentur, diis pietas mea cordi est. Pompeianum nostrum in annum sequentem consulem dixi,* hæc Antoninus ad coniugem.

mulieris omnis in authoritate consti tuta iráque feruentis, ingenium paucis lineis depictum.

Huiusmodi ingeniorum multiplices artes, & dissimulationes inuestigabiles.

Clementiæ principis imago.

6 Ad senatum autem qualem orationem miserit, interest scire ex oratione M. Antonini. *Habetis*

Hæc est clementia ve-

igitur P.C. pro gratulatione victoriæ generum meum consulem, Pompeianum dico: cuius ætas olim remuneranda fuerat consulatu, nisi viri fortes interuenissent, quibus reddi debuit quod à rep. debebatur. Nunc quod ad defectionem Casianam pertinet, vos oro atque obsecro P.C. vt censura vestra deposita, meam pietatem clementiámque seruetis, imò vestram: neque quenquam vllum senatus occidat. Nemo senatorum puniatur, nullus fundatur viri nobilis sanguis: deportati redeant, proscripti bona recipiant. Vtinam possem multos etiam ab inferis excitare. Non enim vnquam placet in imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur. Quare filiis Auidii Cassii & genero & vxori veniam dabitis. Et quid dico veniam? quum illi nihil fecerint. Viuant igitur securi, scientes sub Marco se viuere. Viuant in patrimonio parentum pro patre donato: auro, argento, vestibus fruantur: sint diuites, sint securi, sint vagi & liberi, & per ora omnium vbique populorum circunferant meę, circunferant vestræ pietatis exemplum. Nec magna hæc est P.C. clementia, veniam proscriptorum liberis & coniugibus dari. Ego verò à vobis peto vt conscios senatorii ordinis & equestris, à cæde, à proscriptione, à timore, ab infamia, ab inuidia, & postremo ab omni vindicetis iniuria: detisque hoc meis temporibus, vt in causa tyrannidis qui in tumultu cecidit, probetur occisus. Hanc eius clementiam senatus his acclamationibus prosequutus est, *Antonine pie, dii te seruent. Antonine clemens, dii te seruent. Antonine clemens, dii te seruent. Tu noluisti quod licebat, nos fecimus quod decebat. Commodo imperium iustum rogamus, progeniem tuam robora. Fac securi sint liberi tui, bonum imperium nulla vis lædit. Commodo Antonino tribunitiam potestatem rogamus: præsentiam tuam rogamus, philosophiæ tuæ, patientiæ tuæ, doctrinæ tuæ, nobilitati tuæ, innocentiæ tuæ. Vincis inimicos, hostes exuperas: dii te tuentur,* &c. Vixerunt igitur posteri Auidij Cassij securi, & ad honores admissi sunt. Sed eos Commodus Antoninus post excessum diui patris sui, omnes viuos

ra quæ non sæuitia pœnitentia cæpit, qua nullam habet maculam, qua ciuium sanguinem non fudit.

Dei animũ sibi asserens princeps alios ex ciuibus suis, quia vtiles bonique sunt libens videt, alios innumerum relinquit: quosdam esse gaudet, quosdam patitur.

Nihil grauibus viris gratius tempestiuâ clementiâ.

Cassii posteri à Commodo crudeliter deleti.

viuos incendi iussit, quasi in factione deprehensos. Hæc sunt quę de Cassio Auidio comperimus: cuius ipsius mores (vt supra diximus) varij semper fuerunt, sed ad censuram crudelitatémque propensiores: qui si obtinuisset imperium, fuisset non modò clemens, sed bonus, sed vtilis & optimus Imperator. Nam exstat epistola eius, ad generum suum, iam imperatoris, huiusmodi. *Misera Resp. quæ istos diuitiarum cupidos & diuites patitur misera. Marcus homo sanè optimus: qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere quorum ipse non probat vitam. Vbi L. Cassius, cuius nos frustra tenet nomen? Vbi Marcus ille Cato Censorius? Vbi omnis disciplina maiorum? quæ olim quidem intercidit, nunc verò nec quæritur. Marcus Antoninus philosophatur, & quæri de clementia, & de animis, & de honesto & iusto, nec sentit pro Rep. Vides multis opus esse gladiis, multis elogiis, vt in antiquum statum publica forma reddatur. Istos verò prouinciarum præfectos, an ego proconsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi à senatu & ab Antonino prouincias datas credunt, vt luxurientur, vt diuites fiant? Audisti præf. prætorii nostri philosophi, ante triduum quàm fieret, mendicum & pauperem, sed subitò diuitem factum. Vnde quæso, nisi de visceribus Reip. prouincialiúmque fortunis? Sint sane diuites, sint locupletes: ærarium publicum refercient. Tantùm dii faueant bonis partibus. Reddant Cassiani Reip. principatum.* Hæc epistola eius indicat quàm seuerus, & quàm tristis futurus fuerit Imperator.

Imperatoris seueri, vt veterem illum Cassium pro libertate Reipublicæ fortiter decertantem spirantis, ingenium expressum, & iusta etiam querela.

HERODIANI
Commodus.

BREVIARIVM.

1 *Marci Antonini Philosophi, vita & mors pau-*

cis descripta. Eiusdem de imperio cogitationes propter Commodi ingenium, & oratio ad amicos, paulò ante mortem.

2 *Commodi noui Imperatoris oratio ad milites, atque erga eosdem liberalitas.*

3 *A mensariis adulatoribus quamprimum euersus de bello deserendo & Roma repetenda cogitat oratione Pompeiani paulu-lum repressus, tandem relicto exercitu, profectionem edicit.*

4 *Faustis acclamationibus propter spem multam quam præ se ferebat à S.P.Q.R. excipitur. Perennis, prætorio præfectus, sceleratus nebulo, Commodum ad crudelia facta impellit, vnde Conspiratio in Commodum, qua detecta Perennis in coniuratos sæuit.*

5 *Perennis artes vt Commodum euerteret, mira quadam ratione detectæ, in caput ipsius Perennis recidunt, qui cum filio interficitur.*

6 *Materni militis audax seditio ab ipsius seditionis sociis oppressa. Commodus tot incommodis & periculis elapsus, in publicum gaudium cum populo Romano erumpit.*

7 *De simulachro & die festo matris Deûm apud Romanos Herodiani narratio. Commodus Româ secedit vt in tuto degat.*

8 *Fames Romam opprimit, dolis Cleandri, terræ filii, ad summos honores euecti. Inde cruenta admodum seditio & pugna inter equites & populum. Commodus à Fadilla sorore excitatus, Cleandrum capite multat, eiusdémque liberos & amicos tollit è medio.*

9 *Nulli confidens Commodus, lanienam exercere incipit, scurris, mimis, aurigis & gladiatoribus ac bestiariis addictus. Ad prodigiosum imperium prodigia in cælo extant, & Pacis templum incendio consumitur. Aliæ Commodi insaniæ.*

10 *In Amphitheatro Commodus ex peridromo, populo spectante, iaculandi peritiam ostentat: sumptisque armis nudus numeros gladiatorios implet, & se mille*

mille gladiatorum victorem cognominat.

II Non ex ædibus Imperatoriis, sed ex ipso gladiatorum ludo die omnium maximè festo & solenni in publicem prodire non purpuratus sed armatus Commodus constituens, & à Martia concubina aliisque dehortatus, in instituto perseuerat, ac libellum conscribit nomina interficiendorum ea nocte continentem, quem mira quadam ratione ad Martiam allatum repentina nascitur coniuratio in Commodum, qui veneno primùm epoto afflictus tandem à Narcisso interficitur.

IMPERATOR Marcus filias quidem suscepit complures, mares autem duos. horum alter natu minor adolescentulus admodum fato est functus: Verissimo, nomen fuit. alterum verò Commodum nomine magna diligentia curáque pater educauit, accitis vndique viris doctrina claris maximáque proposita mercede, vti mores pro se quisque filij ingeniúmque excolerent. Filias porrò quum adoleuissent, optimis ex ordine senatorio viris collocauit. Neque enim qui longam generis seriem præferrent, aut qui opes nimias ostentarent, sed qui morum probitate atque modestia, vitæque innocentia præcellerent, eos sibi generos deligendos putabat. Hæc enim sola animi bona certa esse stabiliaque ducebat. Virtutem nullam non magnopere exercuit. Adeo literarum antiquitatis studiosus, vt nemini sit in eo genere Græcorum Romanorúmque secundus. Argumento sunt permulta quæ ab illo dicta atque conscripta ad nos vsque peruenerunt. Adeo verò ciuilem sese & commodum omnibus principem præstabat, vt adeuntium cuiuis dexteram placidè daret, neminémque à suis custodibus prohiberi aditu pateretur: solúsque Imperatorum sapientiæ studium non verbis aut decretorum scientia, sed grauitate morum vi-

I Marci Antonini philosophi prudentia in educandis & collocandis liberis Commodi respectu, finem optatum minimè assequitur: iusto quodam Numinis in Imperatores & imperium Romanum Iudicio.

Felices Respublicæ quæ principes philosophos habent.

tæque continentia vsurpauit. Quo factum est vt magnum sapientium virorum prouentum ætas illa extulerit. Solent enim plerunque homines vitam principis æmulari. Quæcunque igitur ab illo modeste atque fortiter domi forisque sunt gesta, qualémque porrò se aduersus barbaras nationes septentrioni subiectas solique orienti gesserit, ea sunt multorum doctissimorúmque hominum comprehensa monimentis. Quæ vero post Marci obitum per vniuersam ætatem visa mihi auditáque sunt, nonnulla item in experiundo cognita, vtpote in publicis officiis principalibúsque versato, ea nunc conscribenda suscepi. Senem iam Marcum, neque ætate solùm sed laboribus multis curisque confectum, dum in Pannoniis ageret, grauissimus repente perculit morbus. Quare quum deploratam plane salutem suam sentiret, anxius videlicet agebat ne filius qui tum primam inierat adolescentiam, siue ætatis feruore nimio, siue licentia quadam summa quam in orbitate esset habiturus, bonis artibus studiisque relictis, ebrietati sese & crapulæ dederet: quippe facile ingenia adolescentium à recta honestáque disciplina ad luxum voluptatésque delabuntur. Terrebat insuper hominem minime imperitum, multorum memoria principum, qui iuuenes imperium suscepissent, vt Dionysij Siciliæ tyranni, cuius tanta fuit intemperantia victus vt nouarum voluptatum inuentores summis afficeret præmiis. vt item eorum qui Alexandro successerunt: ita enim contumeliose violentérque dominati sunt, vt illius imperio graue dedecus conciliarint. Siquidem Ptolemæus eò turpitudinis prolapsus est vt contra Macedonum atque adeo Græcorum omnium leges, etiã sororiis amoribus implicaretur. Antigonus autem, quò Liberum patrem per omnia repræsentaret, pro causia & diademate Macedonico, hederam

Herodiani institutum & conditio vitæ.

Anxiæ principum sapientum cogitationes, quum successores insipiẽtes respiciunt.

Et quum veterum stultorum illorum tragœdias animo volutãt.

capit

capiti circundare, thyrsúmque pro sceptro gestare est solitus. Solicitabant animum senis recentia quoque exempla, vt Neronis ipsius, qui ne a materna quidem cæde abstinuerit, & se ridiculum populo spectaculum præbuerit: vt item Domitiani, qui nihil sibi ad extremam crudelitatem reliqui fecerit. Has igitur tyrannidum imagines cum animo voluttans, inter spem metúmque agitabatur. Terrebat præterea illum Germaniæ vicina gens, quam nondum plane subiecerat, sed partim in societatem adsciuerat, alios armis bellóque edomuerat. nonnulli etiam ex iis effugerant, metúque principis impræsens continebantur. Quare dubitabat ne despecta mox filij ætate arma resumerent: quippe barbaris mos quamlibet leuibus momentis aut causis facillime impelli. His igitur curarum fluctibus æstuans, amicos propinquósque omnes quotquot aderant, conuocari iubet. Qui postquam conuenerunt, constituto in eorum conspectu adolescente filio, paululúmque se è grabato subleuans huiuscemodi habuit orationem: *Dolere vos atque angi, quum ita me affectum contemplamini, minimè mirandum. Quippe humanum est humanis casibus ingemiscere, multóque magis misericordiam prouocant quæ oculis vsurpamus. Cæterum peculiaris vobiscum nostra ratio est. Nam de mei erga vos animi conscientia mutuam spero à vobis quasi meo iure beneuolétiam. Nunc autem illud incidit, quum & mihi sit iudicium faciundum, frustra ne vobis honorem tandiu habuerim studiúmque omne meum lubens detulerim: & vobis referenda gratia ostendendum, non esse eorum quæ acceperitis immemores. Videtis filium, quem ipsimet educastis, primas nunc adolescentiæ metas ingredientem, quasique in salo atque in fluctu vitæ gubernatoribus indigétem, ne rerum imperitia de recto quasi cursu ablatus, malis artibus impingat. estte igitur vos illi pro me vno multi parentes, excolendo scilicet atque optima suggerendo. Neque enim aut pecuniæ vis tyrannidis* lux

Quibus si recentium exempla coniungant, & bellorum impendentium formidinem, quid principum illorum solicitudine miserius esse potest.

Hanc vero solicitudinẽ lenire conuenit, eam in amicorum & ministrorum fidorum sinum effundendo.

De futuro successore sol

luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi illi ipsi quos regas, animum imperanti beneuolentiámque accommodent. Quippe ii demum diu tutóque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. Neque enim quos seruire necessitas coegit, sed quos obtemperare sua quenque voluntas adegit, ii sunt in agendo patiendóque à suspicione omni assentationéque vacui: nunquámque imperia detrectant, nisi violenter contumeliosé que sint habiti. Est autem difficile in maxima licentia moderari sibi, quasique frænos imponere cupiditatibus. Quòd si bene viuendi autores illi fueritis, & quæ nunc coràm audit, identidem admonueritis, vna opera & ipsum vobis reliquisque omnibus optimum principem reddetis, & memoriam nostram demerebimini, quam scilicet immortalem hac vna ratione poteritis efficere.

licitos eos esse iubendo.

Principémque ipsum graui & seria admonitione, eiusque consilia rios ad officium cohortando.

Talia dicentem Marcum ita repentè animus defecit vt statim conticesceret, ac languore nimio supinus in lectulum relaberetur. Tanta autem quicunque aderant miseratio inuasit, vt ex iis nonnulli præ dolore parum animi compotes clamorem extollerent. Sed ille quum diem vnum duntaxat noctémque superuixisset, fato est functus, sic vt magnum sui desiderium eius ætatis mortalibus: posteris verò etiam virtutis memoriam reliquerit sempiternam. Postquam verò illius mortem fama vulgauit, incredibilis repentè exercitum ipsum plebémque adeò omnem luctus occupauit.

Sapiens Princeps sui desiderium & virtutis memoriam sempiternã relinquit.

Neque vlli sanè Romanæ ditionis mortales fuerunt, qui non eiuscemodi nuntium multis lacrymis exceperint: omnésque eum velut vna voce, alij parentem probum, alij bonum imperatorem, quidam fortissimum ducem, nonnulli etiam continentem moderatúmque principem vocitabant

bant. neque sanè quisquam falsus habebatur.

2 Pavcis autem post diebus, celebrato iam funere, visum amicis est adolescentem adducere ad exercitum, vt & milites alloqueretur, & (qui nouis imperatoribus mos est) pecuniis elargiendis, velut autoramento quodam, illorum sibi animos adiungeret. Edictum itaque omnibus vt in campum de more adessent frequentes. Quum itaque processisset Commodus, ac rem diuinam fecisset, erectúmque ad hoc ipsum mediis castris tribunal conscendisset, paternis amicis, qui multi sane doctissimique viri aderant, circunstantibus, ad hunc ferme modum verba fecit: *Communem mihi esse vobiscum huius mœrorem calamitatis, neque vos aliter quam meipsum affectos esse, planißimè persuasum habeo. Neque enim ego superstite parente ipso meo, superiorem me vobis vnquam gessi. Nam ille ita nos vniuersos, vt vnum aliquem diligebat, lubentiúsque me commilitonem quàm filium vocitabat: quippe hanc naturę appellationem, illam vero virtutis communicationem existimabat. Quin infantem sæpe me in vlnis gestans, vobis dabat in manus, quasique vestræ mandabat fidei. Quapropter minimè dubito quin mihi omnem sitis beneuolentiam exhibituri: quum pro alumno me maiores natu habere debeant, ipsos autem æquales condiscipulos armorum iure appellauerim: siquidem ita nos vniuersos vt vnum aliquem pater diligebat, omnique virtutum studio ac bonis artibus curabat instituendos. Nunc me post illum vobis fortuna principem dedit, nō quidem ascititium, quales ante me fuerunt, neque velut acquisito imperio gloriantem. Quippe vnus ego vobis natus educatúsque in aula, priuatísque intactum cunabulis, statim me, vt ex aluo prodieram, imperatoria purpura suscepit, simúlque sol hominem me vidit & principem. Hæc cum animis vestris reputantes, iure principem colite, non datum vobis sed natum. Nam pater quidem iam in cælum euectus, consors est consessórque deorum: nobis autem orbis terrarum gubernacula rerúmque humanarum*

Aulica consilia, de nouo Principe promouēdo. Bonis verbis & donis iubetur formidabiliores sibi conciliare. De legibus & populo altum silentium. Mira morosophia.

Oratio iuuenis & parum sapientis principis de sua & militum existimatione, ita loquentis, vt quod de imperii administratione & dignitate dicēdum fuit, prorsus omittat. At huiusmodi locutuleiis satis est, si magnificis verbis aures pascant, & petulantiores largitionibus (i. sudoribus & la-

crymis populorum) retineant, ac mandatorū suorū executores faciliores habeant.

cura incumbit. Quæ quos successus quantásque habituræ sint vires, in vestra manu est. Si enim belli reliquias fortiter deleueritis, & imperii Romani terminos ad oceanum vsque promoueritis, cum ipsi vobis ingentem gloriam comparabitis, tum communis parentis memoriæ debitam gratiam referetis. Atque eum quidem exaudire quæ dicimus & intueri præsentem quæ gerimus, credite. Nos autem felicißimos, qui benefactorum nostrorum testem eiusmodi simus habituri. Quæ igitur ad hanc diem fortißimè prosperriméque gessistis, illius scilicet sapientiæ gubernationisque tribuuntur. Quæ autem mecum, hoc est cum iuuene Imperatore vestro, præclarè feceritis, ea sunt vobis ipsis quasi peculiarem cum fidei tum virtutis claritudinem paritura. Quocirca & ætati meæ iuuenili robur strenuè gerendis autoritatem conciliabitis, & barbara gens initio noui principatus repressa, neque impræsens contemptu ætatis nostræ se efferet audacius, & suis nunc edocta periculis, metu deinceps perpetuo coercebitur. His dictis pecuniam magna copia elargitus, vt sibi animos militum fidos faceret, in aulam reuersus est.

Principum pestis mēsarij adulatores.

3 IGITVR breue sanè ad tempus omnia paternis amicis autoribus gerebantur: qui assiduitate prudentique consilio nullo loco deerant, tantum ei tribuentes laxamenti quantum satis esse ad tuendam corporis valetudinem arbitrabantur. paulatim deinceps irrepsere nonnulli ex aulico famulitio, qui sibi ad corrumpendam iuuenis Imperatoris indolem nihil facerent reliqui. Quippe mensarij adulatores, qui ventre atque obscœnis voluptatibus felicitatem metiebantur, identidem illum vrbis deliciarum admonebant: & nunc quæ illic visu auditúque iucunda forent, commemorabant: nunc rerum omnium copiam atque affluentiam ferebant laudibus. Ad hæc ripas Istri vt omni tempore incommodas vituperabant, quæ neque pomiferos haberent frutices, & perpetuis rigoribus nubibúsque obtinerent

Horum adulatorum ingenium.

rent

rentur. *Nunquámne Imperator* (aiebant) *concretam gelu atque effossam potare aquam desines? Alii calidis fontibus riuorúmque fluentium frigore, aurísque & cælo illo fruentur Italiæ peculiari.* Tali scilicet illecebrarum mentione, facile adolescentis animum voluptatum cupidinibus incenderunt. Itaque statim conuocatis amicis, teneri se patriæ desiderio non dissimulauit: causas tamen tam repentinæ mutationis fateri veritus, solicitum se aiebat esse nequis opulens ex nobilitate domum occuparet principis: dein collectis viribus quasi ex munitissima arce summam sibi rerum vindicaret. posse enim ex populo satis magnam vim delectorum iuuenum conflari. Talia causante illo, reliquis metu defixis, terrámque tacito vultu mœstóque intuentibus, surgens Pompeianus, qui & ætate reliquos anteibat, & affinitate iunctus ei erat (nam Commodi sororem natu maximam in matrimonium habebat) *Teneri te*, inquit, *ô fili & domine, patriæ desiderio, minimè mirandum. Quippe eadem nos quoque rerum domesticarum cupido solicitat, sed ei tamen resistimus, quoniam priores partes agunt magísque incumbunt nobis quæ hîc expedienda supersunt. Nam illis quidem vel in posterum diutius perfrueris. Roma autem illic est vbi Imperator est. Cæterùm bellum relinquere inchoatum, præterquam quòd indecorum videtur, etiam periculosum est. Quippe audaciam barbaris iniicimus: neque enim remeandi cupiditate decessisse nos, sed aufugisse metu perculsos arbitrabũtur. Tibi autem quàm fuerit pulchrum deuictis hostibus atque imperii finibus ad oceanum vsque propagatis, redire in vrbem triumphanti, vinctósque & captiuos præteragenti reges, satrapásque barbaros, his enim artibus prioribus seculis Romani homines, magni atque illustres euaserunt. Nihil est autem quòd vereare nequa illic res tuæ periclitentur. Nam & optimus quisque senator tecum hîc est, & exercitus vniuersus tuum coràm propugnat imperium. Quin ærarium quoque principalis pecuniæ*

Oratio ad heri sui ingenium accommodata.

Adulatoriorum sermonum efficacia.

Metus aulicis ora obstruit.

Pompeianus autem intrepidi & fidi consiliarii effigiem exhibet.

Principum gloria, debellare superbos.

Eorundem nerui.

nobiscum est omne. Ad hæc patris tui memoria æternam tibi apud potestates quaslibet fidem atque beneuolentiam roborauit. Quum ad hunc modum potiora suadens Pompeianus loquutus esset, paulùm modò impræsens conatus adolescentis repressit: qui reueritus senis dicta, quum nihil haberet quod saltem honestum specie responderet, concilium dimisit, diligentius affirmans consideraturum. Dein verò ministris illius magis magisque instantibus, nihil iam ad amicos retulit, sed datis Romam literis, ac propositis quos visum esset tuendæ Istri ripæ & barbarorum insultibus coercendis, profectionem continue edicit. Illi igitur demandata sibi munia obeuntes, haud ita longo tempore multos armis subegerunt, quosdam autem ex iis magnis præmiis in amicitiam sibi adiunxerunt. Quod quidem haud difficile factu fuit: quippe barbari suapte natura pecuniæ auidi, periculorum despicientes, aut incursibus populationibúsque victum parant, aut proposita mercede venalem pacem habent. Quod intelligens Commodus, vt pecunia qua maximè abundabat, securitatem redimeret, nihil videlicet petentibus denegabat.

Conatus stultorum principũ ad tempus repressi, ardentius postea erumpunt.

Et vt libidini suæ inseruiant, cum hostibus quouis modo pacificuntur.

4 Vbi autem dedita profectionis fama per exercitum est, ingens repente totis castris motus extitit nullo non redire Romam cupiente, relictóque hostili solo vrbanas affectante delicias. Postea verò quam fama ac nũtiis vulgatum est reuerti in vrbem principem, incredibilis vniuersam plebem lætitia peruagatur, spem sibi vnoquoque optimam de iuuenis Imperatoris præsentia proponente, credentibúsque vniuersis paternis eum vestigiis perrecturum. Sed ille festinatò iter faciens, & iuuenili quodã ardore omnes in medio vrbes curriculo pertransiens, regióque cultu, lætisque populorum celebritatibus exceptus, gratus nimirum omnibus atque optat-

Principis ad exemplum subditi facile componuntur.

De nouo principe magna spes, præsertim apud vulgum.

optatus adueniebat. Sed vbi Romam appropinquauit, senatus statim vniuersus populúsque Romanus magno pro se quisque anteuertendi studio effusi, laureatique ac flores omnifariam, quos dabat anni tempus, conferentes, quam quisque ab vrbe longissime poterat, occurrebant visuri principem ætate atque nobilitate conspicuum, quippe amabant illum, & quidem verissimis affectibus natum apud ipsos educatúmque, tertióque iam gradu imperium nobilitatémque Romanam complectentem. Nam paternum ei genus a primoribus senatorij ordinis, mater autem Faustina, principis vxor, Antonini Pij filia, Adriani etiam per matrem neptis, seriem ipsam generis ad Trajanum proauum referebat. Hoc editus genere Commodus est cui quidem præter ætatis florem, etiam formæ dignitas suffragabatur, congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces oculis atque micantes, flaua & crispa cæsaries, vt in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret, sic vt euntem quidam scobe aurea putarent conspergi: quidam etiam pro argumento diuinitatis acciperent, ac radios esse illos circa verticem genitiuos opinarentur. Ad hæc lanugo malis prosерebat, eásque quasi floribus conuestiebat. Talem igitur Imperatorem conspicati, faustis ominibus acclamationibúsque, & coronarũ florúmque sparsionibus exceperunt. Sed postquam vrbem ingressus est, Iouísque primùm, dein cæterorum deorum templa consalutauit, gratiásque senatui vniuerso & prætorianis militibus egit seruatæ sibi fidei, in aulam Palatinam se recepit. Pauculis igitur annis nihil non honoris paternis amicis exhibebat, omnibúsque eos negotiis in consilio habebat. Cura dein totius imperij aliis demãdata, Perennem, Italicum hominem, militaris disciplinæ peritissimum, prætorianis præfecit. Is adolescentis ætate abutens,

Adulatio periculosissima, quum primarij viri nihil nisi quod vulgo arridet respiciunt.

Genus & forma exigua & inutilia dona, nisi ingenij vires & æquitatis amor ac officij diligens administratio accedat.

Perennis, auarus & sit

ſeratus nebulo, Commodum occultè euertit, quantū in ſe eſt. Perennis aulicorum miſeriarum pictura.

deliciis illum ganeiſque corrumpi ſinebat: curáque omni laboribúſque ſuſceptis, totū plane imperium adminiſtrabat. Erat in nomine inexhauſta diuitiarum ſitis, ſic vt nihili quæ acquiſierat, pēdens, nouis ſemper lucris inſatiabilis inhiaret. Hic & paternos Commodi amicos primum calumniis premere, & locupletiſſimum quenque nobiliſſimúmque in ſuſpicionem adducere inſtitit, ſcilicet vt perterrefacto adoleſcente, atque illis ſupplicio affectis, cauſam poteſtatémque ipſe haberet in eorum bona & fortunas inuadendi. Cæterum aliquandiu cum patris memoria, tum amicorum reuerentia continuit adoleſcentem: dein velut maligna quædam atque inuida fortuna, rectum adhuc moderatúmque illius ingenium ſubuertit. Nā ita res accidit. Lucilla erat Commodo maxima natu ſoror: ea prius L. Vero imperatori nupſerat, quem conſortem ſibi imperij Marcus aſciuerat, locataque in matrimonium ſorore, firmiſſimo affinitatis vinculo adſtrinxerat. ſed poſtquam L. fato functus eſt, manentibus adhuc Lucillę principatus inſignibus, Pompeiano eam pater deſpondit: nihilo tamen ſecius priſtinum illi honorem Commodus reliquit vſurpandum. Nam & ſella imperatoria ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur. Poſtea vero quam Commodus vxorem duxit Criſpinam, ac neceſſe fuit principis vxori primo loco cedere, iniquo ſcilicet hoc animo Lucilla ferens, atque illius honorem in ſuam contumeliam vertens, quum ſciret a viro ſuo Pompeiano Commodum diligi, minime auſa eſt quippiam ad ipſum ſuper occupādo imperio referre: ſed animum Quadrati nobiliſſimi locupletiſſimique adoleſcentis periclitata, cum quo etiam ſtupri conſuetudinem habere exiſtimabatur, grauiſſiméque apud eum de accepta iniuria conqueſta, paulatim adoleſcentem eò perpulit vt in ſemet vniuerſúmque ſenatum

Conſpiratio in Commodum. Principes æqui tatis minime ſolliciti, (vt Cæcias nubes attrahens) pericula ſibi ac Reipublicæ creant.

Cōſpirationis occaſio leuiſſima, ira videlicet

tum

tum perniciosissime consuleret. Quippe inter cæteros senatorij ordinis primarios qui secum in id facinus conspirarent, etiam adolescentem quendam Quintianum nomine, (qui & ipse ordinis illius erat) prompti atque audacis animi sibi adiunxit. persuasitque vti pugionem in sinu celans tempus locúmque caperet, factóque repente impetu Commodum occideret, reliqua se pecuniis largiendis curaturam. Ille in aditu amphitheatri subsistens (quippe obscuro loco facilè se occultũ sperabat fore) nudato confestim pugione, ac magna voce proclamãs, *Hunc tibi senatus mittit.* Dum loquitur nudúmque ostentat pugionem, comprehensus a militibus, pœnas amentiæ dedit, suóque indicio autor à se cauendi fuit, aperto magis quàm impleto consilio. Hæc igitur prima maximáque odij causa adolescenti aduersus senatum extitit. Ita nanque animum verba illa sauciarant, vt omnes hostium loco haberet, sempérque eius memoriæ vox illa irruẽtis in se iuuenis inhæreret. Neque verò tantam hanc occasionem Perennis omisit, sed ei persuasit vt præcipuum quenque succideret; neque eminere quempiam pateretur: quorũ ipse in bona impetum faciens, facile omnium eius ætatis hominũ locupletissimus euasit. Quæstiones autem Perenne diligẽter exercente, soror ipsa Commodi coniuratíq; omnes cæterique præterea quantulacunq; suspicione attacti, supplicio affecti sunt.

& impatiẽtia muliebris. Ex paruis scintillis incendia maxima.

Arcanâ quadam Numinis dispositione etiam mali principes ad tempus seruantur: nec coniuratis semper licet cruenta consilia sua exequi.

Sæuit periculo functã tyrannis.

5 IGITVR Perẽnis, sublatis e medio quos Imperator verebatur, quique illum paterno quodam affectu complectebantur, atque ipse illius tuendæ salutis cura suscepta, nihilq; non autoritatis adeptus, imperium iam ipsum animo inuaserat: persuasóque Commodo vt suos liberos adolescentes adhuc Illyricis præficeret exercitibus, ipse pecuniæ vim ingentem contrahebat, vt scilicet prętorianos ab ipso amplissimis largitionibus abalienaret. Filijq; item

Ignauiâ Principum; tyrannos aulicos ad aliquid audendum excitat: & istis pædagogis digni sunt stulti dominatores qui

fideles amicos & fernos explodunt aut dolis malis circumuentos opprimunt.

eius clanculum copias colligebant, eo consilio vt quum primùm Perennis Commodum occidisset, ipsi principatum arriperét. Proditæ autem sunt insidiæ incredibili quodã modo. Ludos Romani Ioui Capitolino faciunt, tanta hominum cõfluente multitudine quantam par est confluere ad tantæ vrbis celebritatem. Spectare autem ac præsidere in theatro vna cum sacerdotibus, quos ordo singulis annis postulat, etiam Imperator solitus. Quum itaque nobilissimis scenicis operam daret, sedens imperatoria sella Commodus, pleno spectatoribus theatro, suisque cuique locis ad sedendum pro dignitate attributis, priusquam quicquam diceretur ageretúrque in scena, repètè quidam philosophi habitu, manu baculum gestans, perámque seminudus ab humeros suspensus, curriculo prodiit: mediáque in scena consistens, manúque silentium imperans, *Non hoc, inquit, ludorum tempus, ô Commode, neque spectaculis celebritatique vacandum. Imminet enim ceruicibus tuis Perennis gladius: ac, nisi caueris non quidem impendens sed iam præsens periculum, peristi. Nam & ipse hic aduersus te copias pecuniámque colligit, & nati exercitus Illyricos solicitant: quos nisi statim præuenias, occidisti.* His dictis, siue fortunæ genio quodam diuinitus huc impellente, siue id auso homine, vt gloriam sibi ignarus atque obscurus acquireret, seu quia speraret ingens aliquod præmium ab Imperatore consequuturum: sane illum derepente obstupefecerat. Cæteri autem etsi non de nihilo ea dicta suspicabantur, tamen fidem habere dissimulabãt. At Perennis comprehendi hominem iubet, ac pro furioso & vaniloquo, igne comburi. Ita scilicet pœnas dedit intempestiuæ libertatis. Cæterùm qui se Commodi studiosos videri volebant, perosi antea quoque Perennem, vtpote intolerandæ hominem superbiæ contumeliæque, nactique oportunum tempus, calumniis eum

At dum impiis artibus tyrannidis affectatores ascendere conantur ad optatum fastigium vigilat iustitiæ diuinæ oculus, qui mira quadã & humanæ menti prorsus inexplorata ratione miseros istos Perennes perenni seculorum omnium experiẽtia te-

eũm premere aggrediũtur. Sed ſcilicet ita futurum erat vt & Cõmodus inſidias euitaret & Perẽnis vnà cum liberis penderet pœnas. Quippe haud multo poſt milites quidẽ clam Perennis filio nũmos quoſdam attulerunt, illius imagine percuſſos, eóſque ignaro etiam Perenni, quanquam erat præfectus, Commodo oſtenderunt, totóque inſidiarum ordine patefacto, maximis ſunt muneribus affecti. Quocirca inſcio negotij totius Perenni, ac tum nihil minus expectanti ſubmiſſi noctu à Commodo quidam caput abſciderunt, iuſſique ſtatim ad illius filium pergere, quum nihil ad celeritatem ſibi reliqui feciſſent, etiam rumores famámque eorum quæ Romæ facta eſſent præuenerunt. ij amicas ei literas ab Imperatore reddiderunt, quæ magnã propoſita ſpe Romam reuerti iubebant. Ergo & conſiliorum & omnis eius paratus, poſtremo paterni caſus ignarus, quum quidam nuntij dictitarent, etiam paternis ipſum verbis acciri, qui ne ipſe quidem ſcribere ſuperſediſſet niſi ſatis momenti habituras Imperatorias literas exiſtimaſſet: Credidit videlicet adoleſcens: & quanuis iniquo animo ferret interpellari ſua conſilia, tamen paterna fretus potentia, quam eſſe adhuc incolumem putabat, ad reditum ſe comparat. Tum deinde vt attigit Italiam, per eos quibus negotium datum fuerat, occiditur. Hunc illi exitum habuerunt.

ſte, detur bat; & aliud omnino ſomniantes, momento opprimit.

Mali corui malum ouum confringendum.

6 Post hæc Commodus duos conſtituit præfectos, tutius fore ratus tantam illam poteſtatem non vni duntaxat credere, ſed diſſectam in partes, imbecilliorem eo pacto contra principem reddere. Verùm haud longe poſt, aliæ in illum huiuſcemodi inſidiæ intenduntur. Maternus erat quidam miles multa auſus nefaria. Is repente deſertis caſtris atque aliquot in ſocietatem commilitonibus aſcitis, magnam perditorũ manum breui collegerat,

Incommoda Commodi cõſilia.

In nefarios nefarij nefaria audẽt.

Seditionum & coniurationum in principes & reges initia, & progressus.

vicósque primò & agros populabatur. Magna dein pecuniç vi collecta plures quotidie sibi ex facinorosis copulabat: pollicénsque ingentia cuique operæpretia, & in prædæ communionem inuitans eò rem adduxit vt non iam latronum sed iustorũ hostium haberent autoritatem. Quippe magnas etiam vrbes occupabant: effractísque per vim carceribus, captiuos sine discrimine omnes vinculis eximebant, eósque sibi impunitate ac beneficiis adiungebant. Igitur Galliam omnem atque Hispaniam incursibus vastabant, & vt quanque ex magnis vrbibus vi ceperant, incensa direptáque protinus abibant. Quæ vbi Commodus cognouit, rectoribus gentium plenas irę atque minarum mittit epistolas, castigans & ignauiam exprobrans, simul comparare aduersus illos exercitum imperans. Quod vbi latrones acceperunt, decedẽdum sibi ex illis regionibus rati, clàm per auia quædam compendia, seorsum alij ab aliis, in Italiam peruenerũt, ac iam de regno maioribúsque rebus Maternus cum suis deliberabat. Nam quando hactenus omnia illi spe vlterius processerant, aut aliquid magnum inuadendum sibi existimabat, aut certè quando semel in id discriminis inciderat, non obscurè neque ignauè moriendum. Sed quoniam se non tantis esse viribus intelligebat, quantæ ad resistendum Commodo collata acie satis essent, (quippe & Romanæ plebis & prætorianorum militum propensa in Commodum voluntas credebatur) arte sibi consilióque grassandum statuebat. Quocirca tale quiddam comminiscitur. Veris initio quotannis stato solennique die pompam matri deûm Romani celebrant. In ea quæ apud quenque sunt diuitiarum præcipua, suppelléxque pleraque imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante deam solent. Passimq; omnibus quouis modo ludendi licentia permissa, sic vt personas

Quibus qui ansam præbuerunt non semper occurrunt vt decet, aut si medicinam malo facere conantur, tamen de respub. emendatione non seriò cogitant.

Seditiosi Leoninavulpinam assuunt.

ind

induant quas cuique libitum, nullámque non magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium, repræsentent, sic vt non temere à falsis veros dignoscas. Putauit hoc Maternus idoneum celandis insidiis tempus, ratus fore vt si personam stipatoris alicuius indueret, suósque ad eandem similitudinem armis ornaret, ac se hastatis immiscerent sic vt pars esse comitatus imperatorij crederentur, nullo videlicet præcauente, repente impetu facto Commodum obtruncarent. Sed proditus Imperatori à sociis quibusdam, qui vnà cum ipso venerant in vrbem, indignātibus scilicet, si quidem eum non pro latrone iam sed pro principe habituri forent, antequam festus dies adesset, & ipse comprehensus, ac mulctatus capite, & qui eiusdem factionis erant, meritis suppliciis affecti. At Commodus facta re diuina, gratulatúsque deæ, festum agitabat, pompámque gaudens frequentabat. Sed & populus omnis pro Imperatoris salute diem lætabūdus celebrabat.

Et sua consilia tutiss:ma putant.

Sed à sociis produntur, iusta Numinis vindicta, vt parricidij sui pœnas luāt.

7 QVAE autem ratio sit cur huic deæ tantum honorem Romani habeant, non alienum videtur, quantum ex historia accepimus cōmemorare, præsertim quum ea res plerisque Græcorum ignota esse videatur. Ipsum igitur simulacrum, cælitus (vt aiunt) demissum, neque qua sit materia, nec à quo fabricatum artifice, satis constat, neque planè hominum manibus creditur factum. Hoc igitur decidisse cælitus ferunt in quēdam Phrygiæ agrum, cui nomen Pesinunti, à casu eius simulacri factum putant: ibi enim à principio comparuisse. licet apud alios comperiam, pugnam illic Ilum Phryga Tantalúmque Lydum inter se cōseruisse, siue de via ortam, siue potius ob raptum Ganymedis. Quúmque diu æquis viribus decertatum foret, ac permulti vtrinque cecidissent, nomen ex ea clade loco esse impositum. Hic etiam fama fert, Ganymedem

Mater Deum à superstitiosis ethnicis culta.

Simulacrū cælitus delapsum. Nihil non credūt, qui veritate ignota aut spreta, per mēdacij perpetuas tenebras incedunt.

Fabulis pascitur superstitio.

ipsum trahentibus in diuersa germani atque amatoris manibus, vita esse orbatum: sublatúmque è medio, pro calamitatis solatio, relata ad Iouem raptorem fabula, diuinis fuisse honoribus affectum. In hoc quem diximus Pesinunte Phryges olim Orgia colebant, ad ipsum fluuium Gallum, à quo etiam euirati deæ sacerdotes cognominantur. Sed vbi res Romana creuit, responso accepto mansurum imperium atq; ad summam auctum iri, si Pesinuntiam deam ad se transferrent, missi in Phrygiam legati sunt petitum deæ simulacrum: quod quidem facile concessum est, consanguineos se dictitantibus, atque oriundos ab Aenea Phryge. Quum itaque nauigio deuectum simulacrum ad ipsas Tiberis fauces appulisset, quibus tum Romani vice portuum vtebantur, confestim diuina quadam vi nauigium substitit, neque vllis Romani populi certatim trahentis moueri viribus potuit, donec Vestalis sacerdos adesset. Ea quum virginitatem perpetuò seruandam polluisse falsè argueretur, damnationem metuens, supplex petiit a populo vt iudicium de se deæ Pesinuntiæ committerent: quo impetrato, zonam recinxit eamque proræ iniecit, clarè precata, vt si intemeratam se esse ac virginem dea sciret, nauim progredi iuberet. Quæ vbi dixit, statim alligatam zonam manu ducta nauis sequi cœpit. Ita sunt pariter Romani, manifestam numinis diuinitatem atque innocentiam virginis admirati. Sed hæc hactenus de Pesinuntia dea, prolixius etiam fortasse quam decuit, haud insuauem tamen scientiam allatura iis qui res Romanas minus cognitas habeant.

Sic miseros idolorũ cultores fascinat & ludit vertiginis ac præstigiarum magister. Et hæc scilicet fuit imperii Romani maiestas, à putri simulacro pendere, mendaciisque cumulatis fulciri.

Breuißima de re ridicula narratio nes prolixæ.

Commodus autem euitatis Materni insidiis, maiore se custodia muniebat: rarus prodire in publicum, plerunque temporis in suburbanis aut in principalibus prædiis procul ab vrbe consumere: abstinere prorsus ab iurisdictione, omnique actu imperatorio.

Dum vitat stulti principes pericula, in con-

rio. Per idem tempus accidit vt ingens Italiam quidem vniuersam pestilentia occuparet: sed in ciuitatem Romanam vehementius tamen sæuiret, vtpote quæ & per se populo abundaret, & aduenas toto orbe confluentes exciperet. Quare magna iumentorum atque hominum strages consequuta. Tum Commodus (ita scilicet quidā medicinæ periti persuaserant) Laurentum secessit quòd frigidior ea regio it, syluisque e lauru permultis opaca: à quo etiam regioni inditū nomen. Valere enim plurimum aiebant ad aeris euitandam contagionem, cum odorem laurorum tum ipsarū amœnitatem vmbrarum. Quocirca in ipsa quoque vrbe de medicorum sententia, plerique vnguentis suauissimis nares atque aures opplebant, suffitúque & odoramentis assidue vtebantur, quòd meatus sensuum (vt quidā dicunt) odoribus illis occupati, neque admittant aera tabificum, & si maximè admiserint, tamen eum maiore quā vi longè superari. Cæterùm nihilosecius morbus ingrauescere, hominésque passim & pecora inter homines agitantia interire.

traria currunt.

Pestem fugit Commodus, salutem Reipublicæ negligens.

Aduersus pestem remedia, nulla autem aduersus mala Respub.

8 Sed & fames eodem tēpore ciuitatem oppresserat hac de causa. Cleander erat quidam, Phryx genere, ex ea nota hominū qui publicè per præconem veneunt. Hic quum in domū imperatoriam seruitio esset traditus, & cum ipso Commodo accreuisset, eo scilicet honoris atque autoritatis prouectus est, vt & corporis custodiam & cubiculi curā, præterea militum præfecturā solus obtineret. Cæterùm diuitiæ ac luxus, etiam illum ad imperij spem instigabant. Quocirca grandi coacta pecunia plurimū frumenti coemit. Id autem, occlusum habebat, sperās sibi Romani populi atq; exercitus volūtates adiuncturum, si prius reium necessariarū penuria laborantes, magnis repēte largitionibus demereretur. Idē gymnasium quoque maximum exædificauerat, publicatis

Fames pestē comitatur, sed artibus Cleandri impuri nebulonis.

Diuitiæ mācipium aureum ad imperij spem instigant.

etiam balneis, vt eo modo populum inescaret. At Romani infensi iampridem, ac totius causam pestilentiæ in eum conferentes, simul perosi hominem diuitiis inexplebilem, prius quidem confertim per theatra identidem traducebant: dein agente in suburbanis Commodo, repente vniuersi magnis clamoribus concurrerunt, Cleandrum ad necem deposcentes. Quum autem suburbanum omne tumultu compleretur, & Commodus ipse in alto secessu voluptatibus indulgeret, inscius quæ gererentur (nam id Cleander cauerat) repente extra omnium expectationem armati equites principis eruperunt, Cleandri iussu proruentes obuium quemque, ac vulnerantes. Neque scilicet populus excipere illorum impetum valebat, inermis armatorum, pedester equitum. Quare fuga facta, in vrbem reiiciuntur, ibique permulti, neq; modò quos ferro milites conficiebant, neci dediti, sed quos etiam ipsi proculcauerunt equites, quique aut conferta turba aut equitum incursu conflictabantur. Igitur ad vrbis portas sine vllo impedimento persequuti, magnam populi partem interfecerunt. Qui autem in vrbe remanserant, calamitate suorum intellecta, clausis domibus quum in tecta & culmina euasissent, lapidibus tegulisque equites desuper incessebant. Itaque statim conuersa fortuna est, nullo manibus decertare auso, sed omni multitudine desuper quasi ex tuto dimicante. Quocirca saucij magna pars quum tolerare iam vlterius nequirent, terga fugæ mandarunt. Multi itaque cadebant crebro telorum iactu, multi equis excutiebantur, inter deuolutos lapides fallente vestigio lapsantibus. Sed & pedites qui in vrbe stationes habebant, populo suppetias aduersus inuisos sibi equites raptim tulerunt. Itaque quum ciuile bellum esset, nemo tamen quæ gererentur nuntiare Commodo audebat metu

At populus tandem ærumnarum suarum instrumēta videt, odit, traducit, frangere conatur.

Nimia autē Conniuentia sua mercedē recipit. Qui Leonis catulum educat, mortis sibi accersit periculum.

Seditionis ciuilis luctuosa imago.

Cleand

Cleandri potentiæ, donec maxima natu ſoror, Fadilla nomine, accurrens ad Imperatorem (quippe facilis aditus ſorori) crinibus ſolutis proiecta humi, ac plane in lugubrem habitum deformata, *Tu quidem*, inquit, *ô princeps, otium agitans, & omnium quæ gerantur ignarus, extremo in periculo verſaris: nos autem ſanguis tuus propemodum occidimus. Actum de populo Romano, actum magna ex parte etiam de exercitu eſt, & quæ ne à barbaris quidem nos paſſuros expectabamus, ea nobis domeſtici faciunt, & in quos maxima contuliſti beneficia, eos primos inimicos habes. Cleander aduerſus te populum & exercitum armauit quorum quidem alteris inuiſus eſt, alteris charus, vtrique tamen in armis ſunt, cædémque inter ſe patrant, & ciuili ſanguine Romam replent. Sed in nos videlicet vtriuſque multitudinis recidet calamitas, niſi tu quamprimùm neci dedideris ſceleratiſſimum famulum, qui tantæ cladis illis iam fuit, nobis mox futurus eſt autor.* Hęc loquens, veſtem ſcidit, multique item qui aderant, ſumpta de verbis mulieris audacia, Cōmodum territabant. Is expauefactus, quum iam non vt impendens, ſed vt præſens periculum formidaret, acciri ad ſe Cleandrũ properè iubet, nihildum certi ſcientem, ſed tamen aliquid ſuſpectantem Imperatori renuntiatum. Accedentémque ad ſe imperat comprehendi, & caput eius amputatum contóque præfixum circumferri, voluptuoſum ſcilicet atque optatum populo ſpectaculum præbiturus. Ita id malum ſedatum, atque vtrinque dimicatio dirempta. Siquidem milites quum occiſum viderent pro quo decertabant, iram quoque Imperatoris formidabāt, cui verba data nihilque non factum contra illius ſententiā compererant. Populus contra ſatisfactum ſibi autoris ſupplicio putabat. Sed & liberi Cleādri (binos enim virilis ſexus habebat) & quotquot illius amici fuerant, ad vnum omnes contrucidati, tractáque per vrbem cadauera & cōtumelioſiſſimè

Princeps ignauus & meticuloſus, metuendus. Sed rebus deploratis viam Deus aperit, & arcana quadam ratione hominum ſocietatem cōſeruat, vt turbarũ autores facilius opprimantur.

Aulicorum fortuna vitrea: quo magis ſplendet, eo citius frangitur.

Seditionis capite ſublato, membra dilabuntur.

habita, postremò in cloacas abiecta. Hæc finis Cleādri fatorum fuit, quasi in vno illo velut ambitiosius ostentaret (vt sic dixerim) natura humana posse ex infimo loco ad supremū fastigium euehi hominem, atque euectum dein rursum deturbari quamlibet exiguo atque insperato fortunæ momento.

Rerum admiranda vicißitudo.

9 CAETERVM Commodus, tametsi verebatur nequid fortasse populus etiam contra se noui moliretur, tamen suadentibus amicis in vrbem reuersus est, ac lætis acclamationibus magnóque comitatu exceptus, in aulam principalem se contulit. Enimuero ex illo tot aditis iam periculis, cœpit nulli satis confidere, sed occidere hunc atque illum, nulli non calumniæ fidem accommodans. Ad hæc neminem cui virtus vlla esset, amicum sibi adiungebat, sed à cunctis æquè rectis studiis animum auocauerat. Quippe quem die noctéque aliæ ex aliis effrænæ corporis voluptates grauissimo seruitio premebant, neminémque non ab limine velut insidiatorē submouebat, quemcunque aut probitas aut disciplina vlla etiam mediocris illustraret. Scurræ verò, & qui turpissima quæque repræsentabant, quasi addictum sibi habebant. aurigando etiam bestiisque conficiendis supramodum exercebatur: ob quæ studia adulatores eum fortitudinis gloria celebrabant. quare illa minus decorè tractabat quàm modesto principi conueniebat. Extitere ea tempestate etiam quædam in cælo prodigia. Stellæ enim per diem perpetuò apparuerunt, quædámque ex iis in longum productæ medio quasi aere suspensæ videbantur. Præterea animalia omne genus, minimè suam naturam seruantia, cum figura corporis prodigiosa, tum membris haud quaquam congruentibus edebantur. Maximum autem nefas cum in præsens dolorē attulit, tum in futurū pessimo augurio vniuersos conterruit. Nam quum neq

Commodus toties ictus desipit. Sic solent tyranni scelera sceleri b. addere, & veluti perquosdam suæ impietatis gradus in horrēdi exitus abyssum descendere.

Meritò prodigiosis sceleribus prodigia calestia minantur.

neque imbres vlli neque nubes,tantúmque exiguus terręmotus antecessisset,seu nocturni casu fulminis, siue igni aliquo in ipso terrarũ motu velut extrito, totum de improuiso Pacis templum consumptum incendio est, quod vnum scilicet opus cunctorum tota vrbe maximum fuit atque pulcherrimũ, idem templorum omnium opulentissimum, egregiéque munitum,multóque ornatũ auro & argento. Quippe vniuersi fermè suas illuc diuitias,quasi in thesaurum congerebant,ideóque per noctem debacchatus ignis,multos ex opulẽtis egenos reddidit.Quapropter communem quidem iacturam publice omnes, suam autem quisque priuatĩm deplorabant.Sed vbi templum omne consumptum ignibus est, totúsque eius ambitus,plurima quoque &pulcherrima vrbis ædificia conflagrarunt.Inter quæ etiam Vestæ templum,sic vt Palladium quoque nudũ conspiceretur, quod imprimis colũt atque in arcano habentRomani,Troia(vt perhibent)auectum,ac tũ primùm post quam in Italiam deuenit,cõspectum ab hominibus nostræ ætatis. Quippe raptum id Vestales virgines media sacra via in aulam Imperatoris trãstulerunt. Multæ præterea aliæ pulcherrimæque vrbis partes combustæ,plurimósque dies peruagatum incẽdium non prius sedatum est quàm repentinis imbribus extingueretur. Itaque totam rem diis imputabant eius ætatis mortales, quorum scilicet voluntate & inchoasse incendium & desisse arbitrabantur, ac portendi bella quæ sunt deinceps insequuta, consumpto Pacis templo interpretabãntur. Quam deinceps famam rerum euentus(vtpostea dicemus) comprobauit. Enimuero plurimis maximísque incommoditatibus laborante ciuitate, non iam vti antea multitudo beneuolè Commodum aspicere, sed referre omnes eius calamitatis causam in illius iniustos actus, & reliqua vitæ crimina. Siquidem

Nihil seditiosis & sceleratis principibus commune cum pacis templo.

Ruinas vndique eos cernere par est, qui omnia iura euertere student.

Bella iam flagrabant, nẽpe aduersus honestatem,& aequitatem à Cõmodo indicta.

neque latebant populum scelera hominis, neque latere ipse volebat, sed quæ domi non sine infamia patrabantur, ea etiam in publicum ostentare haud verebatur: eóque vecordiæ petulantiæque processit vt paternum primò cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio, Herculem se Iouis filium iusserit appellari, depositóque principum Romanorum cultu, leonis pellem substerneret, manúque clauam gestaret, simul purpureas sibi atque auro intextas vestes circundaret, non sine omnium irrisione: quippe eodem habitu & fœminarum luxum & heroum virtutem repræsentabat. Talem se videlicet quotidie præstabat. Idémque mensium nomina demutauit, ac pro vetustis appellationibus nouas de suis cognominibus imposuit, quorum ad Herculem pleraque tanquam scilicet ad fortissimum referebantur. Quin statuas quoque sibi tota vrbe poni iussit, inque iis vnam pro Curia, quæ arcum contenderet, vt etiam imagines ipsæ terrores atque minas præ se ferrent, quam dein tamen senatus post illius obitum sustulit, próque ea Libertatis imaginem reposuit.

Monstrum hominis habemus sequẽtibus lineis depictum. In eo autem apparent.

Ridicula ambitio.

Puerilis audacia.

10 COMMODVS autem quum temperare iam sibi vltrà non posset, publice spectacula edere professus, omnes se sua manu feras occisurum pollicebatur, & cum fortissimis quibusque iuuenum singulari certamine depugnaturum. Ea quum rumoribus celebrarentur, concurrebant ex Italia omni ac finitimis gentibus vniuersi ad id spectaculum, quod nec antea oculis vsurpauerant, neque vnquam fando audiuerant. Siquidem ita esse certa manus illius dicebatur, vt quodcunque destinaret, iaculo sagittáue contingeret. Erántque cum illo assiduę Parthorum lectissimi sagittarij ac Numidę iaculatores, quos ille tamen omneis longe artificio superabat. Vbi autẽ spectaculi dies adfuit, pleno amphitheatro

Pollicitationes Imperatoria maiestate prorsus indignæ.

Peritia vituperio digna in Principe vocationis suæ partes deserente.

theatro exædificatus Commodo peridromus fuerat, per quem decurrere in orbem posset, ne cominus cum bestiis pugnans periclitaretur, sed supernè ac de tuto loco tela iaciendo, iaculandi potius scientiam quam fortitudinem ostentaret. Ceruos igitur & damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipse atque insequens impetebat, ac præuenta fuga certissimis ictibus prosternebat, Leones vero & pantheras, aliáque id genus nobilissima animalia, currens in orbem superne iaculis confodiebat, sic vt nec telum quisquam secundum, nec vulnus viderit nisi lethiferum. Nam vt primùm se fera concitauerat, statim illam vel in fronte vel in corde sauciabat, nullo præterea vsus scopo, neque ad aliam corporis partem telo destinato, sic vt pariter cum vulnere ipso conficeretur. Cæterùm bestiæ conquirebantur vndique, ac tum primùm vidimus quæ ante in picturis mirabamur. Quippe ex India Aethiopiáque, itémque a meridie & à septentrionibus quicquid incognitum prioribus seculis fuerat, confecit ille pariter atque ostendit, nullo non obstupefacto, tam certa illa manu támque nusquam telis aberrantibus. Idem aliquando sagittas limatæ cuspidis in Maurusias struthos intorquebat, quæ & pedum celeritate & alarum quasi velis ocyssime ferebantur, sic vt summum contingeret collum, atque ita capita amputaret, vt exectis ceruicibus (qui teli impetus fuerat) aliquandiu tamen viuentibus similem cursum continuarent. Quin & pantheram, quæ scilicet edu ctum quẽdam in harenam cursu acerrimo comprehenderat, sic vt iamiam laniatura videretur, ita opportuno vulnere cõsequutus est vt interfecta belua hominem seruauerit, ac dentium quoq; aciem cuspide ipsa iaculi præueniret. Leones item cauea centum eductos, totidẽ missilibus vniuersos occidit, ita

Ostentatio ferinæ pusillanimitatis, non humanæ fortitudinis.

Egregia laus scilicet, ob partam de innocentibus bestiis victoriam.

Curiositas item & sumptus in negotio inutili.

At in exercitiis pietatis, iustitiæ, clemẽtiæ & aliarũ virtutum princeps sapiens totus esse debet.

Aliis exercitiis aliquoties ita vacet vt præcipua illa nunquam deserat.

Tandem venit impudentia ad summum. Vt necesse est eos ad indecora quæque prolabi, qui decorum & æquum obseruare negligunt.

Alter impudentiæ gradus.

suo ordine iacentibus diu corporibus vt numerari facillimè singula possent, nullo scilicet superuacuo incidente telo. Hactenus igitur quæ gerebātur quamuis a principe aliena viderentur, tamen quoniā fortitudinem scientiámque præ se ferrent, popularem quandam gratiam emerebātur. Verùm vbi iam nudus ingressus amphitheatrum est, sumtísque armis numeros gladiatorios implebat, tum verò triste Romano populo spectaculum id visum, nobilissimum Imperatorē, post tam multos parentis sui maiorúmque triumphos, non quidem aduersus beluas arma capere militaria vel Romanorū imperio congruentia, sed amplissimam dignitatem turpissimo fœdissimóque cultu contaminare. Facile autem dimicans suos compares superabat: neq; tamen vltra vulnera procedebat, dante vnoquoque manus, atque Imperatorem potius quam gladiatorem agnoscente. Eóque vesaniæ prouectus est vt deserere principalē aulam atque in ludum gladiatorium migrare instituеret: neq; se amplius Herculem appellari patiebatur, adoptato nobilissimi gladiatoris nomine qui iam vita excessisset. quin simulacro illi colosseo quod Romanis venerabile est, Solis effigiem gerens, capite dempto suum imposuit, atque in basi subscripsit, non quos cōsuesset imperatorios paternósque titulos, sed pro Germanico, Mille gladiatorū victorem.

Impudentiæ & tyrannidis exitus luctuosus.

II CAETERVM ipsum quoque desinere aliquando ab sua vecordia & ciuitatem tyrannide liberari oportebat. Idque anno ineunte, quem diem Romani festum agunt, ad Ianum vetustissimum Italiæ deum referentes, cuius etiam Saturnum ipsum ab Ioue filio pulsum, quum in terrā descendisset, fuisse hospitem prædicant, & quod filij potentiam metuens ibi latuisset, nomen Latio inditum, Græco vocabulo in vernaculum defluxo. Quocirca etiam nunc Romani Saturnalia prius Deo qui latuit, dein verò initiū anni

anni more ſuo concelebrant. Eſtque eius dei biceps imago, vt a quo incipit & in quẽ deſinit annus. Quũ igitur hunc diem feſtum ciuitas agitaret, in quo Romani inuicẽ ſe colũt ſalutantq;, & nomiſmata alter alteri, cæteráq; omnifariam munera miſſitant, ſummique magiſtratus conſpicuam ſibi & ſolennẽ purpurá induunt, vniuerſis diem concelebrantibus ſtatuit Commodus non quidem ex imperatoriis (vt mos erat) ædibus, ſed ex ipſo gladiatorio ludo prodire in publicum, ac pro eleganti veſtitu purpuráq; imperatoria procedere armatus, deducente gladiatorum agmine in conſpectũ Romani populi. Quod vbi conſilium ſuum ad Marciam retulit vnam e ſuis concubinis, cui ſcilicet plurimum deferebat, ac propè vxoris eam loco habebat ſic vt prętèr ignem omnes honores velut Auguſtæ tribuerentur, intellecto mulier tam abſurdo turpíque conſilio, primùm orare multis lacrymis, ſuppléxq; ad genua accidere, ne aut Romanum imperium pollui pateretur, aut ipſe vitam ſuam perditis ac deploratis hominibus tam periculosè committeret. Sed quum diu ſupplicãdo nihil profeciſſet, lacrymans diſceſſit. Ille præfectum exercitibus, Lætũ nomine, & Electum cubiculi cuſtodem ad ſe accitos, parare iubet in ludo ipſo gladiatorio, quò ſe dormitum recipiat, vt illinc ad ſacrificãdum manè procederet, ac ſe armatum Romano populo oſtentaret. Illi multis precibus perſuadere tentabant nequid indignũ principe conaretur. Quibus Cõmodus ira percitus faceſſere ab ſe iuſſis, ſtatim in cubiculum reuerſus, vt quemadmodum conſueuerat meridiaretur, ſumpto in manus libello, quales de philyra tenuiſſimi atque in vtranque parte replicabiles fiunt, conſcribit in eo quoſcunque illâ nocte interficere deſtinauerat. Ex quibus prima erat Martia, mox Lætus atque Electus, poſt hos ingens eorũ numerus qui plurimũ autoritatis in ſena-

Tertius impudentiæ Commodianæ gradus.

A quo reducere eum Martia Lætus & Electus conantur, ſed fruſtra. Ad necem enim tyranni feſtinant.

Quum nefariis & ſanguinariis decretis ſuis accelerant.

tu obtinebant.siquidem senes vniuersos, paternos amicos tollere e medio, ne censura illorũ sua interpellarẽtur flagitia, bonáq; ipsa diuitũ dilargiri partim militibus, partim gladiatoribus decreuerat, vt alteri se defenderẽt, alteri oblectarẽt. Eum igitur libellum ita conscriptum, supra lectulum deposuit, neminem ad se introiturum suspectans. Erat autem pusio quidã infans adhuc ex ea nota qui vestitu cætero nudi, sed auro gemmisq; ornati, solent delicatissimo cuique Romanorum esse oblectamẽto. Is ita Commodo charus erat vt cum illo sæpe etiam cubaret, ac Philocommodus appellaretur, ipso indicante nomine amorem principis. Hic itaque puer forte ludibundus, occupato inter balnea & crapulas Commodo, cubiculum (vt consueuerat) ingressus, sumpto in manus qui supra lectulũ iacebat libello quicum lusitaret, foras processit. ac forte quadam in Martiam incidit: quæ quum puerum etiam ipsa diligeret, complexa prius atque deosculata, libellum manu aufert, verita ne quid ob infantiam inscius puer, rerum fortasse grauiorum labefaceret. Agnita dein Commodi manu, ac legendi cupidine illecta, vbi funesta contineri, ac se primam peti intellexit, Lætúmque & Electum subsequi, tantámque deinceps reliquorum futuram cædem: hæc secum ingemiscens consusurrabat, *Euge Commode, hæccine præmia beneuolentiæ amorísque sunt? Ista scilicet de te merui, quum tam multos annos contumelias ebrietatémque tuam pertuli? Sed nequaquam tibi hæc ita successerint viro temulento aduersus sobriam mulierem.* His dictis, Electum ad se accersit, quem etiam ipsa aliquando per se conuenire, vtpote cubiculi custodem, solita, & cum eo quoque stupri habuisse consuetudinem credebatur: traditóque in manus libello, *Vide*, inquit, *Electe cuiusmodi simus hac nocte festum celebraturi.* Is eo lecto expauefactus (erat autem

At temporis articulo præfixo summus rerum arbiter hæc mundi purgamenta, mirandis modis & Reipublicæ commodo euerrit.

Diuinæ prouidentiæ inuestigabiles viæ sunt. Quis autem tyrannus tutus erit, quũ ab intimis & familiaribus (quoties iusto vindici visum est) potentissimi principum euertantur?

autem Aegyptius genere, audax homo ac prōptus, & irasci facilis) statim signatum libellum per hominem sibi fidum, Læto legendum mittit. Qui item exterritus, ad Martiam contendit, simulans de iis ire se consultatum quæ ad concinnandum ex iussu principis ludum gladiatorium pertinerent. Hoc igitur vsi prætextu, constituunt aut faciendum sibi quamprimum, aut patiendum aliquid: nullum moræ locum, nullum procrastinationi esse. Placitum autem est rem veneno agi, quod se facilè daturam Martia recepit, quippe solita primum illi miscere atque offerre poculum, vt ab amica porrectum suauius biberetur. Igitur redeunti ex balneis commixtum vino odoratissimo venenum in calice obtulit. Ille diu lauando venandóque collecta siti veluti de more propinatum sibi, temere interbibit. Quare statim capitis grauedine occupatus, atque in soporem prolapsus, quum id ex labore accidisse opinaretur, quieti se tradidit. Electus autem & Martia recedere omnes confestim, & suam quenque domum reuerti iubent, ne somni indigum Commodum expergefacerent. Id autem aliàs quoque ex ebrietate nimia facere consueuerat. Nam quum vel balneis vel epulis operam daret, nullum scilicet habebat præstitutum quieti tempus. Etenim aliæ ex aliis voluptates, eæque inter se maxime diuersæ, seruire sibi hominem etiam inuitum quocunque tempore subigebant. Pauxillum igitur cum requieuisset, ac iam se ad stomachum & aluum veneni vis insinuasset, oborta vertigine, vomitus, & quidem affatim, consequutus est: siue ipso cibo quem largiter ante sumpsisset, multáque meri potione virus expellente: seu quoniam principibus mos est, antequam cibum capiant, medicamento vti quo venena prohibeantur. Cæterùm quum multum euomuisset, veriti illi ne veneno quoque omni eiecto

Coniuratio tempestiua in tyrānum. nec enim hic procrastinādum fuit.

Qui ad supplicium à Deo decretum festināt, cordis prius quam capitis vertigine occupantur: & sæpius per quæ qui peccāt per hæc & puniūtur: quēadmodū Commodo accidit.

Non debuit cito extingui nec vno perire supplicio, qui tot crudelitatis & nequitiæ signa ediderat.

colligeret ſeſe,atque vna omnes cædi imperaret,iuueni cuidam,nomine Narciſſo, ſtrenuo ac robuſto, perſuaſerunt vt ingreſſus Commodum ſtrangularet: magna præmia ſe daturos polliciti. Hic irrumpens illum & veneno & crapula languentem, conſtricto gutture interficit. Hunc finem vitæ Commodus habuit,tredecim annos poſt parētis obitum imperio adminiſtrato: vnus omnium añte ſe Imperatorum nobiliſſimus, omniúmque eius ætatis hominum formoſiſſimus. Quod ſi aliquid dicendum de fortitudine quoque eſt, ne in hoc quidem cuiquam, præſertim deſtinandis ictibus, conceſſurus. Sed tamen totam vitæ rationem ſtudiis (vt dictum eſt) fœdiſſimis contaminauit.

Robuſtus gladiator à ſtrenuo & audaci iuuene interficitur.

Fortitudo Cōmodi, nō imperatore, ſed gladiatore digna.

ÆLII LAMPRIDII
Commodus Antoninus.

BREVIARIVM.

1 *Commodi natales, pueritia infamis, functiones publicæ, bellica tyrocinia, probroſa vita.*

2 *Ob crudelitatem nonnulli in necem eius conſpirant. hos autem detectos interficit. Inde aliæ lanienæ oriuntur. Cura Reipublicæ Perenni ſcelerato carnificii relicta, Commodus turpiſſimis deliciis vacat.*

3 *Perenni interfecto ſuccedit Cleander auarus nebulo, paulò poſt occiſus. In nobiles & conſulares viros ſæuit Commodus, qui à Senatu adulatore & ignauo, pius, felix, Hercules & Deus cognominatus eſt: idémque Senatus ſe Commodianum vocat.*

4 *Superſtitioſa & faceta Commodi crudelitas, eáque*

eáque in omne genus hominum eiusdem multiplex luxuria & insania.

5 *Gladiatoria eius exercitia: vnde gubernationis neglectus & rerum confusio, deinde cōiuratio, qua oppressus est.*

6 *Graues Senatus acclamationes post turpissimi & crudelissimi imperatoris Commodi mortem. Quid de eodem Pontifex censuerit.*

1 DE Commodi Antonini parentibus, in vita Marci Antonini satis est disputatum. Ipse autem natus est apud Lanuuium cum fratre Antonino Gemino, pridie Cal. Septembr. patre patruóque coss. vbi & auus maternus dicitur natus. Faustina quum esset Commodo cum fratre prægnans, visa est in somnis serpentes parere. sed ex his vnum ferociorem. Quum autem peperisset Commodum atque Antoninum, Antoninus quadrimus est elatus, quem parem astrorum cursu Commodo mathematici promittebant. Mortuo igitur fratre, Commodum Marcus & suis præceptis & etiam magnorum atque optimorum virorum erudire conatus est. Habuit literatorem Græcum, Onesicritum: Latinum, Capellam Antistium: orator ei Atteius Sanctus fuit. Sed tot disciplinarum magistri nihil ei profuerunt. *Tantum valet aut ingenii vis, aut eorum qui in aula institutores habentur.* Nam à prima statim pueritia, turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoque pollutus & constupratus fuit: iam in his artifex quę stationis imperatoriæ non erant, vt calices fingeret, saltaret, cantaret, sibilaret, scurram denique & gladiatorem se perfectum ostenderet. Auspicium crudelitatis apud Centumcellas dedit anno ętatis XII. Nam quum tepidius forte lotus esset, balneatorem in fornacem coniici iussit: quando à pædagogo cui hoc iussum fuerat, veruecina pellis in fornace con-

Superbo nomini effectus minimè respondent.

Et verè serpētem reip. peperit, atque adeo ferocissimum.

Disciplina rū magistros praua natura & aulica institutio delet.

Crudelitatis Cōmodianæ auspicium.

ſumpta eſt, vt fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret. Appellatus eſt autem Cæſar puer cum fratre ſuo Seuero. XIIII ætatis anno in collegium ſacerdotum aſcitus eſt. Cooptatus inter tres ſolos principes iuuentutis quum togam ſumpſit: adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque ipſe in baſilica Trajani præſedit. Indutus autem toga eſt Nonarum Iuliarum die, quo in terris Romulus non apparuit, & eo tempore quo Caſſius à Marco deſciuit. Profectus eſt, commendatus militibus, cum patre in Syriam & Aegyptum, & cum eo Romam rediit. Poſt hæc venia legis Annariæ impetrata, COS. eſt factus: & cum patre Imperator eſt appellatus V. Cal. Decemb. die, Pollione & Apro COS. & triumphauit cum patre: nam & hoc patres decreuerant. Profectus eſt cum patre & ad Germanicum bellum. Adhibitos cuſtodes vitæ ſuæ honeſtiores ferre non potuit, peſſimos quoſque detinuit, & ſubmotos vſque ad ægritudinem deſiderauit: quibus per patris mollitiem reſtitutis, popinas & ganeas in palatinis ſemper ædibus fecit: neque vnquam pepercit vel pudori vel ſumptui. In domo aleam exercuit. Mulierculas formæ ſcitioris, vt proſtibula mancipia lupanarium ludibrium ad pudicitiæ contraxit. Imitatus etiam propolas circumforaneos, equos curules ſibi comparauit. Aurigæ habitu currus rexit, gladiatoribus conuixit, aquam geſſit vt lenonum miniſter, vt probris natum magis quàm ei loco eum crederes ad quem fortuna prouexit. Patris miniſteria ſeniora ſubmouit, amicos ſenes abiecit. Filium Saluij Iuliani qui exercitibus præerat, ad impudicitiam fruſtra tentauit, atque exinde Iuliano tetendit inſidias. Honeſtiſſimos quoſque, aut per contumeliam aut per honorem indigniſſimum, abiecit. Appellatus eſt à mimis quaſi obſtupratus, eoſdémque ita vt non apparerent, ſubitò deportauit. Bellum etiam quod pater

Honores nõ mutant impios mores, ſed detegunt & augent.

Vir impius poteſtate armatus vitæ cuſtodes honeſtiores ferre nõ poteſt, ſed peſſimorum gaudet conſortio.

Senes & fidi conſiliarij ſtultis iuuenib. exoſi.

pater penè consecerat, regibus hostium addictus remisit, ac Romam reuersus est. Romam vt rediit, subactore suo Antero post se in curru locato, ita triumphauit vt eum sæpius ceruice reflexa publicè oscularetur: etiam in orchestra hoc idem fecit. Et quum potaret in lucem, heluaretúrque viribus Romani imperij, vespera etiam per tabernas ac lupanaria volitauit. Misit homines ad prouincias regendas, vel criminum socios, vel a criminosis commendatos.

Infamis & polluta libidinib. variis vita ignaua & ad vtilia belli aut pacis exercitia inutilis esse solet.

2 IN senatus odium ita venit vt & ipse crudeliter in tanti ordinis perniciem sæuiret, fierétque contemptui. Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam compulit ad eius interfectionem consilia inire non sine præf. præt. Tarrutini Paterni consilio. Datum autem est negotium peragendæ necis Claudio Pompeiano propinquo, qui ingressus ad Commodum districto gladio, quum faciendi potestatem habuisset, in hæc verba prorumpens, Hunc tibi pugionem senatus mittit: detexit facinus fatuus, nec impleuit, multis cum eo participantibus causam. Post hæc interfecti sunt Pompeianus primò & Quadratus: dein Narbana atque Norbanus & Paralius, & mater eius Lucilla in exilium exacta. Quum præf. præt. vidissent Commodum in tantum odium incidisse, obtentu Anteri, cuius potentiam præf. præt. ferre non poterant, vrbanè Anterum eductum à palatio sacrorum causa, & redeuntem in hortos suos, per frumentarios occiderunt. Id verò grauius quam de se ipso Commodo fuit. Paternum autem & huius cædis autorem, & (quantum videbatur) paratæ necis Commodi conscium, & interuentorem ne coniuratio latius puniretur, instigante Tigidio, per laticlaui honorem à præfecturæ administratione submouit. Post paucos dies insimulauit eum coniurationis, quum diceret ob hoc pro-

Sitis humani sanguinis in tyranno inexplicabilis: sed qui illius contẽptũ & necẽ cruentam parit.

Anterus Cõmodi turpiss. subactor merito supplicio sublatus. Eiusmodi autẽ impurorũ mortem turpissimi tyranni grauiter ferunt.

missam Iuliani filio filiam Paterni, vt in Iulianum transferretur imperium. Quare & Paternum & Iulianum & Vitruuium Secundum Paterni familiarissimum, qui epistolas imperatorias curabat, interfecit. Domus præterea Quintiliorum omnis extincta, quòd Sextus Cocidiani filius, specie mortis ad defectionem diceretur euasisse. Interfecta & Vitrasia Faustina, & Velius Rufus, & Egnatius Capito consularis. In exilium autem acti sunt Aemilius Iunctus & Attilius Seuerus c o s s, & in multos alios variè sæuitum. Post hæc Commodus nunquam facile in publicum processit: neque quicquam sibi nuntiari passus nisi quod Perennis antè tractasset. Perennis autem Commodi animum persciens, inuenit quemadmodum ipse potens esset. Nam persuasit Commodo vt ipse deliciis vacaret, idem verò Perennis curis incumberet: quod Commodus lætanter accepit. Hac igitur lege viuens ipse cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricúmque delectu ad formæ speciem conciliauerat, trecentísque aliis puberibus exoletis, quos æquè ex plebe ac nobilitate, nuptúsque forma disceptatrice collegerat, in palatio per conuiuia & balneas bacchabatur. Inter hæc habitu victimarij, victimas immolauit: in harena rudibus inter cubicularios gladiatores pugnauit, lucentibus aliquando mucronibus. Tunc tamen Perennis cuncta sibimet vindicauit: quos voluit interemit, spoliauit plurimos, omnia iura subuertit, prædam omnem in sinum contulit. Ipse autem Cõmodus Lucillam sororem, quum eam compressisset, occidit: sororibus dein suis cæteris vt dicitur, constupratis, consobrina patris complexibus suis coniuncta, vni etiam ex concubinis matris nomen imposuit & vxoris. Quam deprehensam in adulterio exegit, exactam relegauit, & postea occidit. Ipsas concubinas suas sub oculis suis stuprari

Fortes autẽ & bonos viros, reip. columina & ornamẽta ferre nequeũt, immò crudeliter necãt: vt ex sequẽtium seculorum exẽplis colligere licet.

Perditus princeps nefandis libidinibus indulget.

Dum audax & crudelis præfectus omnia iura subuertit.

prari iubebat. Nec irruentium in se iuuenum carebat infamia, omni parte corporis, atque ore in sexum vtrunque pollutus. Occisus est eo tempore etiam Claudius quasi a latronibus: cuius filius cum pugione quondam ad Commodum ingressus est, multique alij senatores sine iudicio interempti, fœminæ quoque diuites. Et nonnulli per prouincias à Perenni ob diuitias insimulati, spoliati sunt, vel etiam interempti. His autem quibus deerat ficti criminis appositio, obiiciebatur quòd scribere voluissent Commodum hæredem. Eo tempore in Sarmatia res benè gestas per alios duces, in filium suum Perennis referebat.

Horrēda rerum facies.

A Perennis & Commodi successorib. nouißimis seculis, heu! renouatæ.

3 HIC tamen Perennis qui tantum potuit, subitò, quòd bello Britannico militibus equestris loci viros præfecerat, amotis senatoribus, prodita re per legatos, exercitus hostis appellatus lacerandúsque militibus est deductus. In cuius potentiæ locum Cleandrum ex cubiculariis subrogauit. Multa sanè post interfectum Perennem eiúsque filium, quasi à se non gesta rescidit, velut in integrum restituens. Et hanc quidem pœnitentiam scelerum vltra triginta dies tenere non potuit, grauiora per Cleandrum faciens quam fecerat per suprà dictum Perennem. Et in potentia quidem Cleander Perenni successerat: in præfectura verò Niger, qui sex tantùm horis præfectus prætorij fuisse perhibetur. Mutabantur enim præfecti prætorij per horas ac dies, Commodo peiora omnia quàm fecerat antè, faciente. Fuit item Martius Quartus præf. præt. diebus quinque. Horum successores ad arbitrium Cleandri aut retenti sunt aut occisi. Ad cuius nutum etiam libertini in senatum atque in patritios lecti sunt: túncque primùm vigintiquinque COSS. in vnum annũ, venditęque omnes prouincię. Omnia Cleander pecunia venditabat. reuocatos de exilio digni-

Iusta in Perēnem numinis vindicta.

Perenni scleratus nebulo Cleander succedit

Nouo flagello imperium Romanū debuit castigari.

Tyrānorum animus leuis & inconstans.

Sub iisdem prouinciæ venales.

tatibus ornabat, res iudicatas reſcindebat: qui tantum per ſtultitiam Commodi potuit, vt Byrrum ſororis Commodi virum reprehendentem nuntiantémque Commodo quæ fiebant, in ſuſpicionem regni affectati traheret & occideret, multis aliis qui Byrrum defendebant, pariter interemptis. Præfectus etiam Ebutianus inter hos eſt interemptus: in cuius locum ipſe Cleander cum aliis duobus quos ipſe delegerat, præfectus eſt factus. Túncque primùm tres præf. præt. fuere, inter quos libertinus qui à pugione appellatus eſt. Sed & Cleandro dignus tandem vitæ finis impoſitus. Nam quum inſidiis illius Arrius Antoninus fictis criminibus in Attali gratiam, quem in proconſulatu Aſiæ damnauerat, eſſet occiſus, nec eam tum inuidiam populo ſæuiente Commodus ferre potuiſſet, plebi ad pœnam donatus eſt: quum etiam Apolauſtus, aliique liberti aulici pariter interempti ſunt. Cleander inter cætera etiam concubinas eius conſtuprauit, de quibus filios ſuſcepit, qui poſt eius interitum cum matribus interempti ſunt. In cuius locum Iulianus & Regillus ſubrogati ſunt: quos & ipſos poſtea pœnis affecit. His occiſis, interemit Seruilium & Dulium Syllanos cum ſuis: mox Anitium Lupum, & Petronios Mamertinum & Suram, filiúmque Mamertini Antoninum ex ſorore ſua genitum. Et poſt eos ſex ſimul ex conſularibus, Allium Fuſeum, Celium Felicem, Luceium Torquatum, Lartium Eurupianum, Valerium Baſſianum, Pactuleium Magnum cum ſuis: atque in Aſia Sulpitium Craſſum proconſulem, & Iulium Proculum cum ſuis, Claudiúmque Lucanum conſularem, & conſobrinam patris ſui Fauſtinam Anniam in Achaia, & alios infinitos. Deſtinauerat & alios quatuordecim occidere, quũ ſumptus eius iniuriis Romani imperij ſuſtineri nõ poſſent. Inter hęc Commodus, ſenatu ſemet tradente

Stultitia principum pabulum Cleãdrorũ.

Tandem verò crudelitatẽ populi Cleander ſatiat.

Ad ingeniũ verò crudeles principes facilè redeunt.

Senatus Romani ſemet

te, quum adulterum matris consulem designasset, appellatus est Pius, quum occidisset Perennem, appellatus est Felix. Inter plurimas cædes multorum ciuium, quasi quidam nouus Sylla, idem Commodus ille Pius, ille Felix, finxisse etiam quandam contra se coniurationem dicitur vt multos occideret. Nec alia vlla fuit defectio præter Alexandri, qui postea se & suos interemit, & sororis Lucillæ. Appellatus est Commodus etiam Britannicus ab adulatoribus, quum Britanni etiam imperatorem contra eum deligere voluerint. Appellatus est etiam Romanus Hercules, quòd feras Lanuuij in amphitheatro occidisset. Erat enim hæc illi consuetudo, vt domi bestias interficeret. Fuit præterea ea dementia vt vrbem Romam, coloniam Commodianam vocari voluerit: cui furor dicitur inter delinimenta Martiæ iniectus. Voluit etiam in circo quadrigas agitare. Dalmaticatus in publico processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit. Et eo quidem tempore quo ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solùm senatus hoc libenter accepit per irrisionem (quãtum intelligitur) sed etiam seipsum Commodianum vocauit, Commodum Herculem & deum appellans. Simulauit se & in Africam iturum vt sumptum itinerarium exigeret: & exegit, eúmque in conuiuia & aleam conuertit. Motilenum præf. præt. per ficus veneno interemit. Accepit statuas in Herculis habitu, eíque immolatum est vt deo. Multos præterea parauerat interimere, quod per paruulum quendam proditum est qui tabulam è cubiculo eiecit, in qua occidendorum erant nomina scripta.

tradentis ignauia & perniciosissima adulatio. Qui iustitiæ partes fortiter tueri debent, si eas deserunt omnium sceleratissimi & homines ad seruitutẽ nati apparent.

Irrisione quidem dignus & senatus & nouus ille deus Adulatorũ togatorum effigies.

4 SACRA Isidis coluit, vt & caput raderet & Anubin portaret. Bellonæ seruientes verè secare brachium præcepit studio crudelitatis. Isiacos verò pineis vsque ad perniciem pectus tundere cogebat.

Tyranni in superstitionismagistros sæpissimè sæuiunt.

Quum Anubin portaret, capita Isiacorum grauiter obtundebat ore simulacri. Claua non solùm leones in veste muliebri & pelle leonina, sed etiam multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos qui ambulare non possent, in gigantum modum formauit, ita vt a genibus de pannis & linteis quasi dracones digererentur, eosdémque sagittis confecit. Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, quum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat. Etiam puer & gulosus & impudicus fuit. Adolescens omne genus infamauit hominum quod erat secum, & ab omnibus est infamatus. irridentes se feris obiiciebat. Eum etiam qui Tranquilli librum vitam Caligulæ continentem legerat, feris obiici iussit: quia eundem diem natalis habuerat quem & Caligula. Siquis sanè se mori velle prædixisset, hunc inuitum præcipitari iubebat. In iocis quoque perniciosus. nam eum quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat. Obtonsi oneris pinguem hominem medio ventre dissecuit, vt eius intestina subitò funderentur. Monopodios & luscinios, eos quibus aut singulos tulisset oculos aut singulos pedes fregisset, appellabat. Multos præterea passim extinxit: alios quia barbarico habitu occurrerant: alios quia nobiles & speciosi erant. Habuit in deliciis homines appellatos nominibus verendorum vtriusque sexus, quos libentius suis oculis applicabat. Habuit & hominem pene prominente vltra modum animalium, quem Onon appellabat, sibi charissimum: quem & ditauit & sacerdotio Herculis rustici præposuit. Dicitur sæpe pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse gustu, aliis (vt putabat) irrisis. Duos gibbos retortos in lance argentea sibi sinapi perfusos exhibuit, eosdémque statim promouit

Sæuitia in obuios quosque lusus et iocus tyrannorum.

Quauis fera isti sunt ferociores.

Nec finem nec modum reperit istorum crudelitas.

Dignus Cõmodi sacerdos. Nihil turpe turpitudini.

mouit ac ditauit. Præf. præt. ſuum Iulianum togatum, pręſente officio ſuo in piſcinam detruſit: quem ſaltare etiam nudum ante concubinas ſuas iuſſit quatientem cymbala, deformato vultu. Genera leguminum coctorum ad conuiuium propter luxurię continuationem raro vocauit. Lauabat per diem ſepties atque octies, & in ipſis balneis edebat. Deorum templa polluit ſtupris & humano ſanguine. Imitatus eſt & medicum, vt ſanguinem hominibus emitteret ſcalpris feralibus. Menſes quoque in honorem eius pro Auguſto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Inuictum, pro Nouembri Exuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex ſigno ipſius adulatores vocabant. Amazonius autem vocatus eſt ex amore concubinæ ſuæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat: propter quam & ipſe Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit. Gladiatorum etiam certamen ſubiit, & nomina gladiatorum recepit eo gaudio quaſi acciperet triumphalia. Ludum ſemper ingreſſus eſt: & quoties ingrederetur, publicis monumentis indi iuſſit. Pugnaſſe autem dicitur ſeptingenties tricies quinquies. Nominatus inter Cæſares quarto Iduum Octobrium, quas Herculeas poſtea nominauit, Pudente & Pollione COSS. Appellatus Germanicus, Idibus Herculeis, Maximo & Orphito COSS. Aſſumptus eſt in omnia collegia ſacerdotalia ſacerdos, XIII Calendas Inuictas, Piſone & Iuliano COSS. Profectus in Germaniam XIIII Calendas Aelias, vt poſtea nominauit, iiſdem COSS. Togam virilem accepit cum patre: appellatus imperator quinto Calendas Exuperatorias, Pollione iterum & Apro COSS. Triumphauit decimo Calendas Amazonias, iiſdem COSS. Iterum profectus tertio Nonas Commodias, Orphito & Ruffo COSS. Datus in perpetuum ab

Quàm miſerum, tyrãnis ſeruire!

Nihil tyrannide ſuperbius & magis ridiculũ

Triumphus inanis.

Honores, hominum indignißimo collati.

12

Profectiones in Germaniam.

exercitu & ſenatu in domo palatina Commodiana conſeruandus, XI Calendas Romanas, Præſente iterum COS. Tertiò meditans de profectione, à Senatu & populo ſuo retentus eſt. Vota pro eo facta ſunt Nonis Piis, Fuſciano iterum COS.

Gladiatoria Cōmodi exercitia, imperatoriæ maieſtati conuenientia.

5 INTER hæc refertur in literas, pugnaſſe illum ſub patre trecēties ſexagies quinquies. Item poſtea tantum palmarum gladiatoriarum confeciſſe, vel victis retiariis vel occiſis, vt mille contingeret. Ferarum autem diuerſarum manu ſua occidit multa millia, ita vt elephantos occideret. Et hæc fecit ſæpe ſpectante populo Romano. |Fuit autem validus ad hæc, alias debilis & infirmus, vitio etiam inter inguina prominenti, ita vt eius tumorem per ſericas veſtes populus Romanus agnoſceret. Verſus in eum multi ſcripti ſunt, de quibus etiam in opere ſuo Marius Maximus gloriatur. Virium ad conficiendas feras tantarum fuit vt elephantum conto transfigeret: & orygis cornu haſta tranſmiſerit: & ſingulis ictibus multa millia ferarum ingentium conficeret. Impudentiæ tantæ fuit vt cum muliebri veſte in amphitheatro vel theatro ſedens, publicè ſæpiſſimè biberit. Victi ſunt ſub eo tamen, quum ille ſic viueret, per legatos, Mauri, Victi Daci, Pannoniæ quoque compoſitæ: in Britannia, in Germania & in Dacia imperium eius recuſantibus prouincialibus. Quæ omnia iſta per duces ſedata ſunt. Ipſe Commodus in ſubſcribendo tardus & negligens, ita vt libellis vna forma multis ſubſcriberet: in epiſtolis autem plurimis, Vale, tantùm ſcriberet. Agebantúrque omnia per alios, qui etiam condemnationes in ſinum vertiſſe dicuntur. Per hanc autem negligentiam, quum & annonam vaſtarent ij qui tunc rempub. gerebant, etiam inopia ingens Romę exorta eſt quum fruges non deeſſent: & eos quidem qui omnia vaſtabant, poſtea Commodus occidit atque proſc

Imperatorē pium, iuſtū, clementem, populi patrem impiorum non ferarū interemptorē eſſe oportet.

Nec officio cōmiſſo defungūtur, vt par eſt, qui indecoras artes colūt. Ex

proſcripſit.Ipſe verò ſeculum aureum,Commodianum nomine aſſimulans, vilitatem propoſuit, ex qua maiorem penuriam fecit. Multi ſub eo & alienam pœnam & ſuam ſalutem pecunia redemerunt. Vendidit etiam ſuppliciorum diuerſitates & ſepulturas & immunitates malorum, & alios pro aliis occidit. Vendidit etiam prouincias & adminiſtrationes,quum hi per quos venderet, partem acciperent,partem vero Commodus. Vendidit nonnullis & inimicorum ſuorum cædes. Vendiderunt ſub eo etiam euentus litium liberti. Præfectos Paternum & Perennem non diu tulit, ita tamen vt etiam de his præfectis quos ipſe fecerat, triennium nullus impleret: quorum plurimos interfecit vel veneno vel gladio. Et præfectos vrbi eadem facilitate mutauit. Cubicularios ſuos libenter occidit, quum omnia ex nutu eorum ſemper feciſſet. Electus cubicularius quum videret eum tam facilè cubicularios occidere, præuenit eum, & factioni mortis eius interfuit. Spectator gladiatoria ſumpſit arma, panno purpureo nudos humeros aduelans. Habuit præterea morem vt omnia quæ turpiter, quæ impure, quæ crudeliter,quæ gladiatoriè,quæ lenonicè faceret,actis vrbis indi iuberet,vt Marij Maximi ſcripta teſtantur.Commodianum etiam P.R. dixit, quo ſæpiſſimè præſente gladiator pugnauit.Sanè quum illi ſæpe pugnanti,vt deo,populus fauiſſet, irriſum ſe credens,populum Romanum à militibus claſſiariis qui vela ducebant, in amphitheatro interimi præceperat. Vrbem incendi iuſſerat, vtpote coloniam ſuam. Quod factum eſſet niſi Lætus præf.prætorio. Commodum deterruiſſet. Appellatus eſt ſanè inter cætera triumphalia nomina, etiam ſexcenties vicies Paulus primus ſequutorum. Prodigia eius imperio & publicè & priuatim hæc facta ſunt:Crinita ſtella apparuit. Veſtigia deorum in foro viſa ſunt

illa autē negligētia Reipub naſcitur labes, & venalia fiunt omnia.

Nihil ordine geritur ſub inordinatis principib. in quos primarij ſerui facilè conſpirant.

Summa impudētia. At quid tyrannum pudet? & digna Roma quæ à tali magiſtro regeretur.

15.

16

Sub prodigioso imperio, prodigia meritò fiũt, vt cœlum ipsum propter tot flagitia cohorreat, & in tyranni exitium omnia tacito quodam impetu conspirare videantur.

exeuntia. Et antè bellum desertorum cælum arsit: & repentina caligo ac tenebræ in circo Cal. Ianuariis oborta: & ante lucem fuerant etiam incendiariȩ aues, ac diræ. De palatio ipse ad Cælium montem in Vectilianas ædes migrauit, negans se in palatio posse dormire. Ianus geminus sua sponte apertus est, & Anubis simulacrum marmoreum moueri visum est. Herculis signum æneum sudauit in Minutia per plures dies. Bubo etiam supra cubiculum eius deprehẽsus est tam Romæ quàm Lanuuij. Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: & contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire, quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis præsidens. Galea eius bis per portam libitinensem elata est. Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos: circa alios omnes parcissimus fuit, quòd luxuriæ sumptibus ærarium minuerat. Circenses multos addidit ex libidine potius quàm religione, & vt dominos factionum ditaret.

17 *Nimis sera in sceleratorum scelera tissimum, sed tandem opportuna coniuratio.*

His incitati, licet nimis serò, Quintus Aelius Lȩtus prȩfectus, & Martia concubina eius, inierunt coniurationem ad occidendum eum. Primùm ei venenum dederunt: quod quum minus operaretur, per athletam cum quo exerceri solebat, eum strangulauerunt. Fuit forma quidem corporis iusta, vultu insubido, vt ebriosi solent, & sermone incondito, capillo semper fucato & auri ramentis illuminato, adurens comam & barbam timore tonsoris. Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, senatus & populus postulauit: sed postea iussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est. Opera eius prȩter lauacrum quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla extant: sed nomen eius alienis operibus incisum, senatus erasit. nec patris

Quem viuũ vt Deum coluerũt, mortuum vt canem polluerunt. Hæc est tyrannorum merces.

autem

autem sui opera perfecit. Classem Africanam instituit: quæ subsidio esset si forte Alexandrina frumenta cessassent. Ridicule etiam Carthaginem, Alexandriam Commodianam togatam appellauit: quum classem quoque Africanam, Commodianam Herculeam appellasset. Ornamenta sane quædam colosso addidit, quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit quod Neronis esset, ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita vt illum gladiatorium effœminatum non prætermitteret. Hunc tamen Seuerus imperator amantissimus nominis sui, odio (vt videtur) senatus, inter deos retulit, flamine addito quem ipse viuus sibi parauerat, Herculaneo Commodiano. sorores tres superstites reliquit. Vt natalis eius celebraretur, Seuerus instituit.

Aliæ Commodi insania.

6 ACCLAMATIONES senatus post mortem Commodi graues fuerunt. Vt autem sciretur quod iudicium senatus de Commodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiam senatusconsulti: *Hosti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida gladiator in spoliario lanietur. Hostis deorum, carnifex senatus. hostis deorum, parricida senatus. hostis deorum, hostis senatus. gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, vnco trahatur. Qui innocentes occidit, vnco trahatur: hostis, parricida, verè seuerè. Qui sanguini suo non pepercit, vnco trahatur. Qui te occisurus fuit, vnco trahatur. Nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. Vt salui simus Iupiter optime maxime, serua nobis Pertinacem. Fidei prætorianorum feliciter: prætoriis cohortibus feliciter: exercitibus Romanis feliciter: pietati senatus feliciter. Parricida trahatur. Rogamus Auguste, parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæsar. Delatores ad leonem, exaudi Cæsar. Delatores ad leonem, exaudi Cæsar.*

Acclamationes Senatus, Commodū Deum suum lacerantis. Ista aulici & togati adulatores stultitiæ suæ messem colligunt.

Supplicatio ad Pertinacē Augustū.

Sub prodigioso imperio, prodigia meritò fiũt, vt cœlum ipsum propter tot flagitia cohorreat, & in tyranni exitium omnia tacito quodam impetu conspirare videantur.

exeuntia. Et antè bellum desertorum cælum arsit: & repentina caligo ac tenebræ in circo Cal. Ianuariis oborta: & ante lucem fuerant etiam incendiariæ aues, ac diræ. De palatio ipse ad Cælium montem in Vectilianas ædes migrauit, negans se in palatio posse dormire. Ianus geminus sua sponte apertus est, & Anubis simulacrum marmoreum moueri visum est. Herculis signum æneum sudauit in Minutia per plures dies. Bubo etiam supra cubiculum eius deprehẽsus est tam Romæ quam Lanuuij. Ipse autem prodigium non leue sibi fecit. Nam quum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit: & contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos, ad munus conuenire, quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis præsidens. Galea eius bis per portam libitinensem elata est. Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos: circa alios omnes parcissimus fuit, quòd luxuriæ sumptibus ærarium minuerat. Circenses multos addidit ex libidine potius quàm religione, & vt dominos factionum ditaret.

17 *Nimis sera in sceleratorum scelera tißimum, sed tandem opportuna con iuratio.*

His incitati, licet nimis serò, Quintus Aelius Lętus pręfectus, & Martia concubina eius, inierunt coniurationem ad occidendum eum. Primùm ei venenum dederunt: quod quum minus operaretur, per athletam cum quo exerceri solebat, eum strangulauerunt. Fuit forma quidem corporis iusta, vultu insubido, vt ebriosi solent, & sermone incondito, capillo semper fucato & auri ramentis illuminato, adurens comam & barbam timore tonsoris.

Quem viuũ vt Deum coluerũt, mortuum vt canem pollue-runt. Hæc est tyrannorum merces.

Corpus eius vt vnco traheretur, atque in Tiberim mitteretur, senatus & populus postulauit: sed postea iussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est. Opera eius pręter lauacrum quod Cleander nomine ipsius fecerat, nulla extant: sed nomen eius alienis operibus incisum, senatus erasit. nec patris

autem

autem sui opera perfecit. Classem Africanam instituit: quæ subsidio esset si forte Alexandrina frumenta cessassent. Ridicule etiam Carthaginem, Alexandriam Commodianam togatam appellauit: quum classem quoque Africanam, Commodianam Herculeam appellasset. Ornamenta sane quædam colosso addidit, quæ postea cuncta sublata sunt. Colossi autem caput dempsit quod Neronis esset, ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita vt illum gladiatorium effœminatum non prætermitteret. Hunc tamen Seuerus imperator amantissimus nominis sui, odio (vt videtur) senatus, inter deos retulit, flamine addito quem ipse viuus sibi parauerat, Herculaneo Commodiano. sorores tres superstites reliquit. | Vt natalis eius celebraretur, Seuerus instituit.

Aliæ Commodi insaniæ.

6 ACCLAMATIONES senatus post mortem Commodi graues fuerunt. Vt autem sciretur quod iudicium senatus de Commodo fuerit, ipsas acclamationes de Mario Maximo indidi, & sententiam senatusconsulti: *Hosti patriæ honores detrahantur, parricidæ honores detrahantur, parricida trahatur. Hostis patriæ, parricida gladiator in spoliario lanietur. Hostis deorum, carnifex senatus. hostis deorum, parricida senatus. hostis deorum, hostis senatus. gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, vnco trahatur. Qui innocentes occidit, vnco trahatur: hostis, parricida, verè seuerè. Qui sanguini suo non pepercit, vnco trahatur. Qui te occisurus fuit, vnco trahatur. Nobiscum timuisti, nobiscum periclitatus es. Vt salui simus Iupiter optime maxime, serua nobis Pertinacem. Fidei prætorianorum feliciter: prætoriis cohortibus feliciter: exercitibus Romanis feliciter: pietati senatus feliciter. Parricida trahatur. Rogamus Auguste, parricida trahatur. Hoc rogamus, parricida trahatur. Exaudi Cæsar. Delatores ad leonem, exaudi Cæsar. Delatores ad leonem, exaudi Cæsar.*

Acclamationes Senatus, Commodũ Deum suum lacerantis. Ista aulici & togati adulatores stultitia sua messem colligunt.

Supplicatio ad Pertinacẽ Augustũ.

Sepratum ad leonem. Victoriæ populi Romani feliciter: fidei militum feliciter: fidei prætorianorum feliciter: cohortibus prætoriis feliciter. Hostis statuas vndique, parricidæ statuas vndique, gladiatoris statuas vndique: gladiatoris & parricidæ statuæ detrahantur. necator ciuium trahatur, parricida ciuium trahatur, gladiatoris statuæ detrahantur. Te saluo, salui & securi sumus, verè, verè: modò verè, modò dignè, modò verè, modò liberè. Nunc securi sumus, delatoribus metum. Vt securi simus, delatoribus metum: salui simus, delatores de Senatu. [*Delatoribus fustem te saluo. delatores ad leonem te imperante. delatoribus fustem. Parricidæ gladiatoris memoria aboleatur, parricidæ gladiatoris statuæ detrahantur. Impuri gladiatoris memoria aboleatur: gladiatorem in spoliario. Exaudi Cæsar. carnifex vnco trahatur. carnifex Senatus more maiorum vnco trahatur. Sæuior Domitiano, impurior Nerone, sic fecit, sic patiatur. Memoriæ innocentium seruentur, honores innocentium restituas. Rogamus, parricidæ cadauer vnco trahatur, gladiatoris cadauer vnco trahatur, gladiatoris cadauer in spoliario ponatur. Præroga, præroga, omnes censemus vnco trahendum. Qui omnes occidit, vnco trahatur. Qui omnem ætatem occidit, vnco trahatur. Qui vtrumque sexum occidit, vnco trahatur. Qui sanguini suo non pepercit, vnco trahatur. Qui templa spoliauit, vnco trahatur. Qui testamenta deleuit, vnco trahatur. Qui viuos spoliauit, vnco trahatur. Seruis seruiuimus. Qui pretia vitæ exegit, vnco trahatur. Qui pretia vitæ exegit & fidem non seruauit, vnco trahatur. Qui Senatum vendidit, vnco trahatur. Qui filiis abstulit hæreditatem, vnco trahatur. Indices de Senatu, delatores de Senatu: seruorum subornatores de senatu. & tu nobiscũ timuisti, omnia scis, bonos & malos nosti: omnia scis, omnia emenda, pro te timuimus. O nos felices te viro imperante. De parricida refer, refer, perroga, præsentiam tuam rogamus. Innocentes sepulti non sunt. Parricidæ cadauer trahatur. Parricida sepultos eruit: parricidæ cadauer trahatur*.] Et quum iussu Pertinacis Liuius Laurensis procurator patrimon

Veterũ acclamationũ habet hic lector obseruãdam multiplicémq; formulam.

Scelerũ Cõmodianorũ necessaria repetitio ad maiorẽ execrationem.

monij, Fabio Chiloni consuli designato dedisset, per noctem Commodi cadauer sepultum est. Senatus acclamauit, *Quo autore sepelierunt? Parricida sepultus eruatur, trahatur.* Cingius Seuerus dixit, *Iniuste sepultus est. Quia pontifex dico, hoc collegium pontificum dicit. Quoniam læta percensui, nunc conuertar ad necessaria, censeóque (quòd is qui nonnisi ad perniciem ciuium & ad dedecus suum vixit, ob honorem suum decerni coegit) abolendas statuas: quæ vndique sunt abolendæ, noménque ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum: mensésque his nominibus nuncupandos quibus nuncupabantur quum primùm illud malum in rempub. incubuit.*

In sepulturam tyranni acclamationes & diræ senatus atque pontificis.

HERODIANI

Pertinax.

BREVIARIVM.

1 *Commodo è vita sublato, Lætus, Electus & alii Pertinacem deligunt & ad Imperium capessendum hortantur.*

2 *Rumor de Pertinacis futuro Principatu populo Rom. gratissimus. Lætus renunciata Commodi morte ad exercitum, milites cogit vt Pertinacem vocent ac salutent Augustum.*

3 *Pertinax Imperium recusat, & Glabrionem imperatoria sella sessitare iubet: tandem senatus iussu impulsus, oratione planè imperatoria munus sibi impositum inchoat.*

4 *Præclara administrationis publicæ huius Imperatoris initia, omnibus (præterquam militibus prætorianis) accepta.*

5 *Prætoriani, conspiratione inita, correptis armis meridie ipso Pertinacem inuadunt, & graui oratione se tuentem obtruncant.*

I Malo principe extincto, omnia sursum deorsum ferri videtur. Et hic fructus est inordinatæ Dominationis.

Cciso Commodo, quum celare factum interfectores, & aulicas excubias fallere vellent, vili quodam stragulo inuolutum constrictúmque corpusculum, ac duobus exploratæ fidei famulis impositum, ædibus exportandum, velut aliquid superuacuum ex cubiculi supellectile curauerunt. Qui autem exportabant, per medios euasere custodes, partim ebrios, dormitantésque ac manu languida tenētes hastilia, partim etiam socordes eorum quæ ad se parum pertinere arbitrabantur. Ita corpus principis furtim elatum ac per noctem vehiculo impositum, in Aristeum miserunt. Lętus autem & Electus, Martiáque quid agendum foret diu deliberato, tandem decernunt, ita de eius morte rumores serere, quasi repēte in apoplexiam incidisset. quod facile de illo creditum iri existimabant, quem constabat identidem solitum immoderatis epulis saginari. Sed ante omnia tamen visum est, aliquem prouectum ætate ac modestum hominem deligere ad imperium, per quem & ipsi incolumes forent, & omnes a sęua immoderatáque tyrānide respirarent.

Coniurati mendaciis sibi consulunt ad tempus, & consilia pro re nata sequūtur.

Igitur diu consultato, neminem sic idoneum inuenerunt vt Pertinacem. Erat autem Pertinax genere Italus, domi bellique rebus gestis clarus, multisque insignis trophæis quæ aduersum Germanos atque Oriētales barbaros erexerat. vnúsque erat reliquus e grauissimis illis quos pater Commodo amicos reliquisset, cuique plurimum ex omnibus sociis ducibúsque detulerat: tutus hactenus, vel grauitatem ipsam verito, vel ob paupertatem hominis dissimulante Commodo. Siquidem id quoque illius laudibus accedebat, quòd quum plurima omnium administrasset, tamen erat omnium pauperrimus. Hunc igitur Pertinacem nocte intempesta, sopitis omnibus Lætus atque Electus cum paucis eiusdem

Pessimo principi bonum substituunt Numinis prouidētia, quæ monarchiarum & humanæ societatis curam præcipuam gerit.

factionis adeunt, & quum ianuam occlusam offendissent, ianitorē excitarunt. qui vbi adaperuit, militésque & Lætum præfectum adesse vidit, perterritus atque expauefactus, Pertinaci renunciat. Is admitti ilico iubet, euentura mox inquiens quæ sibi ad eam diem mala præsagiuerat. Tanta porro fuit animi constantia, vt ne lecto quidem se mouerit aut habitum oris demutauerit, sed ingressis Læto atque Electo, quanuis ad se occidendum missos crederet, pleno audacię vultu miniméque pallenti: *Iam pridem* (inquit) *hunc exitum vitæ singulis etiam noctibus sperabam, qui ex omnibus paternis amicis vnus adhuc essem reliquus. Itaque demirabar quónam tam diu rem differret Commodus. Proinde quid statis quin facitis imperata, méque à tristi aliquando ac perpetua formidine liberatis?* Ad hæc Lætus, *Desine* (inquit) *indigna te & superiore vita tua fabulari: neque nos mortem tuam, sed salutem cùm nostram tum Rom. imperii petitum venimus. Iacet enim tyrannus, debitásque luit pœnas, ea passus à nobis quæ in nos facere moliebatur. Quare huc adsumus imperium tibi tradituri, quem vnum ex omni senatu, vel temperantia vitæ, vel autoritate, vel ætate etiam & grauitate morum scimus esse præstantissimum, charúmque populo & venerabilem: sperantes quod agimus & optabile illis & nobis salubre futurum.* Ad hæc Pertinax, *Desinite*, inquit, *senem ludere hominem, atque ita timiditatis arguere, vt prius decipere dein occidere studeatis. Atqui*, inquit Electus, *quando nobis parum credis, cape libellum hunc, (nam manum certè agnoscis Commodi) tute lege: cognosces proculdubio quantum effugerimus periculi, neque tentamentum aliquod in nostris verbis, sed veri fidem deprehendes.* Quod vbi Pertinax fecit, iam profecto viris antea quoque sibi amicissimis credendum ratus, intellecta omni re, totum se illorum potestati permisit.

In rebus trepidis & dubiis, dubia omnia & apparent & veluti trepida manu tractantur.

Sub sano principe primarij viri nil nisi vim & cædes cogitant ac somniant.

Qui sint ad imperādum idonei.

Metus non facilè sedatur.

Commodus suo indicio perit.

2 PLACVIT igitur primò exercitum adiri, ac militum tentari animos: quos tamen Lætus in senten-

Misera principum

conditio, qui à subditorum armatorũ voluntate pendent.

tiam suam facilè se adducturum pollicetur, quippe cuius aliqua, vtpote præfecti, futura esset apud illos autoritas. Quocirca omnes quotquot aderant, ad exercitum festinant, quum iam multum noctis processisset, instante Cal. Ianuariarum die. Mittunt pręterea fidos homines, qui passim rumorem dissemineńt vita defunctum Commodum, Pertinacémque iam imperaturum, contendere ad exercitum. Qui vbi rumor euagatus, repentè populus vniuersus lymphato similis ebacchari, & discurrere per vias, ac lætabundi omnes renuntiare pro se quisque amicis iisque maxime quibus aut dignitas aut diuitiæ superabant. nanque illis potissimùm discrimen impendebat à Commodo. Ibant igitur ad templa & aras diis gratulatum, alij alia vociferantes: quidam iacere tyrannum, pars gladiatorem, nonnulli etiam multo his fœdiora. Quæque hactenus metus represserat, ea nunc licentia ac libertate oborta, impunè iactabantur. Sed & pleraque pars populi cursu concitato ad exercitum contendebat, veritis omnibus vt satis libenter Imperatorem Pertinacem milites acciperent: quippe moderatum principem non sanè nimis ex sententia futurum sperabant militibus, qui scilicet tyrannidi seruire, vimque omnem ac rapinas exercere consueuissent. Itaque velut ad obsequium impulsuri cõfluxere ad castra frequentes. Quò vbi peruentum, ingressi Lætus & Electus vna cum Pertinace sunt: ibi conuocatis militibus, ad hunc modũ Lætus verba facit, COMMODVS *imperator vester apoplexiæ morbo interiit. Causa mortis nemo alius, sed est ipsemet sibi. Nam quum frustra nos optima atque salubria subiiceremus, gerens ille se quemadmodum omnes nostis, cibo potúque nimio suffocatus est. atque is quidem suo sibi fato extinctus periit: quippe non vna eadémque cunctis hominibus mortis causa sed aliæ aliis, cunctæque tamen ad eundem tendentes vitæ finem. Verùm*

Tyrannorũ cæde & clementis principis imperio nihil iucundius aut vtilius subditis accidere potest.

Vulgi affectus vehementes.

Læti de Cõmodi interitu oratio ad milites.

pro illo adducimus vobis ipsi ac Romanus populus virum ætate grauem, vita moderatum, militaris disciplinæ peritissimum, cuius bellicam virtutem vos quidem veterani sæpenumero experti, cæteri tot annos vrbi præfectum non honore solum, sed etiam admiratione dignissimum iudicastis. Igitur fortuna non principem solùm vobis dat, sed parentem quoque optimum. Cuius principatus non vobis modò qui eum præsentes tuemini, sed iis etiam iucundissimus futurus est qui ripas fluuiorum, ac Romani terminos imperii defensant, videlicet res eius præclarè gestas memoria retinentibus. Neque verò iam barbaros nobis pretio conciliabimus: sed eorum memores quæ hoc duce perpessi sunt, metu potius subigentur. Hæc dicente Læto, minime iam se cohibuit populus quin cessante adhuc & dubitabundo milite, Augustum illum declararet, patrémque appellaret, & faustis omnibus acclamationibus prosequeretur. Idē etiam milites factitabant, quanquā non pari alacritate: sed circūfusa vndique inermibus, festúmque agitantibus diem, populi turba facile illos acclamare, ac Pertinacē vocare Augustū coegit. Mox iurati de more in illius nomē, factáq; re diuina laureati omnes, populus atque exercitus, prosequebantur.

Et pro electione Pertinacis in imperatorē populi authoritate confirmata, electíque ipsius virtute, eáque multiplici & imperio dignissima sanctita.

Populi & militum dispar consensus & cogitatio.

3 SED postquam in aulam imperatoriam per noctem (vt diximus) a milite populóque deductus esset, magnis curarū motibus æstuabat. Et quanuis animo esse forti constantíque videretur, tamē illum vehementer præsentia territabant, non de salute sua magnopere solicitum (quippe aliás grauiora pericula contempserat) sed repentinæ tyrannidis mutationem animo versantem, nobilitatémque nonnullorum senatorum reputantem, quos minimè passuros arbitrabatur post Imperatorem generosissimum recidisse principatum ad hominem priuatæ stirpis atque obscuræ. Nam etsi vita ipsius planè temperans ac frugalis bene audiebat, maximámque in bellicis negotiis gloriam fuerat adeptus, attamen claritatē

Moderati principis, tyranno succedentis, cura grauissima.

Quas impendentia pericula augent.

generis multum patriciis impar habebatur. Igitur postquam diluxit, in curiam se cõtulit, neq; ignem sibi præferri, neque vlla principatus insignia passus attolli, donec senatus sentẽtiam scitaretur. Sed eum omnes simul atque viderunt, lætis acclamationibus vnanimiter exceperunt, Augustúmque & Imperatorem cõsalutarunt. At ille recusare instituit, tanquam rem inuidiosam, nomen imperij, excusare senectutem, veniámque orare, multos esse dictitans patritios viros quibus magis imperium conueniret. Simul Glabrionem manu comprehensum protrahẽs, sessitare imperatoria sella iubebat. Erat enim ille omnium patritiorum nobilissimus, ad Aeneam, Veneris & Anchisæ filium, seriem generis referens, idémque iterum consul: qui tamen ita tum loquutus est, EQVIDEM *egomet, quem tu omnium putas dignissimum, cedo tibi imperio, atque vnà mecum senatus omnis summã tibi potestatem decernimus.* Ibi verò ille vim pene afferentibus, atque impensè rogantibus vniuersis, vix tandem dubitabundus sellam imperatoriam conscendit, atque orationem huiuscemodi habuit, CONSENSVS *hic vester, studiúmque eximium vni mihi plurimùm in tanta ista nobilitate deferendi, quum omni adulationis suspicione vacet, argumentúmque beneuolentiæ, fidémque præferat, alium fortaßis audaciorem atque alacriorem redderet ad ea quæ traderentur suscipienda, sperantem facili se gubernatione vsurum, qui tantam in vobis beneuolentiam animaduerteret. Me autem contrà, magna ista scilicet atque egregia sicut honoris sensu obstupefaciunt, ita metu quodam curáque solicitant. Siquidem arduum imprimis est, magnis acceptis beneficiis paria referre. Nam in beneficiorum vicißitudine, si magnam gratiam referat qui paruam debuerit, non tam facilitas remunerandi expenditur quàm in ipso argumẽtum grati animi commendatur. Sed quum prior quispiam eximia in te quędã contulerit, tum si illum parum amplè demerearis, non tam*

His autem, optimatum consensus multam facit medicinam.

Modestia autem, ex sincero animi affectu procedens, potentioribúsque probata.

Et ingenuis vocibus, quæ sincerã mentem & eximiam voluntatem aperiant, Cõsiliariis & primariis viris luculenter testata.

tam deesse quod reponas, quàm ipse inops sensuum ac planè ingratissimus videare. Cerno igitur iam animo quam mihi arduum sit propositum certamen, ne tanto à vobis accepto honore parum me fortasse dignum exhibeam: quippe non in illa ipsa fastigium dignitatis, sed in operibus situm, quæ illum minimè dedecorent. Nam quantum præterita odimus, tantum de futuris bene speramus. Et vt tenax est iniuriarum memoria (quod enim offendit, nunquam obliteratur) sic beneficia in ipso excidunt vsu. Siquidem non tam delectat libertas, quàm seruitus offendit. Neque habēdam quisquam gratiam putat quòd rebus suis pro arbitrio vtatur, quippe id sibi debere iure autumat: qui verò suis exuitur bonis, nunquam sanè iniuriarum obliuiscitur. Neque quisquam lucro apponit quod vtilitatem in commune pariat: quæ enim publicè prosunt, parum cuique curæ sunt. sin quæ propria cuiusque sunt, minus ex sententia ceciderint, tum nemo satis secum benignè agi putat. Adhæc quicunque enormibus tyrannorum atque immensis largitionibus insuerunt, ii, si frugalius paulo aut continentius ex pecuniæ inopia agere instituas, non tam id moderatæ cuidam dispensationi prudentique attribuunt, quàm auaritiam cōtinuò tibi & sordes exprobrant: neue autem cogitant, neminem posse magna cuiuis dilargiri ui se à vi atque à rapinis abstineat. Qui autem rectè ac pro cuiusque dignitate dispensat, non modò nihil cuiquam iniustè eripit, sed & cæteros frugi esse docet, & parcere parto. Hæc igitur cum animis vestris reputantes, adnitimini vos quoque mecum, patres, communémque hanc imperii administrationem existimate. quippe in Rep. optimatium, non autem sub tyrannide victuri, cum ipsi optimam habere spem, tum reliquis etiam debetis polliceri.

Imperatoria planè Pertinacis oratio, dignissima quæ omniū Principum animis frequentius instilletur: iustitiam & temperantiam maximè commendans.

Ac cōsilium & auxiliū optimatum implorans.

Hæc loquutus Pertinax, senatui animum addit: votisque exceptus & acclamationibus, habitúque honorificentissimè, Iouis aliorúmque deorum templis consalutatis, sacrificióque de more facto, in aulam palatinam se contulit. Postea verò quam fama vulgauit quæ ille vel in senatu dixisset,

Eloquentia ex mente integra profecta vis mira.

vel ad populum scripsisset, læti omnes agitare, sperantes serium se & clementem principem, parentémque adeo magis quam imperatorem habituros. Nam & militibus edixit ne cui ex populo contumeliam facerent, néue quem viatorem pulsarent, cunctáque denique ad honesti cultum, modestiámque referebat. Ipse quum aut ingrederetur, aut ius diceret, comem scilicet ac mansuetam indolem ostendebat: & quum Marcum imprimis referre videretur, seniores quidem admonitu delectabat, reliquos autē a crudeli contumeliosáq; tyrannide ad modestā vitam tranquillámq; vindicatos, facilè ad se amandum impulerat. Quæ quum fama latius peruagaretur, nationes omnes atque exercitus subiectos Romanis aut amicos, ad deferendos ei diuinos honores incitauit. Quin barbari quoque, siqui aut frænos depulerant, aut seditiones moliebantur, metu virtutis quam præstitisse eum superioribus bellis meminissent, iustitiæque fide, quum neminem ab illo scirent vltrò offendi, sed gratiam cuique pro meritis referri, vímque abesse & crudelitatem, sponte illi se dediderunt. Legiones præterea vndique confluebant, gratulatum Romano populo quòd Pertinacis imperio gubernarentur. Sed quod plerisque omnibus publice priuatimque gratum fuit, modestum mansuetúmque principem populo Romano contigisse, id verò vrbanæ cohortes imperatorum custodiæ adhibitæ, grauiter molestéque ferebant. Siquidem à rapinis iniuriisque ad temperatum vitæ cultum reuocatæ, ac mitem illam ciuilémque gubernandi rationem in contumeliam suam ac dedecus accipientes, vt ex qua licentiam sibi ademptam intelligerent, nullo iam pacto rectorem huiuscemodi tolerandum statuebant. Igitur principiò paulatim contumaciores se gerere, minúsque dicto audientes esse:

Quam in principatu optimè constituta sequi debent, tum necessariæ leges tum principis ipsius imitandum exemplum.

Hac enim ratione non modo domestici in officio continētur, verum etiam exteri principum virtutes mirantur & suspiciunt.

Seditiosi autem prædones, & immodico luxu perditi ho-

esse: postremò nondum bimestri imperio expleto, quum quidem ille iam non dubium suæ probitatis specimen dedisset, vniuersis in optimam spem erectis, inuidit repente mala sors, quæ omnia funditus euertit, sic vt egregij illi conatus vehementer omnibus profuturi, in medio quasi cursu prolaberentur. Nam primùm quidem quicquid in Italia aut alibi gentium inculti soli, etiámque sub regibus vacaret, id totum occupantibus & colentibus adiudicauit, decémque annorum immunitatem, ac perpetuam dominij libertatem agricolis cōcessit. Imperatoriis autem possessionibus nomen suum inscribi prohibuit, non esse illas dictitans imperantium proprias, sed communes Romanorum & publicas. Vectigalia quoque omnia quæ ad contrahendas pecunias tyranni excogitauerant in fluuiorum ripis, in vrbium portibus, pérque vias & itinera, penitus remisit, atque in antiquam libertatem reuocauit, multáque item ad idem exemplum facturus videbatur. Nam & delatores vrbe exegerat, & vbiubi inuenirentur, puniri imperauerat, cauens necui iniuria fieret, aut de vanis criminibus periculum conflaretur. Ergo in maxima tranquillitate sese beatissimóque rerum statu victuros senatus cæteríque arbitrabantur. Siquidem adeo se æquabilem parémque cæteris præstabat, vt filium quoque iam adolescentem, in aulam palatinam nunquam adduxerit, sed intra priuatos parietes continuerit, sic vt in ludum quoque literarium atque gymnasia de more itaret, nihil priuatis absimilis, erudiretúrq;, & omnia perinde vt quiuis è medio agitaret, neque vllam aut tyrannicam aut omnino imperatoriam pompam ostentaret.

mines exleges & ad licentiam nati in eáque educati, iugum legum & moderati principatus ferre nequeunt.

Non debent attamen Rerumpub. administratores ab optimo proposito recedere.

Immo & sapientibus dictis ac factis suam dignitatem, quantum & quãdiu arcanæ summi rerum arbitri prouidẽtia visum est, stabilire.

5 QVVM in hac morum, vitæque modestia ageret, soli scilicet prætoriani milites prǽsentem rerum conditionem haud satis æquo animo ferentes,

Periculosissima omniũ in imperio, &

veterem illam licentiam violenter se gerendi raptandique omnia affectabant. Intérque vina & epulas consilia inierunt Pertinacem e medio tollendi, grauem ipsis atque onerosum, alterúmque eius loco imponendi rebus Romanis, indulgentem atque intemperantem, nihilque denique non licentiæ præbiturum. Igitur confestim haud opinato cunctis otium agitantibus turbidi ac furentes, militari cursu, meridie ipso, protentis hastis, nudis gladiis, frequentes ad Imperatoris ædes feruntur. Re autem subita insperatáque perterriti cubicularij palatini, pauci plurimis, & inermes armatis minime ausi resistere, relicta sua quisque statione diuersi alij aliò defugerunt. Pauci tamen ex amicissimis nuntiato militum concursu persuadere Pertinaci conabantur vti fuga sibi consuleret, populique auxilium imploraret. Ille autem tametsi vtilia in præsens audiebat, tamen indecorum existimans atque illiberale miniméque dignum imperatoria maiestate atque anteacta vita, fugæ aut latebris salutem debere, occurrere periculo ac procedere in medium decreuit, sperans persuasurum quæ vellet, & furentes in præsens animos placaturum. Igitur cubiculo egressus, factúsque irruentibus obuiam, quærere caosas instituit tam subiti motus, & à fœdissimo illo tumultu absterrere, non attonitus periculo, sed habitum oris grauem moderatúmque retinens, paremque imperatoriæ dignitati: ac nihil humile, nihil pauidum aut obnoxium, nihil denique supplice dignum præ se ferens, ita ad eos verba fecit.

quouis alio principatu, militaris illa & nimia potentia, cui quidquid libet licet.

Indecorum est dignitatem legitimè acquisitam imminente periculo deserere: sed vsque ad supremam horam bene sperandum est.

Me quidem, ô milites, si occiditis, neque ipsi rem magnam facitis, neque mihi sanè grauem, homini videlicet huius ætatis & gloriæ. Siquidem humanæ vitæ finis certè est aliquis necessarius. Vos autem principis curæ custodiæque, & propulsandis aliunde periculis adhibitos, cædem ipsos facere primos, neque ciuili tantùm sed imperatorio

Et seditiosorum efferati animi quàm prudenter & moderate fieri potest compescēdi.

quo

quoque sanguine polluere dextras, id verò videte ne vel in præsens flagitiosum sit vobis, vel in posterum periculosum. Neque enim ego vlla vos iniuria affeci. Si enim Commodi doletis interitu, nihil profectò nouum fuit mori, qui homo natus fuerat. Sin dolo necatum putatis, non meum sane id crimen, quippe quem ipsi scitis ab omni etiam suspicione procul abesse. Quæ enim tunc acta sunt, vos primi cognita habuistis, vt etiam siquid obortum suspicionis est, id vtique alios attigerit. Cæterùm ne illo quidem extincto quicquam vobis deficri patiemur, quod modestè atque ex dignitate vestra, non autem per vim & rapinas concupiueritis. Ita loquente eo, iam quidam ex his permotum iri videbantur: neque sane pauci abire iam cœperant, veriti sanctimoniam principis ac senectutem, sed adhuc loquens senex à cæteris facto impetu obtruncatur. Qui statim perpetrato tam crudeli scelere multitudinem declinantes, indignissimè laturam id facinus, occupant in castra abire, muróque continent se dispositis pro turribus armatis qui populum (si impressionem faceret) à mœnibus arcerent. Hunc finem Pertinax sortitus est vitæ morúmque, vt supra diximus, laudandus. Sed vbi cædis illius fama per populum est dedita, tumultu scilicet luctúque omnia compleri, discurrere vniuersi furentibus similes: neque certi quid agerent, quærere ipsos authores, quos neque inuenire tamen poterant neque vlcisci. Præcipuè verò senatus indignè id ferre, communémque eam calamitatem existimare, desiderans parentem optimum ac principem indulgentissimum, rursúmque tyrannidem metuens, quam cordi esse militibus intelligebat.

Dulce porro atque decorũ est pro legibus & Reip. dignitate fortiter occumbere letho.

Parricidis sub diuini iudicij gladio trementibus, bonus princeps desideratur à bonis & laudatis viris, nouam tyrannidem formidantibus.

IVLII CAPITOLINI
Pertinax.

BREVIARIVM.

1 Pertinacis pater, nominis occasio, futuræ dignitatis præsagium, literarum & belli tyrocinia, variæque dignitates militares. Marco mortuo à Perenne iussus est secedere in Liguriam.

2 Occiso Perenni, Britanniæ praeest, deinde Africæ, postea vrbi. Et Commodo interempto, imperator est appellatus, militibus inuitis & reipsa reclamantibus.

3 Præclarè dicta & gesta Pertinacis, multis ob nimiam parsimoniam exosi.

4 Coniuratio Læti & prætorianorum militum in Pertinacem, à seditiosis & tumultuantibus coniuratis interemptum. Eius virtutes & vitia.

5 Signa interitus Pertinacis, funus & grata eius memoria. Liberalitas item erga populum & prætorianos.

I *Pertinacis nomen vnde.*

PVBLIO Heluio Pertinaci pater libertinus Heluius successus fuit, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret imposuisse fertur. Natus est Pertinax in Apennino, in villa Martis. Equus pullus ea hora qua natus est, in tegulas ascendit, atque ibi breuiter commoratus decidit atque expirauit. Hac re motus Pater ad Chaldæum venit: qui quum illi futura ingentia prædixisset, stipem se perdidisse dixit. Puer literis element

Futuræ dignitatis præsagium.

mentariis & calculo imbutus, datus etiam Græco grammatico, atque inde Sulpitio Apollinari, post quem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed quum in ea minus quæstus proficeret, per Lollianum Auitum consularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit. Dein præfectus cohortis in Syria profectus, Г. Aurelio imperatore à præside Syriæ, quòd sine diplomatibus cursum vsurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est. Bello Parthico industria sua promeritus, in Britanniam translatus est ac retentus. Pòst in Mœsia rexit alam, deinde alimentis diuidendis in via Aemilia procurauit. Inde classem Germanicam rexit. Mater eum vsque in Germaniam prosequuta est, ibiq; obiit. cuius etiam sepulcrum stare nunc dicitur. Inde ad ducentorum H-S stipendium translatus in Daciam, suspectúsque Marco quorundam relatu, à partibus remotus est: & postea per Claudium Pompeianum generum Marci, quasi adiutor eius futurus, vexillis regendis ascitus est. In quo munere approbatus, lectus est in senatum. Postea iterum re bene gesta, prodita est factio quæ illi concinnata fuerat: Marcúsque imperator, vt compensaret iniuriam, prætorium eum fecit, & primæ legioni regendæ imposuit: statimque Rhetias & Noricum ab hostibus vindicauit. Ex quo eminente industria, studio Marci imperatoris COS. est designatus. Extat oratio apud Marium Maximum, laudes eius continens, & omnia vel quæ fecit vel quæ perpessus est. & præter illam orationem quam longum fuerit connectere, sæpissimè Pertinax à Marco & in concione militari & in senatu laudatus est: doluitque palàm Marcus quòd quum senator esset, præf. præt. fieri à se non posset. Cassiano motu composito, è Syria ad Danubij tutelam profectus est,

Eruditio.

Bellica munera, ex quibus colligere facile est, Pertinacem fuisse eximium belli ducem, & ad negotia publica tractanda maxime idoneum.

Laudes Pertinacis, temporum iniuriâ, magnâ partem, sepultæ. Quæ supersunt, vt ex vnguibus leonem, ostendunt quantus hic vir fuerit.

atque inde Mœsiæ vtriusque, mox Daciæ regimen accepit. Bene gestis his prouinciis, Syriam meruit. Integre se vsque ad Syriæ regimen Pertinax tenuit: post excessum vero Marci, pecuniæ studuit: quare etiam dictis popularibus lacessitus, curiam Romanam post quatuor prouincias consulares, quia consulatum absens gesserat, iam diues ingressus est, quum eam senator antea non vidisset. Iussus est præterea statim a Perenne in Liguriam secedere in villam paternam. Nam pater eius tabernam coactiliciam in Liguria exercuerat. Sed postea quam in Liguriam venit, multis agris coemptis, tabernam paternam manente forma priore, infinitis ædificiis circundedit: fuitque illic per triennium & mercatus est per suos seruos.

Næuus in Pertinace.

Perennis audax ambitio Pertinacem explodit.

2 Occiso sanè Perenni, Commodus Pertinaci satisfecit, eúmque petiit per literas vt ad Britanniam proficisceretur: profectúsque milites ab omni seditione deterruit, quum illi quencunque imperatorem vellent habere & ipsum specialiter Pertinacem. Tunc pertinax maleuolentiæ notam subiit, quod dictus est insimulasse apud Commodum affectati imperij Antistium Burrum, & Arrium Antoninum. Et seditiones quidem contra ipse compescuit in Britannia: verùm ingens periculum adiit, seditione legionis pene occisus, certè inter occisos relictus. quam quidem rem idem Pertinax acerrime vindicauit. Denique postea veniam legationis petiit, dicens sibi ob defensam disciplinam infestas esse legiones. Accepto successore, alimentorum ei cura mandata est, deinde proconsul Africæ factus est. In quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur, vaticinationibus earũ quæ de templo Cælestis emergunt. Post hoc præf. vrbi factus: in qua præfectura post Fuscianum hominem seue

Ambitione tyrannica euersa Pertinax vt fidus & vtilis Reipublicæ minister, non sine vitæ discrimine, propter militum sub malo principe licentiam, ad pristina munera reuocatus, officio commisso strenue fungitur.

seuerum, Pertinax mitissimus & humanissimus fuit, & ipsi Commodo plurimùm placuit, quia ille esset iterum, quum Pertinax factus est. Tunc Pertinax interficiendi Commodi conscientiam delatam sibi ab aliis non fugit. Commodo autem interempto, Lætus præf. præt. & Electus cubicularius ad eum venerunt vt eum confirmarent, atque in castra duxerunt. Illic Pertinax milites alloquutus est. Donatiuum promisit, ingeri sibi imperium à Læto & Electo dixit. Fictum est autem quòd morbo esset Commodus extinctus, quia & milites, ne tentarentur, pertimescebant. Denique a paucis primùm est Pertinax Imperator appellatus. Factus est autem sexagenario maior imperator, prid. Cal. Ianuarias, de castris nocte quum ad senatum venisset, & cellam curiæ iussisset aperiri, neque inueniretur aditus, in templo Concordiæ resedit. Et quum ad eum Claudius Pompeianus gener Marci venisset, casúmque Commodi lacrymasset, eum hortatus est Pertinax vt imperium sumeret: sed ille recusauit, quia iam imperatorem Pertinacem videbat. Statim ergo omnis magistratus cum consule ad curiam venerunt, ingressúmque Pertinacem nocte Imperatorem appellauerunt. Ipse autem Pertinax post laudes suas à consulibus dictas, & post vituperationem Commodi acclamationibus senatus ostensam, egit gratias senatui, & præcipue Læto præfecto prætorij, quo autore & Commodus interemptus & ipse imperator est factus. Sed quum Læto gratias egisset Pertinax, Falco consul dixit, *Qualis imperator es futurus, hinc intelligimus quòd Lætum & Martiam ministros scelerum Commodi post te videmus*: cui Pertinax respondit, *Iuuenis es consul, nec parendi scis necessitatem.* Paruerũt inuiti Commodo, sed vbi habuerunt facultatem, quid semper voluerint ostenderunt. Eadem

Pertinax Commodo interfecto succedit, iam prouectæ ætatis.

Imperium aliis offert, futura pericula animo iam præsagiens.

Ac intempestiuam cõsulis censuram grauiori censura castigans.

die qua Augustus est appellatus, & Flauia Titiana vxor eius Augusta est appellata. His horis quibus ille in capitolium vota soluebat, primus sanè omnium ea die qua Augustus est appellatus, etiam patris patriæ nomen recepit: necnon simul etiam imperium proconsulare, necnon ius quartæ relationis, quod ominis loco fuit Pertinaci. Ad palatium ergo Pertinax profectus, quod tunc vacuum erat, quia Commodus in Vectilianis occisus est, petenti signum prima die tribuno dedit, *Militemus*, exprobrans vtique segnitiem temporum superiorum: quod quidem etiam antè in omnibus ducatibus dederat.) Exprobrationem autem istam milites non tulerunt, statimque de imperatore mutando cogitarunt. Ea die etiam ad conuiuium magistratus & proceres senatus rogauit, quam consuetudinem Commodus prætermiserat. Sane quum postero Calendarum die statuæ Commodi deiicerentur, gemuerunt milites: simul quia iterum signum idem dederat imperator. Timebatur autem militia sub sene imperatore. Denique tertium nonarum diem votis ipsis milites Triarium Maternum Lasciuium, senatorem nobilem, ducere in castra voluerunt vt eum rebus Romanis imponerent: sed ille nudus fugit atque ad Pertinacem in palatium venit, & pòst ex vrbe decessit. Timore sanè Pertinax coactus, omnia quæ Commodus militibus & veteranis dederat, cônfirmauit. Suscipere se etiam imperium à senatu dixit, quod iam sponte inierat.

Parricida Commodo sublato, disciplinæ publicæ instaurator apparens, meritò patriæ pater appellatur.

6

Ignaui militis autem ad fortis imperatoris vocem trepidant, gemunt, & tumultuatur.

3 QVAESTIONEM maiestatis penitus tulit cum iureiurando. Reuocauit etiam eos qui deportati fuerant crimine maiestatis, eorũ memoria restituta qui occisi fuerant. Filium eius Pertinacẽ senatus Cæsarẽ appellauit. Sed Pertinax nec vxoris Augustæ appellationẽ recepit, & de filio dixit, Quum meruerit.

Leges & statuta, quæ Pertinacis prudentiam produnt. At tanto principe, Rom. Respub. in-

Et

Et quum Commodus allectionibus innumeris pretorios miscuisset, senatusconsultum Pertinax fecit, iussitque eos qui praeturas non gessissent, sed allectione accepissent, post eos esse qui verè praetores fuissent. Sed hinc quoque grande odium sibi multorum commouit. Census retractari iussit, delatores vinctos grauiter puniri iussit, & tamen mollius quã priores Imperatores vnicuique dignitati, si delationis crimen incurreret, pœnam statuens. Legem sanè tulit vt testamenta priora non prius essent irrita quàm alia perfecta essent, néve ob hoc fiscus aliquando succederet. Ipséque professus est nullius se aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, aut legitimi hæredes & necessarij priuarentur: addiditque senatusconsulto hæc verba, *Sanctius est P.C. inopem remp. obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per discriminum atque dedecorum vestigia peruenire.* Donatiua & congiaria quæ Commodus promiserat, soluit. Annonæ consultissimè prouidit. Et quum tantam pecuniam ærarij haberet, vt præter decies H-S non se inuenisse fateretur, coactus est ea exigere quæ Commodus indixerat, contra quàm professus fuerat. Denique aggressus eum Lollianus Gentianus cõsularis, quòd contra promissum faceret, necessitatis rationem accepit. Auctionem rerum Commodi habuit, ita vt & pueros & concubinas vendi iuberet, exceptis iis qui per vim palatio videbantur inserti. Et de his quos vendi iussit, multi postea reducti ad ministerium, oblectauerunt senem, qui per alios principes vsque ad senatoriam dignitatem peruenerũt. Scurras turpissimorum nominum dedecora perferentes, proscripsit ac vendidit. Cuius nundinationis pecuniam quæ ingens fuit, militibus donatiuo dedit. A libertis etiam ea exegit quibus Commodo vendente ditati fuerant. Auctio sanè rerum Commodi in

numeris scé leribus pol- lutum, indigna videbatur.

Temperãtiã Pertinacis; aut sane par simonia post incommodas Cõmodi pro fusiones & immodicas largitiones necessaria. Sed malum acerbius fuit quàm vt re mediũ ferre posset.

Auctio rerum, quã

Commodi luxum ostendunt.

his insignior fuit: Vestis subtegmine serico aureis filis insignior, per tunicas penulásque, lacernas & chirodotas Dalmatarum & cirratas militares, purpureásque chlamydes Gręcanicas atque castrenses, & cuculli Bardaici: & toga armáque gladiatoria gemmis auróque composita, & machæras Herculaneas, & torques gladiatorias, vasáque eluto auro, ebore, argento, citróque composita, atque etiam phallouitroboli ex materie eadem, & vasa Samnitica, calfactandæ resinæ ac pici diuellendis hominibus ac leuigandis: necnon vehicula arte fabricæ noua, perplexis diuersisque rotarum orbibus & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem: & alia iter metientia horásque monstrantia, & cætera vitiis eius conuenientia. Reddidit præterea dominis eos qui se ex priuatis domibus in aulam contulerant.

Ex temperantia principum nascitur rerum vilitas.

Conuiuium imperatorium ex immenso ad certum reuocauit modum: sumptus etiam omnes Commodi reddidit. Exemplo autem Imperatoris quum ille parcius se ageret, ex omnium continentia vilitas nata est. Nam imperatorium sumptum, pulsis non necessariis, ad soliti dimidium detraxit. Præmia militantibus posuit. Aes alienum quod primo imperij tempore contraxerat, soluit. Aerarium in suum statum restituit. Ad opera publica certum sumptum constituit. Reformandis suis pecuniam contulit: stipendia plurimis retrò debita exoluit. Obeundis postremò cunctis muneribus fiscum parem fecit. Alimentaria etiam compendia quæ nouem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit. Auaritiæ suspicione priuatus non caruit, quum apud vada Sabatia oppressis fœnore possessoribus, latius suos teneret fines. Denique ex versu Luciliano *agrarius mergus* est appellatus. Multi autem cum etiam in prouinciis quas consularis

Porro videant, ne profusionem vitantes in auaritiæ sordes incidãt.

gessit

gessit, sordidè se egisse in literas retulere. Nam vacationes & legationes militares dicitur vendidisse. Denique quum parentum minimum esset patrimonium, & nulla hæreditas obuenisset, subito diues est factus. Omnibus sane possessiones suas reddidit quibus Commodus ademerat, sed non sine pretio. Senatui legitimo semper interfuit, ac semper aliquid retulit. Ciuilem se salutantibus & interpellantibus semper exhibuit. Eos qui calumniis appetiti per seruos fuerant, damnatis seruis delatoribus liberauit, in crucem sublatis talibus seruis, aliquos etiam mortuos vindicauit. Insidias parauit ei Falco, volens imperare: de quo conquestus est in senatu: quod quidem senatus credidit. Dum sibi quidam seruus, quasi Fabię esset filius ex Ceionij Commodi familia, palatinam domum ridicule vindicasset, cognitus, iussus est flagellis cæsus domino restitui. In cuius vindicta hi qui oderant Pertinacem, occasionem seditionis inuenisse dicuntur. Falconi tamen pepercit, & à senatu impunitatem eius petiit. Denique Falco in rebus suis securus vixit, & hærede filio periit: quamuis multi Falconem nesciisse dixerint imperium sibi parari. Alij etiam a seruis qui rationes interuerterant, falsis testimoniis appetitum eum esse dixerunt.

Aliæ Pertinacis virtutes eximiæ.

Falconi inuisa.

Cui parcit. Clementia enim decet principem.

4 SED Pertinaci factio præparata est per Lætum præf. præt. & eos quos Pertinacis sanctimonia offenderat. Lætum enim pœnituerat quòd imperatorem fecerat Pertinacem, idcirco quia eum velut stultum intimatorem nonnullarum rerum reprehendebat. Graue præterea militibus visum, quòd in causa Falconis multos milites ad vnius serui testimonium occidi præceperat. Trecenti igitur de castris armati ad imperatorias ædes cuneo facto milites venere. Eadem tamen die immolante Pertinace, negatur in hostia cor repertum: & quum id vel-

Seditiosi & ad licentiam nati & educati milites, tandem prodeunt.

let procurare, caput extortum non deprehendit. Et tunc quidem omnes milites in castris manebant. Qui quum de castris ad obsequium principis conuenissent, & Pertinax eo die processionem quam ad Athenæum parauerat vt audiret poetam, ob sacrificij præsagium distulisset, hi qui ad obsequium venerant, redire in castra cœperunt. Sed subitò globus ille in palatium peruenit: neque aut arceri potuit, aut Imperatori nuntiari. Enimuero tantum odium in Pertinacem omnium aulicorum fuit, vt ad facinus milites hortarentur. Superuenerunt autem Pertinaci quum ille aulicum famulitium ordinaret, ingresśique porticus palatij vsque ad locum qui appellatur Sicilia, & Iouis cœnatio. Hoc cognito, Pertinax Lætum præf. præt. ad eos misit. Sed ille declinatis militibus per porticus egressus, adoperto capite, domum se contulit. Verùm quum ad interiora prorumperent, Pertinax ad eos processit, eósque longa & graui oratione placauit. Sed quum Tausius quidam, vnus è Tungris, in iram & timorem milites loquendo adduxisset, hastam in pectus Pertinacis obiecit. Tunc ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit, atque a cæteris confossus est: & Electus quidem confossis duobus, cum eodem periit. reliqui autem cubicularij palatini (nam suos statim vt Imperator factus est filiis emancipatos dederat) diffugerunt. Multi sanè dicunt etiam cubiculum milites irrupisse, atque illic circa lectum fugientem Pertinacem occidisse. Fuit autem senex venerabilis, immissa barba, reflexo capillo habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, statura imperatoria, eloquentia mediocri, & magis blandus quam benignus, nec vnquam creditus simplex. Et quum verbis esset affabilis, re erat illiberalis ac propè sordidus, vt dimidiatas lactucas & carduos in priuata vita conuiuiis apponeret: & nisi quod missum esset edulium

Et sepulta nominis muneri sque ac dignitatis tum publica tum priuata memoria insurgunt in legitimum principem.

Qui bona conscientia munitus, impetum seditiosorum sustinet. sed paulò post opprimitur.

Pertinacis descriptio.

Priuata vita eiusdem curiosè explorata.

lium, quotquot essent amici, nouem libras carnis per tres missus ponebat. Si autem plus aliquid missum esset, etiam in alium diem differebat, quum semper ad conuiuium multos vocaret. Imperator etiam, si sine conuiuis esset, eadem consuetudine cœnitabat. Amicis si quando de prandio suo mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos. Fasianũ nunquam priuato conuiuio comedit, aut alicui misit. Quum sine amicis cœnaret, adhibebat vxorem suam & Valerianum, vt cum eodem qui docuerat, fabulas literatas haberet. Sanè nullum ex iis quos Commodus rebus agendis imposuerat, mutauit, expectans vrbis natalem, quòd eum diem, rerum principium volebat esse: atque ideo etiam in balneis ei Commodiani ministri necem parasse dicuntur. Imperium & omnia imperialia sic horruit, vt sibi semper ostenderet displicere. denique non alium se quàm fuerat videri volebat. Fuit in curia honorificentissimus, ita vt senatum fauentem adoraret, & quasi præfectus vrbi cum omnibus sermonem participaret. Voluit etiam imperium deponere atq; ad priuatam vitam redire. Filios suos in palatio nutriri noluit. Tam parcus autem & tam lucri cupidus fuit vt apud vada Sabatia mercaturas exercuerit Imperator per homines suos, non aliter quam priuatus solebat. nec multum tamen amatus est. Siquidem omnes qui liberè fabulas conferebant, male Pertinaci loquebantur, chrestologum eum appellantes, qui bene loqueretur, & malè faceret. Nam & ciues sui qui ad eum confluxerant iam Imperatorem, & nihil de eo meruerant, sic eum appellabant. Munera quoque lucri libidine libenter accepit. Reliquit filium & filiam superstites. Habuit vxorem Flauij Sulpitiani filiam, quem præfectum vrbi loco suo fecerat. Circa vxoris pudicitiam minus curiosus fuit,

Quam ita instituisse videtur, vt omnia sub Commodo penè destructa extrueret & paulatim instauraret.

Id testatur eius moderata & laude digna prudentia.

Quicquid liberi fabulatores ostẽdãt.

Vitium in Pertinace.

quum palàm citharœdum illa diligeret: ipse præterea Cornificiam infamissimè dicitur dilexisse. Libertos aulicos vehementissime compressit: vnde grande quoque odium contraxit.

Interitus eiusdē signa. Magni principis obitum præcedunt sæpissimè aut sequuntur cælestes admonitiones.

5 SIGNA interitus hæc fuerunt: Ipse ante triduum quàm occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem eum gladio infestantem. Et ea die qua occisus est, negabat in oculis suis pupillas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus, visas. Et quum apud lares sacrificaret, carbones viuacissimi extincti sunt, quum inflammari soleant: & (vt suprà dictum est) cor & caput in hostiis non est repertum. Stellæ etiam iuxta solem per diem visæ sunt clarissimæ ante dies quàm obiret. Et ipse omen de Iuliano successore dedisse dicitur. Nam quum ei Didius Iulianus fratris filium obtulisset, cui desponderat filiam suam, adhortatus iuuenem ad patrui obseruationem, adiecit, *Obserua collegam & successorem meum*: nam ante Iulianus ei & in consulatu collegâ fuerat, & in proconsulatu successerat. Milites eum & aulici odio habuerunt: populus mortem eius indignissimè tulit, quia videbat omnia antiquata per eum posse restitui. Caput eius conto fixum, milites qui eum occiderant, per vrbem in castra pertulerunt. Reliquiæ eius recuperato capite, in sepulcro aui vxoris locatæ sunt. Et Iulianus successor illius, corpus eius quanto potuit honore funeratus est, quum id in palatio reperisset: qui nunquam eius vllam mentionem vel apud populum vel apud Senatum publicè fecit: sed quum ipse quoque à militibus desertus iam esset, per Senatum & populum Pertinax in deos relatus est. Sub Seuero autem Imperatore quum Senatus ingens testimonium habuisset Pertinax, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Seuero funebri laudatione honoratus est. Ipse autem Seuerus amore boni

Excidunt etiam aliquoties ipsis Principibus voces quædam futuri prænuntiæ.

Militū parricidarum insania.

Honos à senatu & populo princi-pi opt. delatus.

Itē à Seuero successore.

ni

ni principis, à Senatu Pertinacis nomen accepit. Filius Pertinacis patris flamen est factus. Marciani sodales, qui Diui Marci sacra curabant, Heluiani sunt dicti propter Heluium Pertinacem. Circenses & imperij natalis additi (qui a Seuero postea sublati sunt) & genitialij, qui manent. Natus autem Cal. Augustis Vero & Bibulo consulibus. Vixit annis LX, mensibus VII, diebus XXVI. Imperauit mensibus II, diebus XXV. Congiarium dedit populo denarios centenos. Prætorianis promisit duodena millia nummûm: sed dedit sena. Quod exercitibus promissum est, datum non est: quia mors eum præuenit. Horruisse autem illum imperium epistola docet, quæ vitæ illius à Mario Maximo apposita est: quam ego inseri, ob nimiam longitudinem, nolui.

Tempus vitæ & imperij Pertinacis, atque eiusdem liberalitas.

HERODIANI
Iulianus.

BREVIARIVM.

1 *Pertinace occiso milites imperium ei pollicentes qui plurimum pecuniæ numeraret, Iulianus vir consularis cum parricidis istis paciscitur, vnde omnis disciplinæ militaris euersio, & populi odia in Iulianum.*

2 *Iuliano deliciis & luxui indulgente populus Rom. Nigrum Syriæ præfectum liberatorem expetunt & aduocant.*

3 *Nigri oratio, qua habita Imperator salutatur, & à nationibus permultis agnoscitur.*

4 *Seuerus, Pannoniæ & Illyrici præfectus, morte Pertinacis audita, Iuliano & Nigro contemptis, præsagiisque confirmatus animum ad imperium intendit, & variis artibus consilia*

sua promouet.

5 *Oratio Seueri ad milites, qui eum Augustum & Pertinacem appellant.*

6 *Celeritate & prudentia Iulianum & Nigrum Seuerus præuenit, ac Italiam occupat. Iulianus cunctis inuisus, à populo, milite & Senatu relictus, latebras captat, vanáque prorsus effugia, tandem inter fœdissimas complorationes trucidatur.*

1 *Laceri status publici, capite sublato, effigies. Populus stupet, optimates fugiunt, seditiosi potestatem sibi vindicāt, & tunc omnia fiunt venalia.*

QVVM dies vnus itémque alter abiisset post Pertinacis necem, plébsque vniuersa suo quisque metu quietem ageret, & qui dignitate autoritatéque pollebant, in sua prædia quamlongissimè poterāt ab vrbe secessissent, nequid in eligendo successore grauius obiiceretur: cognito milites & quietum esse populum, & existere neminem qui Principem interfectum vindicaret, ipsi quidem castris se continebant: constituto autem supra murum vocalissimo quoque, edicunt venale imperium, traditurósque se ei qui plurimum pecuniæ polliceretur, tutóque in aulam cum armis deducturos. Id auditum neminem è Senatu grauitate atque autoritate præditum, neminémque è nobilitate, aut ex iis denique permouit quicunque adhuc opulenti supererant, tenues reliquię Commodianæ tyrannidis: neque ausus quisquam aut muro succedere, aut turpem contumeliosúmque dominatum pecunia pacisci. Sed enim Iuliano cuidam consulari viro, qui grandem habere pecuniam credebatur, vespere supra cœnam nuntiatur inter vinum atque epúlas, militum edictum: quippe homo alioquin vitæ parum continentis habebatur. Persuadent igitur vxor atque filia, & parasitorum turba, vt relicta mensa acceleret, & quid agatur intelligat: ac subinde inter eundum adhortātur occupet proiectum imperium, superaturum largitione omnes competitores, qui tan

Iulianus probroso gradu ad maxima dignitatis fastigium ascēdit. Eodem deinde descēdit, probrosè moriens.

tantum diuitiarum poſſideat. Igitur vbi ad muros acceſſit, clamare occœpit daturum quæ vellent, habere ſe magnas opes, plenos auri theſauros atque argenti. Eodémque tempore Sulpitianus & ipſe vir conſularis, ac præfectus vrbi, ſocérque Pertinacis imperium licitabatur. Verùm in eo milites ſuſpectam habuerunt Pertinacis propinquitatem, ſubeſſe aliquid fraudis ſuſpectantes quo illius cędes vindicaretur. Ergo Iulianum ſcalis demiſſis ſupra muros attollunt, non priùs auſi reſerare portas quàm conueniret de numero dandæ pecuniæ. Ille ingreſſus in caſtra, primùm quidem memoriam & honores Commodi & ſtatuas quas ſuſtulerat Senatus, inſtauraturum pollicebatur, conceſſurúmque ipſis quam quondam ſub illo licentiam obtinuiſſent: præterea militibus ſingulis plus multo argenti daturum quam aut petere auderent aut accepturos expectauerant, neque in dando moram futuram: nam domi eam pecuniam adſeruari. Quibus adducti rebus milites, atque in tantam ſpem erecti, Iulianum declarant principem, ſimul ei Commodi cognomen imponunt. Tum ſignis ſublatis impoſitíſque illius imaginibus, deducere hominem tendunt. Igitur de more ſacrificio in caſtris peracto, exiit maiore militum comitatu quàm cæteri conſueuerant: ſiquidem per vim, contráque populi voluntatem, pérque turpitudinem & dedecus imperium emercatus, iure impetum multitudinis verebatur. Sed induti armaturas milites, circunſeptíque vndique teſtudine facta, vt etiam ſi res poſceret, dimicarent, receptóque in medium Imperatore ſuo, clipeis haſtíſque ſupra capita elatis, vt tutiores forent ſi fortè lapides è tectis mitterentur, dum pompa præcedebat, deducunt eum in aulam, neque auſo reſiſtere populo, neque (vt mos eſt) fauſtis acclamationibus proſequente, ſed diras procul imprecantibus

Licitatio imperij parricidis ſupplicium timentibus ſuſpecta.

Nefaria Iuliani pollicitatio, cuius paulò poſt debitas luit pœnas.

Qui iure agere nequeunt, manum educũt armatã. At citò ruit vis conſilij & iuſta moderationis expers

Omnium ordinum præcipuè militarium, corruptio, unde.

bus vniuersis, grauitérque exprobrantibus quòd ære sibi imperium parauisset. Tunc primùm videlicet corrupti militum mores, fœdáque & insatiabilis pecuniæ cupiditas, & contemptus imperatoriæ maiestatis inoleuit. Nam quum neque vindex existeret vllus tam crudeliter interfecti principis, neque promercale factum imperium fœdéque nundinatum quisquam prohibuisset, id verò initium causáque militibus fuit vt etiam imposterum turpissimi contumacissimíque euaderent, sic vt auaritia indies ac principum contemptus etiam vsque ad sanguinem proueheretur.

Vitam priuatam non rectè instituent qui publicum munus malis artibus occupare & retinere conantur.

2 Enimvero Iulianus, imperium adeptus, deliciis continuò crapulæque se dedere, circa Remp. indiligēs, vitámque mollissimam luxúque circumfluentem traducere. Sed & spem militum fefellerat, neque implere fidem promissorum potuerat, siquidem nec opes domi quantas iactabat, & publicum ærarium sumptibus illis insanis iampridem a Commodo exhaustum. Quare cùm milites habebat infensos, quia spe sua frustrati erant, tum à populo totius rei conscio facilè contemnebatur. Itaque & prætereuntem maledictis insectabantur, & turpes ambiguásque voluptates exprobrabant, sic vt propalàm etiam in circo, quò maxima vis hominum confluit, Iulianum incesserent, ac vindicem Romani imperij, præsulémq; summi principatus Nigrum vocitarent, orantes vt quamprimùm adesset, ipsósq; à tantis contumeliis assereret. Is Niger dudum consulatum gesserat, ac tum Syriæ præerat vniuersæ, quum ea quæ dixi Romæ gererentur, qui honos ea tempestate multo maximus erat: quippe etiam Phœnices omnísque ad Euphratem regio, Nigri suberat imperio. Ipse ætatis erat iam ad senectutē spectantis, multísque & magnis in rebus cum laude versatus famā obtinuerat mansuetudinis ac dexteritatis,

Populus manifestam tyrannidē vix ferre potest. At sapiùs ad ignauos adulatores respicit, qualis fuit Niger ille.

sic

ſic vt etiam Pertinacis vitam putaretur æmulari. Quibus maximè rebus populi fauorem adeptus videbatur. Huc igitur aſſiduè frequentis populi clamores implorabant, ac præſentem Iulianum conuitio lacerãtes, illum etiam abſentem vniuerſi principalibus acclamationibus fauſtiſque vocibus proſequebantur. Quibus intellectis, Niger putans omnia ſibi ex ſententia ſucceſſura, præſertim quòd & à militibus negligebatur Iulianus, vt qui fidem minimè impleuerat, & contemnebatur a populo vt parum dignus empto principatu, ſpem cepit imperij vindicandi. Ac primò quidem ex ducibus tribuniſque cæteriſque militibus, qui plurimum haberent autoritatis, diuerſos alium alio tempore domũ acceritos dimittebat, edoctos rerum omnium quæ ſibi Roma afferebantur. Id hoc conſilio faciebat, vt quamlatiſſimè toto oriente rumores diſſeminarentur. Ita enim ſibi adiuncturum quamplurimos exiſtimabat, ſi non imperium ex inſidiis occupaturus, ſed opem vocantibus atque implorantibus Romanis allaturus videretur. Proinde vniuerſi confeſtim adeſſe, obſecrare pro ſe quiſq; obteſtariq; vti quam primùm rempub. capeſſeret. Eſt autem Syrorũ gens natura leuis, pronáque ad res nouandas. Amabant autem vehementer Nigrum, quòd & imperium apud illos humaniſſimè geſſerat, & ludis multitudinem ac celebritatibus detinuerat. Sunt autem Syri ſuapte natura huiuſcemodi oblectamentorum cupidiores: è quibus Antiocheni maximam feliciſſimámque vrbem inhabitantes, totum fermè annum, vel in vrbe ipſa vel in ſuburbanis ludos & feſta concelebrant. Quocirca edẽdis aſſiduè ſpectaculis, quorum ſummo ſtudio tenentur, ac remittendis exhilarandiſque otio ànimis, ita ſibi vulgus adiunxerat vt ab omnibus magnoperè coleretur. Quæ quum ita ſe habere intelligeret, iuſſis adeſſe dicta die militibus,

Qui à proſpera fortuna deceptus, nimiùm cũctando ſeipſum euertit

Qui ad auxilium ferẽdum vocatur, ni feſtinet, ſibi ſuiſque peſſimè conſulit.

Nec ſtultorũ morib. & ludicris deſideriis, quũ ſalus Reip. aliud poſtulat, obtẽperandum eſt.

reliqua etiam confluente multitudine, ita pro suggestu ad idipsum extructo verba fecit.

Nec prodest arte composita oratio, quæ studium erga Remp. testetur, nisi reipsa prudenter quod facto est opus, & celeriter exequatur Princeps.

3 QVAM *mite ingenium quantáque in rebus maioribus aggrediendis nostra cautio sit, forsitan ipsi quoque iampridem cognouistis. Neque ego nunc apud vos processissem verba facturus, si vel priuato consilio, vel incerta spe, aut spem superante cupiditate adducerer. Sed me vocant Romani, & aßiduè clamantes fatigant vt eis manum porrigam salutarem, neque patiar tam excellēs támque gloriosum relictum à maioribus imperium iacere abiectum turpiter. Vt autem citra occasionem aliquam minimè leuem, res aggredi tantas audax sanè temerariúmque sit, ita si implorantibus ac rogantibus opem deneges, timiditatis & proditionis crimine labores. Quapropter eo consilio ad vos huc prodii, vt sciscitarer quid facto opus esse duceretis: vobísque vterer quasi totius negotii huius consultoribus, atque participibus. quod si ex sententia successerit, communis mihi inde vobíscum erit vtilitas. Neque scilicet tenues opes aut leues sunt quæ nos solicitant, sed ipse Rom. populus, cui rerum omnium potestatem superi tribuerūt, ipsum Rom. imperium fluctuans adhuc, neque apud quenquam certa sede residens. Sed neque parum tuta inimus consilia his implorantium animis, nullo ad prohibendum resistendúmque parato. Nam qui illinc veniunt, ne ipsos quidem milites, vnde imperium emptitauerit, satis ei fidos fore affirmant, quoniam promissa non soluerit. Quæ sit igitur vestra mens ostendite.* Talia loquentem continuò exercitus omnis, cæterúmque vulgus Imperatorem atque Augustum consalutant, tum amictum Imperatoria purpura, reliquóque exornatum aulico paratu, ibidem ex tempore conquisito, præcedente etiam igni, in Antiochiæ primùm templa, mox ad suas ædes deduxerunt: quas etiam ceu non iam priuatas omnibus extrà insignibus imperatoriis adornauerunt. His valdè lętus Niger, quum scilicet & Romanorum animos, & cæterorum studia hominum animaduerteret, iam haud dubiè rem

Est aliquid sane cū exercitus & vulgi applausu maximæ dignitatis nomē capessere

omn

omnē ſibi eſſe in vado arbitrabatur. Qui poſtquam rumor increbuit, ſtatim quæcunque aduerſum Europæ continentem nationes incolunt, feſtinare pro ſe quæque vt præſto illi eſſent, legati vndique Antiochiam confluere, velut ad legitimum principem, reges quoque & ſatrapæ trans Euphratem Tigrimque habitantes gratulatum miſerunt: ſuámque operam in omnem euentum pollicebantur. Quos ille ampliſſimis affectos muneribus, gratiiſque de ſua propenſa voluntate, déque iis quæ pollicerentur, actis, dimittebat, nullis ſibi impræſens opus eſſe auxiliis affirmans, ſatis munitum imperium, idque geſturum ſe incruentum. Quare tanta ſpe ſublatis animis ſupinius iam negligentiúſq; agitabat, ſéque populúmque Antiochenum otio deliciiſque oblectans, ludóſque edens & ſpectacula. Neque verò aut Romam (quod res maxime poſtulabat) proficiſci ſtuduit: aut Illyricos exercitus (qui ſcilicet imprimis adeundi conciliandique fuerant) vllis de rebus certiores fecit, ſperans ſtatim intellecta re, cum Romanis eos pariter, cúmque orientis totius exercitibus conſenſuros.

Salutari itē à nationib. exteris.

Modò diligenter princeps partes ſuas impleat nugis & ludis prorſus omiſſis.

4 HAEC dum agitaret leui incertáque ſpe ſubnixus, fama iam per Pannonios, Illyricóſque increbuerat, pérque exercitus omnes qui pro ripis Danubij Rhenique excubantes, coercendis barbaris Romanum tuentur imperium. Præerat autem Pannoniis vniuerſis (nam vnius regebantur imperio) Seuerus quidā genere Afer, vehemens homo negotiis gerendis, ac ferox, vitæq; inſuetus duræ & aſperæ, ac laboribus facillimè reſiſtens: promptus excogitandis, acer exſequendis rebus. Qui poſtquam Romanum principatum pendere ſublimem quaſique direptui expoſitum vidit, alterum quidem vt deſidem, alterum vt parum efficacem contemptui habuit. Addebant præterea ſpem ſomnia quædam

Dum enim perniciosum colit ocium Niger, & quiuis alius princeps, Seuerus vigilat & occaſionē prōpta manu arripiens, illud verum eſſe cōperit, fortunam audentes, fortes & ſedulos iuuare.

Vir magni animi quibuscunq. rationibus in instituta de liberatione seipsum confirmat, arcana quadam fati virtute ac dispositione.

& oracula, cæteráque futurorum præsagia, tum denique fidem veri impetrantia quum sunt euentum sortita. quorum pleraque ipse in libris de vita sua conscripsit, ac publicè in tabulis picta dedicauit. Sed quod illi extremum maximíque momenti somnium spem propemodum omnem conciliauit, id ne nobis quidem silentio prætereundum. Quo enim tempore nuntiatum est Pertinacem ad imperium ascitum, peracto Seuerus publicè sacrificio, iuratúsque fidem principi, vbi primùm domum rediit, somno comprehensus, videt per quietem magnum quendam ac generosum equum ornatũ phaleris imperialibus, qui Pertinacem ipsum per vrbem veheret media sacra via. Sed vbi ad ipsum fori peruenit ingressum, in quem olim liber populus frequens conueniebat, visus est excussisse Pertinacem equus, atque abiecisse humi, proximéque astanti Seuero tergum substernere, eúmque perferre sublimem tutò in forum medium, conspicuum venerabundæ multitudini. manet autem adhuc huius imago somnij eodem ipso in loco ingens, ex ęre conflata. Ad hunc igitur modum sublatis animis Seuerus, ac se diuina prouidentia solicitari ad imperium ratus, decreuit animos periclitari militum. Quare primum quidem præfectos, tribunósque, & primos militum sibi adiungens, cúmque iis de Romano imperio sermones serens, abiectum id esse dictitabat, existente nullo per quem fortiter atque ex dignitate gubernaretur. Inuehens præterea in prætorianas cohortes, quæ sacramentum militare ciuili imperatorióque sanguine polluissent, vindicandam esse aiebat, ac persequendam Pertinacis cædem: minimè ignarus excubare adhuc memoriam Pertinacis apud Illyricos exercitus: quoniam sub Imperatore Marco multa illius ductu aduersus Germanos trophæa excitauerant: & quum præfectus Illyrico fo-

Et se diuina prouidentia ad res arduas absoluendas solicitari putat

Nec artibus caret quib. consilia sua tempestiuè promoueat.

rec

ret,nullum non exemplum virtutis in prælio ostentauerat: beneuolentiam porrò, ac probitatem, adhæc ciuile moderatúmque imperium sociis præstiterat. Quocirca memoriam eius principis colentes, tantam in illum editam crudelitatem indignissime ferebat. Hanc igitur Seuerus occasionem arripiens, facilè eos quo vellet adducebat, simulans non se quidem imperium quærere, aut summam potestatem affectare,sed ire vltum sanguinem tanti principis. Nam vt eius regionis homines corporibus vtuntur præualidis atque proceris, & in pugnam cædémque paratissimis,ita pingui sunt ingenio:quare haud facile sentiunt siquid agas dicásve astute ac subdole. Quocirca quum fidem fecisset Seuerus,cędem se Pertinacis moleste ferre ac persequi velle,ita sibi vniuersos conciliauit, vt Imperator diceretur, summámque ab eis acciperet potestatem. Sed vbi Pannoniorum animos explorauit,statim vicinarum quoque gentium præsides quæcunque Romano subiacent imperio,magnis illexit præmiis. Erat autem Seuerus vnus omnium mortalium ad amorem simulandum, beneuolentiámque certa cum fide præferendam,maximè factus, sic vt ne iusiurandum quidem fallere dubitaret si ita vsus posceret: longéque aliud in lingua promptum quam in animo reconditum gerebat. Igitur Illyrico omni rectoribúsque prouinciarum per literas insinuatus, collectísque vndecunque militibus, ac suscepto *Pertinacis* cognomine, quod non Illyricis modò sed Romano etiam populo gratissimum fore suspicabatur, conuocatis omnibus in campum, ita pro suggestu loquutus dicitur.

Et pro sorũ ratione cum quib. illi est negotium agere nouit.

Maximè verò, quod est plausibile ac speciosum captat diligenter.

Seueri simulatio detestanda, in eius posteritate seuerè postea punitur.

5 Q V A N T V M *vel fidei, vel religionis erga deos, per quos iurati estis, quantúmque honoris Imperatoribus exhibeatis, quos adeo veneramini, facilè ostenditis milites, quum tantopere indignamini cohortes vrbanas, pompæ ma-*

Erudita oratio, in qua eloquentiæ copiis explicatis Seue-

rus in Perti- nacis inter- fectores in- uehitur.

gis quàm virtutis administras, adeo fœdum facinus perpetrasse. Ac mihi quidem in votis est nunc primùm tantam spem auspicanti (nam profectò scitis quàm semper audiens dicto principibus fuerim) perducere ad exitum, atque explicare quæ vobis cordi sunt. Neque Romanum imperium abiectum pati, quod quidem apud maiores summa semper autoritate gestum, venerandum omnibus videbatur. Postea verò quàm ad Commodum recidit, etsi ob illius adolescentiam sæpenumero impegit, attamen omne vitium, cum ipsius principis nobilitate, tum sanctissimi parentis memoria obumbrabatur. Neque tam errata illius, odium quàm misericordiam emerebantur: quippe non tam ipsi quæ gerebantur quàm assentatoribus imputabamus cæterisque malarum artium consultoribus atque ministris, donec ad sanctissimum illum senem, cuius adhuc virtutis & probitatis nostris mentibus memoria residet, delatum fuit imperium. Quem tamen tantum abest vt tolerare illi potuerint, vt cæde etiam nefaria talem virum e medio sustulerint. Post hunc autem terræ marisque imperium nescio quis turpissimè auctionatus, & populo quemadmodum auditis, inuisus est, & milites ipsos, quibus imposuit, parum fidos habet. Qui tamen si etiam defensuri illum beneuolo animo foueant, attamen neque numero vniuersi, neque virtute singuli conferendi sunt vobis: adhæc bellica vos negotia exercuerunt. Nam & cum barbaris pedem conferre, & labores omnes itineris perferre, & algores æstúsque despicere, & concreta gelu calcare flumina, & potare effossos latices non haustos, & venatu inuigilare consueuistis. omnia denique ad virtutem adepti viatica, sic vt nemini facilè sit vestris obsistere viribus. Etenim labore miles probatur, non mollitudine: qua illi exsaturati atque enutriti, ne vocem quidem vestram, nedum pugnam poterunt sustinere. Quòd sicui Syriæ res formidabiles videntur, is vel ex eo cogitet quam imbecillæ sint quámque tenui spe nitantur, quòd neque adhuc progredi quoquam, neque de vrbe petenda deliberare ausi, sedésque illas boni consulentes, delicias in diem quæsitas lucrum esse ambiguæ potesta-

Et Pertinacis virtutes adumbrans, propositis Commodi & Iuliani personis, atque Syrorum Nigro militantium mollitie, suos ad Romam, sedem imperij celeriter occupandam, hortatur.

potesta

potestatis arbitrantur. Est autem ad ioca & cauilla imprimis factum Syrorum genus, tum qui Antiochiam colunt, ii studere Nigro potissimùm creduntur. Nam gentes reliquæ & ciuitates, quum adhuc neminem imperio dignum aspiciant, quique sit Remp. fortiter moderatéque gesturus, ei scilicet obedire se tandem simulant. Quòd si ab Illyrico exercitu ducem creatum cognouerint, simúlque nostrum nomen inaudierint, nõ obscurum sanè apud ipsos neque ignoratum, quippe illic etiam cum imperio præfuimus: neque me profectò desidiæ aut torporis arguerint, neque vestrum exceptare impetum, aut bellicam virtutem volent experiri: præsertim quum & corporum proceritatibus, & armorum exercitationibus, & conferenda manu longè vobis impares habeantur. Quare occupemus quamprimum Romam, larem ipsum imperii: reliqua deinfacilè expedituri, cum deorum oraculis, tum armorum corporúmque vestrorum viribus confidentes.

Hæc loquutum Seuerum faustis acclamationibus milites exceperunt, Augustum Pertinacémque appellantes, studiúmque in eum propensum atque egregiam voluntatem pollicebantur. At Seuerus nihil procrastinandum ratus, armari ac vasa colligi quamexpeditissimè iubet, itérque ad vrbem edicit: distributisque viritim cibariis omnique viatico, nihil sibi ad celeritatem facit reliqui, nullis interquiescens locis, ac vix residere tantisper milites passus donec a nimia itineris contentione respirarent. Ipse inter primos laborans, vilique tabernaculo vtens, cibum potúmque eundem quem etiam cæteri milites, capiebat: nihil vnquam imperatoriæ luxuriæ, nihil deliciarum ostentans, sic vt acceptior indies militibus fieret. Nam quum laborum omnium non modò particeps, sed princeps etiam autórque foret, adeo cunctis venerabilis erat vt nihil non pro illo cupidissime facturi viderentur.

Seuerus quod expetit, obtinet. dignitati impetratæ verò celeritatem laborẽ & temperantiam addit.

Qui enim procrastinãt & luxui vacant, indigni sunt qui dignitate maxima potiantur.

6 POSTEA verò quàm emensa Pannonia ipsos Italiæ montes insedit, famámque sui præueniens,

Potẽtis, prudentis & minimè cun-

Stantis principis exercitus omnibus metum incutit.

prius coràm conspectus est quàm aduentare auditum fuerat, magnus scilicet omnes Italiæ ciuitates tanto conspecto exercitu metus inuasit: quippe homines in Italia iampridem ab armis bellóque remotissimi, agros pacémque colebant. Etenim quandiu libera ciuitas egit, atque a senatu belli duces eligebantur, fuere in armis semper Italæ nationes, Græcísque & barbaris subactis, terræ sibi marísque imperium pepererunt. neque vlla orbis terrarum pars aut cæli tractus fuit quo non vires suas Romanorum arma protulerint. Postea verò quàm Augustus rerum potitus est, & laborem Italis ademit, & arma detraxit: milites tantùm quosdam certis autoramẽtis habuit mercenarios, qui Romanũ tuerentur imperium: tũ fluuiorũ magnitudine atq; fossarũ, montibúsq; asperrimis, desertisq; locis atque imperuiis circunseptos imperij limites cõmuniuit. Quocirca meritò omnes, postquã aduentare Seuerũ cum tanto milite audiuerũt, insueta re perterriti, quum neque stare contrà, neq; prohibere auderent, ibant obuiã laureati, portisq; eum pa̅tẽtibus excipiebant. Ille tãdiu locis singulis immoratus quãdiu aut sacra faceret aut populos alloqueretur, Romam euestigio pergebat. Quæ vbi Iuliano nuntiata sunt, actum de se prorsus existimauit. Nam & exercitus Illyrici potentiam multitudinémque audiebat, & populo parum fidebat cui se cernebat inuisum: neque satis magnam spem in militibus habebat quos videlicet fefellisset. Itaque collectas vndique pecunias, partim suas partim ab amicis acceptas, cum quascunque in templis aliísque locis publicè inuenisset, diuidere militibus instituit vt eo pacto illorum beneuolentiam redimeret. Sed ei, tametsi multa magnáque acceperant, nullam tamen habebant gratiam, persolui debitum sibi, non dari munus aliquod interpretantes. Cæterùm suadentibus amicis Iuliano vt

Inuitósque cogit ad reuerẽtiam & obsequium.

Iulianus, tyrãni cui mala mens & malus animus, effigies.

Prætoriani milites, pecunia empti nõ Iulianum sed nummos

vt exercitum educeret, atque Alpium angustias occuparet; (sunt autem Alpes, altissimi montes quales in his regionibus nulli, porrecti ad muri formam, circundatique Italiæ, quasi ad reliquam regionis eius felicitatem hunc etiam quasi cumulum natura addiderit, vt munitionem haberet inexpugnabilem, pertingentem scilicet à Septentrionali ad id mare quod ad meridiem spectat) non ausus tamen ille vrbe egredi, supplicatum militibus mittebat vti arma caperent, exercerentque se ac fossas ante vrbem ducerent: omnémque belli apparatum in ipsa demum vrbe expediebat. Siquidem elephantos quoque, quos ad pompam institutos habebat, insuefacere conabatur sessorem pati, ratus Illyricos milites equósque eorum perterritum iri facie magnitudinéque beluarum quales antea nullas aspexissent. Totáque ciuitas armis fabricandis, bellicisque instrumentis conficiendis erat intenta. Sed cunctantibus adhuc Iuliani militibus ac se comparantibus ad bellum, nunciatur adesse iam Seuerus. Is multos è militibus suis sparsim dimiserat qui clam Romam proficiscerentur: quare alij aliis itineribus noctu ingressi vrbem, protectis armis habitu paganorum operiebantur. Iámque intus hostis erat, supino adhuc Iuliano & quid ageret ignaro. Quæ vbi populus intellexit, cunctis metu perculsis ac Seueri potentiam formidantibus, sentire iam se cum illo simulabat: & Iulianum quidem, quòd imbellis, Nigrum quòd lentus atque iners, vituperantes, Seuerum ipsum iam aduentantem magnopere admirabantur. Enimuero Iulianus hæsitabundus atque inops consilij, conuocato prius senatu, literas ad Seuerum mittit quibus fœdus pacisceretur, eúmque in communionem acciperet imperij. Cæterùm senatus, etsi illa omnia decernebat, tamen vt eum pauitare desperata salute animaduertit, totus iam

quærunt. Latronũ, prædа victitãtium illud est ingenium vt ingruente periculo nec sibi nec dominis suis consulere possint, etiam si ad aliquot dies debellaturi fortissimos quosq., tum verbis, tum inani quodã appa ratu videãtur.

Oculis & manib. priuatur, imminente exitio, qui pessimis artib. reip. captãs gubernacula, eã quantum in se est labefecit.

ad Seuerum incubuerat. Biduo verò pòst triduóve, audito Seuerum iam planè adesse, omnes contempto Iuliano in curiam conuenere iussu consulum. quippe iis curæ Romana res est quoties de imperio ambigitur. Qui postquam frequentes affuerunt, quid facto opus esset, inter se deliberabant, manente adhuc in aula Iuliano ac fortunam suam miserante, supplicitérque rogante vt sibi eiurare imperium liceret, omnémque eam potestatem Seuero transcribere. Sed vbi intellexit senatus adeo pauidum Iulianū, perterritos corporis custodes, ipsum pene ab omnibus destitutum, decreta illius nece, Seuerum solum Imperatorem declarant. Tum legatos ad eum mittunt, partim qui magistratum obtinerent, partim qui maximam haberent in senatu autoritatem, vt omnes illi honores augustorum deferrent. Occidendi autem Iuliani datur vni è tribunis negotium. Is imbellem miserúmque senem, qui sibi ipse tam infelicem exitum propria pecunia emisset, desertum iam destitutúmque ab omnibus, inter fœdissimas complorationes trucidauit.

Et tandem prorsus opprimitur. Ita turpi morte perit qui turpi via vitam suam aliorúmque turbare conatus est.

ÆLII SPARTIANI
Didius Iulianus.

BREVIARIVM.

1 *Didii Iuliani stemmata, variæ functiones publicæ, artes quibus imperium arripuit, liberalitas erga milites.*

2 *Exosus populo, verbis & lapidibus petitur. Pescennius Niger palam vocatur ad vrbis præsidiū. Iuliani conatus, vt Pescēniū*

&

& Seuerū tolleret è medio.

3 Sed Seueri aduentum trepidans, consilii & potentiæ inops multa tentat vt dignitatem suam tueatur, quam & Claudio Pompeiano affert. Ab omnibus desertus, Senatus autoritate, imperio abdicatur & in palatio interficitur.

1 DIDIO Iuliano, qui post Pertinacem imperium adeptus est, proauus fuit Saluius Iulianus, bis consul, præfectus vrbi, & iurisconsultus: quod magis eum nobilem fecit. Mater Clara Aemilia: pater Petronius Didius Seuerus: fratres Didius Proculus, & Nummius Albinus: auunculus Saluius Iulianus: auus paternus, Insubris Mediolanensis: maternus ex Adrumentina colonia. Educatus est apud Domitiam Lucillam, matrem Marci Imperatoris. Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci. Quæstor ante annum quàm legitima ætas sinebat, designatus est. Aedilitatem suffragio Marci consequutus est. Prætor eiusdem suffragio fuit. Post præturam legioni præfuit in Germania vicesimæ secundæ primigeniæ. Inde Belgicam sanctè ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis qui Albim fluuium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuariis auxiliis prouincialium: ob quæ consulatum meruit, testimonio Imperatoris. Cattos etiam debellauit. Inde Dalmatiam regendam accepit, eámque à confinibus hostibus vindicauit. Pòst Germaniam inferiorem rexit. Post hoc curam alimentorum in Italia meruit.

Maiorum virtutes & honores successorib. præcipiunt, vt dignitatem illā, temperantia & æquitate posteris sartā tectam conseruent.

Eximii quidem progressus, sed inutiles: fuit enim perseuerandum.

2 Tunc factus est reus per quendam Seuerum clarissimum militem, coniurationis cum Saluio contra Commodum: sed à Commodo, quia multos iam senatores occiderat, & quidem nobiles ac potentes in causis maiestatis, ne tristius grauaretur, Didius liberatus est, accusatore damnato. Absolutus, iterum ad regendam prouinciam missus est. Bithyniam deinde rexit: sed non ea

Periculo liberatus vir prudens, sibi cauet in posterum. At Iulianus præteritorū

Immemor, ambitione correptus fœdè perit.

fama qua cæteras. Fuit consul cum Pertinace, & in proconsulatu Africæ eidem successit, & semper ab eo collega est & successor appellatus: maximè eo die quum filiam suam Iulianus despondens affini suo, ad Pertinacem venisset, idque intimasset. dixitque debita reuerentia, *quia collega, & successor meus est*. Statim enim mors Pertinacis sequuta est. Quo interfecto, quum Sulpitianus imperator in castris appellari vellet, & Iulianus cum genero ad senatum venisset quem indictum acceperat, quúmque clausas valuas inuenisset, atque illic duos tribunos reperisset, P. Florianum & Vectium Aprum, cœperunt cohortari tribuni, vt locum arriperet: quibus quum diceret, iam alium Imperatorem appellatum, retinentes eum ad prætoria castra duxerunt. Sed posteaquam in castra ventum est, quum Sulpitiano præfecto vrbi, socero Pertinacis, concionante sibique imperium vindicante, Iulianum è muro ingentia pollicentem nullus admitteret, primùm Iulianus monuit prætorianos ne eum facerent Imperatorem qui Pertinacem vindicaret: deinde scripsit in tabulis se Commodi memoriam restituturum: atque ita & admissus est & Imperator appellatus, rogantibus prætorianis ne Sulpitiano aliquid noceret quòd Imperator esse voluisset. Tunc Iulianus Flauium Genialem & Tullium Crispinum suffragio prætorianorum præfectos prætorij fecit, stipatúsque est caterua imperatoria per Maurentium, qui & ante se Sulpitiano coniunxerat. Sanè quum vicena quina millia militibus promisisset, tricena dedit. Inde habita concione militari, vespera in senatum venit, totúmque se senatui permisit: factóque senatusconsulto Imperator est appellatus, & tribunitiam potestatem, ius proconsulare, in patricias familias relatus, emeruit. Vxor etiam Mallia Scantilla, & filia eius Didia Clara, Augustæ sunt

Malis consiliis aures non præbenda.

Nec prauis artib. dignitates captanda. Qui enim necessariis legibus & reip. commodis bellū vi aperta vel dolis indicunt, sibi ipsis creant exitium.

app

appellatæ. Inde se ad palatium recepit, vxore ac filia illuc vocatis, trepidis & inuitis eò transeuntibus, quasi iam imminens exitium præsagirent. Præfectum vrbi Cornelium Repentinum, generum suum, fecit in locum Sulpitiani.

Mulieres, ambitionis veneno non fascinatæ, exitiū præsagiunt.

2 ERAT interea in odio populi Didius Iulianus ob hoc quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi Pertinacis autoritate reparandam: habebatúrque ita quasi Iuliani consilio esset Pertinax interemptus. Etiam hi primùm qui Iulianum odisse cœperant, dissemiharunt, prima statim die Pertinacis cœna despecta, luxuriosum parasse conuiuium ostreis & altilibus & piscibus adornatum: quod falsum fuisse constat. Nam Iulianus tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, siquis ei fortè misisset: sæpe autem nulla existente religione, oleribus leguminibúsque contentus, sine carne cœnauerit. Deinde neque cœnauit priusquam sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob eius necem sumpsit, & primam noctem vigiliis continuauit, de tanta necessitate solicitus. Vbi verò primùm illuxit, senatum & equestrem ordinem in palatium venientem admisit, atque vnumquenque vt erat ætas, vel patrem vel filium, vel parentem affatus blandissimè est. Sed populus in rostris atque ante curiam, ingentibus eum conuitiis lacessebat, sperans deponi ab eo posse imperium quod milites dederant. Lapidationem quoque fecere: descendenti cum militibus & senatu in curiam diras imprecati sunt: rem diuinam facienti ne litaret optarunt. Lapides etiam in eum iecerunt, quum Iulianus manu eos semper placare cuperet. Ingressus autem curiam, placidè & prudenter verba fecit. Egit gratias quòd esset ascitus, quòd & ipse & vxor & filia eius Augustorum nomen acceperunt. Patris patriæ

Qui populo exosi sunt falsis rumoribus lacerantur.

Quibus non mederi potest blandiloquentia.

Immò præsentia principis exosi adauget populi furorē.

quoque nomen recepit: argenteam statuam respuit. E senatu in capitolium pergenti populus obstitit, sed ferro & vulneribus & pollicitationibus aureorum quos digitis ostendebat, ipse Iulianus (vt fidem faceret) summotus atque depulsus est: inde ad circense spectaculum itum est. Sed occupatis indifferenter omnium subselliis, populus geminauit conuitia in Iulianum, Pescennium Nigrum, qui iam imperare dicebatur, ad vrbis præsidium vocauit. Hæc omnia Iulianus placidè tulit, totóque imperij sui tempore mitissimus fuit: populus autem in milites vehementissime inuehebatur, qui ob pecuniam Pertinacem occidissent. Multa igitur quæ Commodus statuerat, Pertinax tulerat, ad conciliandum fauorem populi, restituit. De ipso Pertinace neque male neque bene quicquam egit: quod grauissimum plurimis visum est. Constitit propter metum militum de honore Pertinacis tacitum esse. Et Iulianus quidem neque Britannicos exercitus, neque Illyricos timebat: Nigrum verò misso primipilario occidi præceperat, timens præcipue Syriacos exercitus. Ergo Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico cum exercitibus quibus præsidebant, à Iuliano desciuere. Sed quum ei nuntiatum esset Seuerum desciuisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad senatum venit: impetrauítque vt hostis Seuerus renuntiaretur: militibus etiam qui Seuerum sequuti fuerant, dies præstitutus, vltra quem si cum Seuero fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt præterea legati à senatu consulares ad milites, qui suaderent vt Seuerus repudiaretur, & is esset Imperator quem senatus elegerat. Inter cæteros legatus est Vespronius Candidus, vetus consularis, olim militibus inuisus ob durum & sordidum imperium. Missus est successor Seuero Valerius Catulinus: quasi posset ei succedi

Vnde ferrũ & vulnera.

Noui item principis electio.

Auaritia militum infesta detestatio.

Iulianus pro brosa via ad fastigium imperij euectus, probrosè agit adu. Nigrum, scelus sceleri addens, vt solent huiusmodi artifices.

Nec prudentius agit in Seuerũ: sed

ſuccedi qui militem iam ſibi tenebat. Miſſus præterea Aquilius centurio, notus cædibus ſenatoriis, qui Seuerum occideret. Ipſe autem Iulianus prætorianos in campum deduci iubet, muniri turres: ſed milites deſides & vrbana luxuria diſſolutos, inuitiſſimos ad exercitum militare produxit, itavt vicarios operis quod vnicuique præſcribebatur, mercede conducerent. Et Seuerus quidem ad vrbem infeſto agmine veniebat: ſed Didius Iulianus nihil cum exercitu prætoriano proficiebat, quem quotidie populus & magis oderat & ridebat. Et Iulianus ſperans Lætum fautorem Seueri, quum per eum Commodi manus euaſiſſet, ingratus tanto beneficio, iuſſit eum occidi. iuſſit etiam Martiam interfici. Sed dum hæc egit Iulianus, Seuerus classem Rauennatem occupat: legati ſenatus qui Iuliano promiſerant operam ſuam, ad Seuerum tranſierunt. Tullius Criſpinus præfectus prætorio, contra Seuerum miſſus vt claſſem produceret, repulſus Romam rediit.

dum ferro ſibi conſulere cogitat in ſeipſum ferrum acuit Iulianus.

Nouo ſcelere necem ſuam maturat.

3 HAEC quum Iulianus videret, ſenatum rogauit vt virgines veſtales & cæteri ſacerdotes cum ſenatu obuiam exercitui Seueri prodirent, & prætentis infulis rogarent: inane contra barbaros milites præſidium parans. Hæc tamen agenti Iuliano Fauſtus Quintillus conſularis augur contradixit, aſſerens, non debere imperare eum qui armis aduerſario non poſſet reſiſtere. cui multi ſenatores conſenſerunt. Quare iratus Didius, milites è caſtris petiit qui ſenatum ab obſequium cogerent aut obtruncarent. Sed id conſilium diſplicuit. Neque enim decebat vt quum ſenatus hoſtem Seuerum Iuliani cauſa iudicaſſet, eundem Iulianum pateretur infeſtum. Quare meliore conſilio ad ſenatum venit, petiitque vt fieret ſenatuſconſultum de participatione imperij. Quod ſtatim factum eſt. Tunc omen

Ambitione, auaritia, crudelitate grauatus, conſiliis, auxiliis, amicorũ, ac militum præſentia, quũ opus eſt, miſer deſtituitur.

Serò ſapiũt, qui quum oportuit ſapere recuſarunt.

quod sibi Iulianus quum imperium acciperet fecerat, omnibus venit in mentem. Nam quum consul designatus de eo sententiam dicens, ita pronuntiasset, *Didium Iulianum imperatorem appellandum esse censeo*, Iulianus suggessit, *Adde & Seuerum*: quod cognomentum aui & proaui sibi Iulianus asciuerat. Sunt tamen qui dicant nullum fuisse Iuliani consilium de obtruncando senatu, quum tanta in eum senatus contulisset. Post senatusconsultum statim Didius Iulianus vnum ex præfectis Tullium Crispinum misit. Ipse autem tertium fecit præfectum Veturium Macrinum, ad quem Seuerus literas miserat vt esset præfectus. Sed pacem simulatam tentatámque cædem Seueri Tullio Crispino præf. prętorij & populus loquutus est & Seuerus suspicatus. Denique hostem se Iuliano Seuerus esse maluit quàm participem, consensu militum. Seuerus autem statim & ad plurimos Romam scripsit, & occultè misit edicta quæ proposita sunt. Fuit præterea in Iuliano hæc amentia, vt per magos pleraque faceret quibus putaret vel odium populi deliniri, vel militum arma compesci. Nam & quasdam non conuenientes Romanis sacris hostias immolauerunt, & carmina profana incantauerunt, & ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur, Iulianus fecit. Túncque puer vidisse dicitur & aduentum Seueri & Iuliani decessionem. Et Crispinus quidem quum occurrisset præcursoribus Seueri, Iulio Læto autore à Seuero interemptus est. Deiecta sunt etiam ea consulta è senatu. Iulianus conuocato senatu, quæsitísque sententiis quid facto opus esset, certi nihil comperit à senatu: sed postea sponte sua gladiatores Capuę iussit armari per Lollianum Titianum, & Claudium Pompeianum è Tarracinensi ad principatum euocauit, quòd & gener Imperatoris fuisset & diu militib

Omen.

Turbulenta & euanida consilia.

Hosti pœnitentia & prudentia prædito via omnes peruia.

Iuliani demens impietas, imminentis iusti iudicij præsagium.

Quos mundi iudex ad pœnam trahit, iis mentem auferre solet.

militibus præfuisset. Sed hoc ille recusauit, senem se & debilem luminibus respondens. Transierant & ex Vmbria milites ad Seuerum: & præmiserat quidem literas Seuerus, quibus iubebat interfectores Pertinacis seruari. Breui autem desertus est ab omnibus Iulianus, & remansit in palatio cum vno de præfectis suis Geniali, & genero Repentino. Actum est denique vt Iuliano senatus autoritate abrogaretur imperium, & abrogatum est, appellatúsque statim Seuerus Imperator, quum fingeretur quòd veneno se absumpsisset Iulianus: missi tamen à senatu quorum cura per militem gregarium in palatio idem Iulianus occisus est, fidem Cæsaris implorans, hoc est Seueri. Filiam suam potitus imperio, dato patrimonio emancipauerat, quod ei cum Augustæ nomine statim sublatum est. Corpus eius à Seuero vxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, & in proaui monumento translatum, milliario quinto, via Lauicana. Obiecta sanè sunt Iuliano hæc, quòd gulosus fuisset, quòd aleator, quòd armis gladiatoriis exercitus esset, eáque omnia senex fecerit quum antea nunquam adolescens his esset vitiis infamatus. Obiecta est etiam superbia, quum ille etiam in imperio fuisset humillimus. Fuit autem contrà humanissimus ad conuiuia, benignissimus ad subscriptiones, moderatissimus ad libertatem. Vixit annis quinquaginta sex, mensibus quatuor: imperauit mensibus duobus, diebus quinque. Reprehensum in eo præcipuè quòd eos quos regere autoritate sua debuerat, regendæ reipub. sibi præsules ipse fecisset.

Iisque omnes homines reddit aduersarios, et tandem honores cum vità adimit

Vitia Iuliano obiecta, à Spartiano diluuntur.

Vitæ & imperij curriculum.

HERODIANI

Seuerus.

BREVIARIUM.

1 *Seuerus audiens se Imperatorem, prætorianos milites qui Pertinacem interfecissent solerter intercipit, exauctorat, & ab exercitu remouet.*

2 *Romanorum de Seuero iudicium. Incredibili celeritate ad bellum Nigro cunctanti inferendum se accingit, & Albinũ Britanniæ præfectum Cæsaris nomine cohonestatum astutè detinet.*

3 *Niger tandem excitatus & tumultuariè sibi consulens, totius belli curã Aemiliano Asiæ præfecto committit; qui ad Cyzicum victus est à Seuero, vnde rerum mira conuersio in Oriente.*

4 *Magno labore & peculiari quodam fortunæ beneficio Seueri exercitus munitiones & validissima Nigri ad Tauri angustias propugnacula superat. Niger cum ingenti exercitu occurrit, & cruento prælio commisso, in fugam coniectus, ac in suburbano Antiocheno comprehensus capite multatur. Amicos eiusdem paulò pòst Seuerus interficit.*

5 *Rebus Orientis in aliud tempus reiectis Seuerus de Albino tollendo init consilia. Albinus detectis Seueri dolis & cruentis artibus se ad bellum comparat. Seuerus autem orationem ad exercitũ habet, qua aduersus Albinum, vt maiestatis reum, classicum canit.*

6 *Celeritate ac animi magnitudine eximia Seuerus Albinum adoritur. Post velitationes quasdam atrox pugna committitur. Victoria penes Seuerum, cuius fructus Albini caput Romam præmissum: & Britannici exercitus deletio.*

7 *Britanniæ & Galliæ*

liæ rebus ordinatis, amicis Albini deletis, Seuerus imperium magis metu quàm beneficentia retinens, magnificentiss. spectaculis populum demulcet.

8 *Orientis populos manu armata pertrahit ad obsequium. Ab Atrenis repulsus, casu Parthicam obtinet victoriam, & Romæ triumphat.*

9 *Filiorum simultatem cognitam Seuerus extinguere conatur, & natu maximo Antonino Plautiani filiam dat vxorem, quam Antoninus & socerum odio persequitur. Plautianus superbus id ægrè ferens, & imperium affectans, Saturninum adornat qui Seuerum & Antoninum trucidet.*

10 *Saturninus coniurationem aperit, ac vix tandem obtinet vt Plautianus accersitus & detectus, Antonini iussu à tribuno & aliis obtruncatur.*

11 *Variis rationibus pacem in imperio & inter filios suos conseruare studet: huiúsque rei gratia bellum mouet in Britannos.*

12 *Belli Britannici euētus. Mors Seueri. Antonini artes nefariæ, eiusdémque cum Geta fratre simulata reconciliatio, ac vtriusque ad imperium allecti in Galliam aduentus.*

SEVERVS vbi audiuit se Imperatorem declaratum, & Iulianũ à tribuno trucidatum esse, maiora iam moliens animo, consilium vafrum iniit capiendorum militum omnium quicunque Pertinacem interemissent. Datis itaque clàm ad tribunos centurionésque literis, hortatur, multa pollicens, persuadeant militibus vrbanis vt sibi dicto audientes sint. Ipse edictum proponit vt relictis inter castra armis, exeant pacatorum habitu, quales procedere in pompam aut ludos celebrare consueuissent: iuréntque in Seueri nomen, ac spem sibi optimam proponentes præstò sint vt nouum Imperatorem comitentur. His creditis, milites suasu

I *Seueri sollertia seditiosorum audaciam coercens in primis obseruanda.*

Parricidæ & omniū perfidißimi armis nefarie tractatis exuuntur.

quoque tribunorum relictis armis, pomparum habitu laureati processerunt. Sed vbi ad exercitum Seueri peruenerūt, nuntiato iam adesse, iubet in campum conuenire frequentes, quasi salutaturus ac perbenigne accepturus vniuersos. Enimuerò quum ad tribunal principis accessissent vnanimiter acclamantes, dato repente signo comprehenduntur. ita enim præceperat Séuerus, vt quum stáre pendentes eos ab ore principis vidissent, circuirent vniuersos milites sui more hostium, neminémque vulnerantes aut pulsantes, tantùm orbe facto clausos in medio continerent, pila duntaxat intendentes & hastas, vt scilicet metu vulnerum nudi resistere armatis, paucique plurimis minime auderent. Quos vbi velut indagine armorum conclusos captiuósque habuit, magna voce ac turbido spiritu, ita ad eos verba fecit, *Superari vos à nobis vel sapientia, vel viribus, vel etiam numero, re ipsa videtis. Capti estis quamfacillimè, ac nullo fermè negotio tenemini. Quid futurum de vobis sit, in mea manu est. Iam scilicet victimæ hîc statis obnoxiæ nostro imperio: si sceleri vestro debitum quæratis supplicium, nunquam sanè inuenietis: sanctißimum illum senem, Imperatorémque optimum, seruandum tuendúmque vobis, ipsi occidistis: Romanum imperium perpetua clarum gloria, quod maiores nostri aut virtutis aut nobilitatis nomine suscipiebant, hoc vos turpiter fœdéque velut aliquid ex priuatorum instrumento, quasi sectores vendidistis. Ac ne eum quidem ipsum quem sic ad imperium produxeratis, seruare salutem ac defensare ausi, homines timidißimi prodidistis. Ob hæc igitur crimina ac facinora vestra mille vobis debentur mortes, si quis par noxæ supplicium studeat petere. Proinde quid vos æquum pati sit, sanè videtis. Ego tamen sanguine abstinebo, neque vestras imitabor manus. Sed quoniam ius fásque negat stipari à vobis iam principem violato iureiurando, ac manibus ciuili & imperatorio sanguine pollutis, proditáque fide custodiáque, animas quidem &*

Tāquam feræ in caueis conclusæ ad scelerū suorum mentionem tremere coguntur.

Grauißima & verißima oratione perterrentur, & Pertinacis honorifica repetitione iniecta, perpetuam ignominiæ notam in animis persentiunt.

Seueri clemens prudētia, parricidas probroso supplicio, morte ipsa grauiori, afficiens.

& corpora vobis nostra largietur humanitas. Porrò militib. meis ita præcipio, recingant vos, ac vestimentis exutos militaribus nudósque dimittant. Vobis autem sic impero, discedatis quamlongissimè: edico item iuróque ac denuntio capite pœnas daturum siquis vestrûm posthac intra centesimum ab vrbe lapidem conspicietur. His imperatis, euestigio milites Illyrici concurrunt, breuésque illos gladiolos detrahunt quos auro argentóque ornatos in vsum pompæ suspensos habebant: tum zonis, vestitúque & ceteris militiæ insignibus per vim ablatis, nudos ad vnum, exautoratósque dimiserunt. Enimuerò illi proditos se videntes atque astu captos, patientiam scilicet præstabant. nam quid agerent nudi aduersus armatos, pauci aduersus plurimos? Discessere igitur complorantes sese, concessámque salutem loco muneris interpretantes, pertæsi tamen ac dolentes quòd inermes egressi capiendos se turpiter ignominioséque obtulerant. Vsus item alio vafro consilio Seuerus est: quippe metuens ne recincti exautoratique deploratis rebus rursus castra repeterent, resumeréntque arma, præmissos aliis itineribus ac semitis electissimos quosque & exploratissimos suorum militum iubet clanculum vacua castra irrumpere, armísque ipsorum occupatis excludere redeuntes. Hanc igitur pœnam Pertinacis interfectores dederunt.

Sceleratorũ latronũ & parricidarũ pœna, iucũdum etiamnum spectaculum prabens. Qui in legitimos suos principes insurgũt tandem horrendi istius sceleris pœnas luent.

2 POST hæc Seuerus cum toto reliquo exercitu instructo armis, Romam petiit, attonitis metuentibúsque pariter primo conspectu Romanis, audaciámque viri ac fortunam repetẽtibus animo. Quem quidem Senatus populúsque vniuersus laureati exceperunt, primùm scilicet ex omnibus hominibus atque Imperatoribus citra sanguinem, atque adeo citra puluerem, tanti effectorem operis. Omnia porrò mirabilia in illo, præcipuéque ingenij acumen, laborum tolerantia, rebúsque maximis

Aliud prudentiæ in Seuero, Romã cum militibus petente exemplum.

Eximia virtutes eiusdẽ.

& tertium prudentiæ exemplū: otio aut luxui non indulgere.

aggrediundis bonam sibi spem proponens audacia. Postea verò quam eum populus faustis acclamationibus suscepit, & Senatus vniuersus ad portas vrbis consalutauit, inito Iouis templo factaque re diuina, reliquisque item sacris ædibus de more consalutatis, nouissime ad domum imperatoriam se recepit.

Quartū, benignitate, & æquitatis testificatione, omnes ad se allicere.

Postridie verò curiam iniit, ibique placidus orationem habuit plenam optimæ spei: simul omnes publicè priuatimque benignè complexus, venisse in vrbem aiebat vt occisum Pertinacem vlcisceretur, daturúmque operam vt status optimatium fundamenta se principe iacerentur: nullum nisi iudicio damnatum, capite bonisve mulctatum iri: non passurum delatores, sed summam felicitatem suis præbiturum: æmulum se Marci futurum gerendo imperio: neque solum Pertinacis cognomen, sed mentem quoque habiturum. In hanc sententiam verba faciens, fauorem sibi fidémque eorum quæ pollicebatur, a plerisque conciliabat. Quidam tamen è maioribus natu qui consuetū ipsius haberent ingeniū, iam tum clanculum reliquis prædicebant versipellem hunc esse hominem, nihil non astu & arte tractantem, simulatorem dissimulatorémq; idoneum, nihil pensi habētem dum id efficeret quod vsui sibi aut emolumento crederet fore: quod seniorum iudicium haud ita multo pòst euētus cōprobauit.

Seueri ingenium.

Quintum, liberalitate & munificētia plebis & militum animos sibi acquirere.

Igitur Seuerus paucos in vrbe dies moratus, dato plebi vberrimo cōgiario, donatisque abunde militibus, & ex iis robustissimo quoq; in locum exautoratorum delecto ad imperij custodiam, statim ipse in orientem profectionem parat, cunctante Nigro adhuc & supino, atque Antiochenis deliciis vacante, ratus properandum sibi vt inexpectatus imparatum opprimeret. Edicto igitur militibus vt ad iter se accingerent, contractisque vndique copiis, ac delectu iuniorum tota Italia habito, simul reliquiis Illyrici

exerc

exercitus quæ in Thracia remanſerant occurrere iuſſis, neque ſecius ingenti claſſe coacta, completiſque armato milite totius Italiæ triremibus, ingentes ſibi omnis generis copias incredibili celeritate comparauit. ſiquidem haud exiguis viribus ſibi eſſe opus intelligebat aduerſus nationes partem orbis Europæ oppoſitam incolentes, quæ ſcilicet vno ordine omnes Nigri ſequebantur auſpicia. Ad hunc igitur modum bellum Seuerus inſtruebat. Cæterùm prouidus homo ac ſobrius, nonnulla ſuſpicione tenebatur de Britannicis exercitibus, maximis videlicet pugnaciſſimiſque quibus præerat vniuerſis Albinus, ſenatorij patritiique generis vir, ſummis opibus ac deliciis iam inde à maioribus innutritus. Hunc ſibi igitur Seuerus aſtu ratus adiungendum, ne ſcilicet diuitiis, genere, exercitibus, famáque nominis, magnis ad concupiſcendum imperium facibus inſtinctus, ſummam ſibi rerum poſceret, Romamque haud procul à Britannia diſtantem, ſe bellis orientalibus implicito occuparet, ſtatuit cum ſpecie quadam honoris inescare, leuem alioquin & ſimplicem, tunc verò etiam multa iuranti per literas credentem. Quare eum Cæſarem appellans, ſpem cupiditatémque hominis anticipat poteſtate participanda. Mittit item plenas humanitatis literas, obſecrans vt ipſe potiſſimùm curam ſuſcipiat imperij: opus eſſe viro aliquo nobili, & ætatis integræ, qualis ille foret: ſe iam ſenem, morbóque articulari affectum, natos, adhuc infantes. Quibus creditis Albinus honorem libenter ſuſcepit, lætus citra pugnam aut diſcrimen vllum compotem ſe voti factum. Cæterùm Seuerus (quò omnia credibiliora forent) iiſdem illis ad ſenatum relatis, nummiſque imagine eius percuti iuſſis, ſtatuiſque erectis, ſimul aliis collatis honoribus, fidem gratiæ ſuæ

Sextum, celeritate & validis armis impa[r]atum hoſtē aggredi.

Septimum, potentiſſimū aduerſariū, ne noceat, aſtu detinere. Quod autem dolo malo Albinum Seuerus aggreditur, id prorſus à bono principe alienum eſſe debet. Huiuſmodi enim fraudū architecti ſibi ſuiſque (vt Seuerus) dedecus & exitium fabricant.

fecit. Quæ postquam sapienter ab illo prouisa sunt nullo iam ex Britannia impendente metu collectis in vnum circa se Illyricis exercitibus, reliquisque rebus ex vsu comparatis, copias aduersus Nigrum educere instititit.

Octauum, in hostem se ad bellũ parautem intrepido animo ferri.

3 NIGER autem vbi Romam à Seuero occupatam, ipsum à senatu appellatum Imperatorem, nihil tale expectans, audiuit, præterea omnem Illyricum exercitum contra se, aliásque pedestres naualésque copias educi, perturbato vehementer animo, monet prouinciarum præsides aditus omnes portúsque custodiant, mittitque rogatum auxilia ad Parthorum, Armeniorum, atque Atrenorum reges. Cui quidem Armenius, neutras se partes suscepturum respondit, tantùm res suas defensurum Seueri aduentu: Parthus autem satrapis imperaturum per epistolas vti copias congregarent: ita enim facere consueuit bellum comparaturus. siquidem mercenarios milites atque ordinarios exercitus Parthi nullos habent. Ex Atrenis autem sagittarij auxiliares venerunt missu regis Barsemij qui tum in eis regionibus imperitabat. Reliquas omnes copias è militibus qui aderant, potissimùm conflauit plurimis etiam è populo, maximéque Antiochenis, cum ætatis leuitate tum ipsius Nigri studio impulsis, atque audacius quàm prudentius nomina dantibus. Sed & Tauri montis angustias, ac prærupta loca muro valido Niger, munimentísque obstruebat, ratus montem illum imperuium magnum orienti propugnaculum futurum. siquidem Taurus inter Cappadociam Ciliciámque dorsum erigens, nationes discriminat orienti ac septentrionibus subiectas. Idem Byzantium præsidio occupauit, vrbem Thraciæ maximam felicissimámque, viribúsque & opibus ea tempestate florentem. Quippe in angustissimo Propontidos constituta freto, vectigalia

Infelix ille belli dux & princeps censendus qui nimium cunctando dum pericula imminẽt, capit in harena consilium.

Et cogitur cum nouo & inexercitato milite belli aleam experiri.

Atque locorum munitionibus non hominũ fortium, constantiæ confidere.

lia piscatúmque a mari accipit: simul agros possidens amplissimos vberrimósque, ex vtroque velut elemento magnum lucrum facit. Visum igitur Nigro talem hanc vrbem præsidiis occupare, vt classes nauigiáque per eas angustias transgredi ex Europa in Asiam prohiberentur. Erat enim munita vrbs valido ingentique muro, qui Milesio quadrato lapide constructus adeo tenui iunctura fuit, vt nemini compositum opus sed ex vno tantùm perpetuóque lapide videretur: ac nunc quoque ruinas ipsas reliquiasque quum videris, mireris vtique vel eorum artificium qui primi extruxerunt, vel horum vires qui deinceps sunt demoliti. Ad hunc igitur modum Niger suas res comprobat, prouidentissimo scilicet (vt ipse putabat) tutissimóque consilio. Cæterùm Seuerus quantum maximè poterat, cum suis copiis festinare, nullum desidię quietique locum relinquere. Cognito autem præsidiis teneri Byzãtium, quod sciebat munitissimam esse vrbem, ad Cyzicum se conuertit. Hoc intellecto, dux Asiæ Aemilianus, cui summam Niger totius belli, maximúmque imperium tradiderat, & ipse Cyzicum proficiscitur, & copias adducit vniuersas quascunque aut Niger miserat aut ipse contraxerat. Sed vbi ventum ad manus, aliquot accerrimè editis præliis, victoria tandem penes Seuerum stetit, fuso fugatóque Nigri exercitu, magna etiam eius parte trucidata. Itaque confestim fracti orientalium animi, Illyricianis autem spes ingens addita. Neque defuere qui crederent Nigri res initiò statim proditas ab Aemiliano, labefactatas fuisse. cuius consilij duplicem afferunt causam. alij Nigro inuidisse, ferentem scilicet haud æquo animo si, quem paulo antè in Syria successorem habuisset, eundem superiorem mox, atq; adeo Imperatoré dominúmque esset habiturus: alij persuasum a liberis, patri per epistolas vitam salutém-

Byzantium Nigri propugnaculũ.

Hoste pũtentissimo procul remoto, prudentissima & tutissimá audacium hominum videntur consilia:

At prælio commisso & iis fugatis qui se inuictos censebant, reliquorum animi collabuntur; & victoris spes crescit.

que suam commendantibus, quos Romæ inuentos Seuerus in custodia habebat: siquidem hoc quoque vsus est prouidentissimo consilio. Mos fuerat Commodo retinere apud se liberos eorum qui ad regendas prouincias cum imperio proficiscerentur, quasi obsides quosdam beneuolentiæ illorum fideique. Igitur Seuerus quumprimum est Imperator appellatus, superstite adhuc Iuliano, misit furtim qui suos liberos ex vrbe subducerent, ne in alterius essent potestate. Cæterùm ipse quumprimum Romam ingressus est, comprehensos omnes ducum liberos, cæterorúmque item quicunque munus publicum in oriente Asiáque tota obirent, atque in custodiam datos, secum retinebat, quò per ea quasi pignora Nigri ducibus persuaderetur vti illum desiderio salutis liberorum proderent, aut certè si in fide permansissent, liberum sibi relinquerent cæde filiorum quos vellet vlcisci. Victi autem ad Cyzicum Nigri milites, quàm quisque maximè poterat, aufugerũt, partim præter Armeniæ montana, quidam per Asiam Galatiámque superare Taurum festinantes, vt scilicet intra munimenta se reciperent. At verò Seueri exercitus Cyzicenum per agrum in Bithyniam finitimam regionem contendebat. Sed vt Seuerum vicisse fama diuulgauit, repens confestim in eis locis seditio discordiáque vrbes inuasit: non tam quidem ipsorum imperatorum odio aliquo aut studio, quàm æmulatione quadam & contentione inuidiáque inter eiusdem gentis homines funestissima. Antiquum id vitium Græcorum, qui dum seditiones agitant, atque eminentissimum quenque tollere è medio conantur, totam iam consumpsere Græciam. Cæterùm illi quidem inueterati iam attritique inter se, captiui prius Macedonum, dein mancipia quoque Romanorum facti sunt. Ea verò labes æmulationis atque inuidiæ, florentibus etiamnum

Prudentia Seueri aliud exemplum, obseruandum. Quid ni enim ab aduersariis pignora tacitè tibi assumas, vt ferocientes compescas: sin minus, tempestiue, quantum fert æquitas & belli ius, vlciscaris.

Victorem sequuntur & amplectuntur populi atque vrbes, prius infestis animis aduersario fauentes. Europæ verò intuere hic imaginem.

ætat

ætatis nostræ ciuitatibus incubuit.

4 IGITVR in Bithynia statim post res ad Cyzicum gestas, Nicomedenses ad Seuerum defecerunt, missis legationibus quæ se exercitum accepturos, omniáque tradituros pollicerentur. Niceenses contrà illorum instigati odio, Nigri partibus studebãt, eiúsque suscipiebant milites, siue qui se ex fuga receperant, siue qui ad tuendam Bithyniam mitterentur. Quocirca ex vtrisque vrbibus quasi è castris egressi milites iterum concurrerunt, magnóque commisso prælio, longè superior Seuerus fuit. Inde etiam fuga facta, Nigri milites qui prælio superfuerunt, ad Tauri montis angustias euaserant, clausásque munitiones tuebantur. At Niger relicto ibi quantum satis fore præsidij putabat, profectus Antiochiam est vt exercitus pecuniámque contraheret. Interea Seueri exercitus Bithyniam Galatiámque egressus, quum se mox in Cappadociam quoque incitasset, oppugnare munitionem incepit. Ibi multis est laboribus conflictatus: quippe arcta asperáque via, lapidésque supernè iacientibus ac fortissimè dimicantibus qui summis institerant mœnibus, eóque facilè paucis arcentibus plurimos. Etenim angustissima vtique via est, cuius pars altera monte altissimo defenditur, altera per immane præceps defluente montibus aqua redundat: tum valida munitione Niger obstruxerat, vt scilicet vndique hostis aditu prohiberetur. Dum hæc in Cappadocia geruntur, interim seditiones inter se quoque agitabant pari æmulatione odióque, Laodicea quidem in Syria, Antiochenorum odio: Tyros autem in Phœnicia, Bertytiis infensa. Quæ nuntiata Nigri fuga, sublatis illius honoribus, Seuero prosperè acclamarunt. At Niger audita re, quum quidem Antiochiæ ageret, iure scilicet (homo alioqui benigni masuetíque ingenij) defectione illorum

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Debellatis hostium castris, eorundem munitiones sunt indefesso studio oppugnandæ.

Seditiones facilè oriuntur in opulentis ciuitatibus.

Quas qui igne & ferro reprimere se posse putat, longè fallitur.

contumeliáque irritatus, immittit vtrisque vrbibus Mauros iaculatores quoscunque secum habuerat, simul partem sagittariorum, iussos occidere obuium quenque, diripere vrbes ipsas atque incendere. Sed enim Mauri (vt est genus hominum suapte natura cædis auidissimum, nihilque non facile audens, ac desperatis simile, contemptu videlicet mortis ac periculorum) Laodicenis de improuiso oppressis, populum ipsum omni genere crudelitatis, vrbémque vastarunt. Inde Tyrum pergentes, direptis omnium bonis, ac patrata ingenti cæde, totam incenderunt. Quæ dum in Syria gerebantur, contrahente copias Nigro, interea Seueriani milites munitionem Tauri montis oppugnabant, tristes vtique ac citra spem victoriæ: quippe valida inexpugnabilisque per se, monte quoque ipso præcipitióque defendebatur. Igitur iam defatigatis Seueri militibus, alta aduersariorum securitate, ecce tibi noctu maximi repente ruere imbres, oppleri omnia niuibus, vt sunt difficiles in Cappadocia hyemes, maximéque ad Taurum montem. Quocirca subitus impetu magno erumpit torrens, cursúque solito impedito (quòd munitio exitum prohibebat) maior iam violentiórque factus, quando artem superante natura tantum impetum sustinere munitio non poterat, laxatis aqua paulatim coagmentis, ac fundamentis loco emotis quippe quę festinanter ac minimè accuratè exstructa essent, iter sibi torrens patefecit. Quo animaduerso qui in præsidio erant, metu ne ab hoste circunuenirentur, nullo mox futuro propugnaculo simul vnda resedisset, prodita custodia cuncti fuga dilabuntur. Igitur læti Seueriani, confirmatique animos, velut diis ipsis immortalibus manuducentibus, cognito custodes aufugisse, facilè scilicet nullis prohibentibus Taurum supergressi, in Ciliciam mox impetum fecerunt.

Munitiones validæ non leui manu oppugnādæ.

Quod vi & arte obtineri nequit, id fortuna benefica confert.

His

His nunciatis Níger, quum quidem ingentem exercitum, sed pugnæ laborúmque inscium collegisset, magnis itineribus accelerabat, quamplurimis eum mortalibus omniq; ferme Antiochenorum iuuentute sequentibus ducem, multa scilicet animorum alacritate, cæterùm virtute ac peritia belli nulla ex parte cum Illyrico milite conferendis. Ita concurrerunt ad Issicum, quem appellant, sinum longè latéque spatiosissima in planitie, quæ perpetuis subiecta collibus in theatri speciem, littus habet a mari longissimè excurrens, quasi quoddam belli stadium fabricata natura: quin eodem quoque loco Darium ab Alexandro ferunt maximo extremóque illo prælio profligatum captúmque, septétrionalibus etiam tum viris orientis nationes superantibus. Manet adhuc trophæum, & tantæ victoriæ testimonium vrbs in colle Alexandria, simul æneum ipsius simulacrum vnde loco impositum nomen. Euenit autem vt Seueri ac Nigri exercituum non congressus modò in eum locum, sed fortuna etiam fortunæ similis fuerit. Vtrinque enim sub vesperam parati ad pugnam constiterant, curis dein pauoribúsque totam noctem extraxerât insomnem: statimque cum solis ortu ducibus vtrinque adhortantibus, increbili alacritate vtrinque se incitarunt, tanquam de omni spe reliqua nouissimo illo congressu dimicaturi, disceptante illic super Romano imperatore fortuna. Sed vbi diu pugnatum acerrimè, tantáque edita vtrinque strages vt flumina per eam planitiem decurrentia, maiore aliquanto vi sanguinis quàm aquarum in mare se voluerent, fusi tandem profligatique orientales, imminentibus à tergo Illyricianis, partim in mare saucij protrudebantur, partim in colles summos fugitâtes à persequentibus obtruncabantur, cúmque iis vnà vulgus ingens hominum qui ex vrbibus vicinis agrisque confluxerant, super-

Ingens exercitus pugnæ & laborum inscius, ingens onus & exitium ineluctabile.

Theatrum belli, admodum insigne.

Seuerus ac Niger fortiss. Imperatorum vices renouant.

Atrocis & cruentæ pugnæ descriptio. Victoria autem penes Seuerum.

Niger fugatus, desperabundus, è latebris tractus, capite truncatus tarditatis & ignauiæ suæ luit pœnas, & amicis suis adfert exitiũ.

nè quasique ex tuto loco prælium spectaturi. At Niger valido euectus equo, paucis comitantibus, Antiochiam peruenit: vbi fugiente passim multitudine, magnóque vbique fletu clamoribúsque natos fratrésque lugentium, deploratis & ipse rebus suis fugam capit: occultantíque dein se in suburbano quodam, & ab equitibus reperto, ac comprehenso, caput amputatum. Hunc habuit exitum vitæ Niger, dato cunctationis tarditatisq; supplicio, homo alioqui (vt perhibent) publicè priuatimque minimè improbus. Sed occiso Nigro, Seuerus omnes statim illius amicos supplicio affecit, siue qui spontè, siue qui necessitate coacti rebus illius studuissent: militibus tantùm qui effugerant ac trans fluuiũ Tigrim metu Seueri ad barbaros abierant, impunitate proposita receptis. Quippe magna vis hominum in ea loca concesserat: quo potissimum effectum est vt validiores deinceps barbari aduersus Romanos conferenda manu euaserint. nam gnari antea pugnare tantùm arcu ex equis, neque armatura muniti, neque hasta gladióue satis audaces, leui pẽduláque veste plurimúmq; inter fugiendum auersi sagittas intendebant: postea verò quàm Romani aliquot milites, fabrique nonnulli in eas regiones confugerunt, ibi ætatem acturi, non solùm armis vti sed ea quoque fabricari barbari didicerunt.

Inexpertes, bellando bellatores euadunt.

5 Rebvs autem orientis ex sententia gestis, atque vt res poscere videbatur, ordinatis, cupido iam Seuerum habebat regem quoque Atrenorum bello tentandi, ac Parthorum regionem occupandi, quos vtrosque in societatẽ Niger asciuerat. Quibus tandem rebus in aliud tempus reiectis, cogitare institit quo pacto sibi vniuersum Romanum imperium liberisque suis bona fide adiudicaret. Nam sublato Nigro reliquus erat Albinus, quẽ sibi parum ex sententia parúmque vsui fore arbitrabatur: vulgato

Aliud prudentiæ Seuerianæ exemplum, remotos hostes relinquere, vt potentem aduersarium nempe Albinum, reprimat.

gato rumore, iam nimis illum impotenter nimisque moleste nomen Cæsaris vsurpare: præterea multos esse e' primoribus senatus qui ad eum clàm darent literas, hortantes ad reditum absente adhuc occupatóque Seuero. Quippe nobilitas omnis Albinum malebat imperatorem, ortum illustri genere ac bonæ indolis iuuenem. Quibus rebus cognitis Seuerus, minimè vtique apertis inimicitiis ac manifesto bello agendum putans, nulla existente causa quæ saltem specie honesta videri posset, decreuit eum dolo insidiisque tentare. Quare tabellarios aliquot ex iis qui literas imperatorias perferunt, fidissimos sibi homines cum literis mandatisque ad eum mittit, præmonitos vti redditis publicè epistolis quædam habere se dicerent quæ apud illum remotis arbitris loquerentur. quare vt primùm seorsum à custodibus nacti eum forent, facto impetu obtruncarent. Quin venena quoque dedit quibus eum, si possent, per aliquem ab epulis aut à cyatho aggrederentur. Erat autem illius amicis suspecta Seueri fides. Itaque cauendum identidem admonebant hominem perfidiosum, plenum fraudis & insidiarum. Nam vulgò etiam parum constanti fide habebatur, impulsis (vt dictum est) per ipsorum filios Nigri ducibus ad res illius prodendas: dein postquam eorum opera abusus est, suáque omnia ex sententia composuerat, ipsis liberisque enecatis. Igitur infidum subdolúmque ingenium res ipsæ declarabant, óbque id maiore se custodia Albinus circũmunierat. Neque enim temere quisquam à Seuero missus ad illum introducebatur, nisi prius deposito militari gladio, sinúque excusso. Postquam igitur à Seuero tabellarij ad eum peruenerunt, redditisque publicè literis habere se dixerunt quædam secretius renuntianda, indulgens suspicionibus Albinus comprehendi ilico iubet. dein seorsum ex-

Ambitiosis (vt Seuero & Albino) non desunt occasiones & via multiplices, sed quæ ad exitium perducunt.

Nefariæ artes Seueri, ab Herediano candidè & liberè proponũtur.

Dolosè agentium præmium illud est, vt nemo eis confidat: immò dum alios tollere de medio conantur sibi

ipsis creant periculum.

plorata re, insidiisque ordine intellectis, vbi noxios supplicio affecit, iam ipse se vt aduersus manifestissimum hostem comparabat. Quibus cognitis, Seuerus homo iracundo ingenio, non iam cælandas sibi inimicitias putauit, sed omni conuocato exercitu, huiuscemodi habuit orationem: *Neque leuitatis me quisque ob anteacta insimulet, neque infidum aut ingratum putet aduersus eum quem pro amico habuerim. Omnia nos quidem præstitimus, etiam in partem principatus, & quidem stabilissimi, recepto: quod ne geminis quidem fratribus facile quisquam indulserit. quod enim vos mihi vni detulistis, id ego cum illo communicaui. Tantis autem beneficiis nostris pessimam videlicet gratiam retulit Albinus, contempta virtute nostra, suæque immemor fidei, ardénsque inexhausta cupiditate id vniuersum periculosè præripiendi cuius particeps esse citra bellum ac dimicationem vllam potuisset. Neque deos reueretur, per quos toties iuratus neque vestris parcit laboribus, quos tanta cum gloria virtutéque pro nobis pertulistis. quippe successuum vestrorum nec ipse fructu carebat, imò autem si fidem seruasset, maior illi portio contigisset. Vt autem si ipse autor malorum sis, iniustus videare: ita si non vlciscare acceptas iniurias, ignauus. Nam quum bellum aduersus Nigrum gessimus, non ita sanè speciosas inimicitiarum causas habebamus vt necessarias. non enim quasi raptorem occupati à nobis principatus oderamus, sed positum eum in medio atque adhuc in disceptatione versantem, pari vterque ambitu ad se trahebat. Verum Albinus despecto fœdere ac iureiurando, quum sit nostro munere adeptus quæ tantùm legitimis liberis tribuuntur, hostis esse mauult nobis quàm familiaris. Vt igitur pridem beneficio affectum, honore gloriáque cohonestauimus, ita nunc perfidiosum atque imbellem ipsius animum coarguamus armis. Neque enim sustinere ille exercitus poterit exiguus atque insularis vires nostras. Nam quum vos propemodum soli alacritate quadã & virtute vestra tã multis præliis peruiceritis, totúmque vobis orientem*

Seueri inuectiua aduersus Albinum, quẽ euertere studet. Habes autem hic irati principis expressam effigiẽ. Et verè dictum est, Nulla fides regni sociis, Omnisque potestas impatiens consortis erit.

Explicatis Albini delictis, Seuerus à facili ostendit hostẽ imbellem & luxuriosum esse à poten-

sub

subegeritis, quis dubitet quin nunc quoque tantarum accessione virium (quippe hîc totus penè Romanus exercitus) facilè profliga: uri paucos sitis, ne sub viro quidem sobrio, nedum sub forti duce militantes? Quis enim luxuriam illius ignorat, vitámque hominis subulcorũ potius gregibus quàm militum legionibus congruentem? Proinde eamus audacter in illũ qua solemus alacritate animi atque virtute, diis freti autoribus ab eodẽ impie peieratis, simul memores excitatorũ sæpe à nobis trophæorum, quæ scilicet ab ipso despecta sunt.

tissimo & inuicto exercitu aggrediẽdum.

6 HAEC loquuto Seuero, cõfestim exercitus vniuersus Albinum hostem declarat: exceptóque faustis acclamationibus ipso, nihil non alacritatis & studij clamoribus ostendentes magis magisque hominem spe addita succenderunt. Qui amplissimò donatiuo milites prosequutus, statim vniuersos cõtra Albinum educit, missis item pariter qui Byzantium expugnarent, clausam adhuc receptis Nigri ducibus. Quæ deinde vrbs fame capta, totáque planè diruta, simul theatro thermisque omnique cultu atque honore detracto, & in vici formam redacta, Perinthiisque in seruitutem adiudicata est, quemadmodum Antiochia quoque Laodicenis. Tum pecuniæ magnam vim curauit ad reficiendas instaurandásque vrbes quas Nigriani milites deuastauerant. Ipse iter faciebat sine intermissione, neque festos dies neque labores vllos magnopere curans, algoris atque æstus iuxtà patiens: sæpe etiam per altissimos montes hyeme sæua, niuibus cælo ingruentibus, ibat aperto capite vt milites ad alacritatem patientiámque laborum re ipsa cohortaretur. Quocirca non metu quodam ac lege, sed æmulatione magis atque exemplo principis ad perferenda omnia incitabantur. Misit etiam qui angustias occuparent Alpium, atque aditus Italiæ obsiderent. Enimuero postquam nuntiatum Albino est nihil cunctari Seuerũ, sed adesse iam, supinus hacte-

Bellatorem Principem confestim audit & sequitur bellicosus exercitus.

Vrbium rebellium conditio.

Celeritas tuta ad victoriã via.

Dux belli exemplo militibus praiens optimè sibi consulit.

nus ac delicias agitās magno tum metu perculsus, statim e Britannia transmittens, in aduerso Galliæ littore castra collocauit:literisque ad vicinarū gentium præsides missis, pecunias commeatúmque exercitibus iuuandis corrogabat. Qui igitur dicto audientes fuerunt, pessime illud in se consuluerunt, nullo non supplicio dein post bellum affecti: qui verò imperium detrectauerunt, quum quidem felicius quam prudentius id egissent, euasere incolumes, euentu ac fortuna rerum vtraque consilia discernentibus. Sed vbi iam in Galliam Seueri copiæ peruenerunt, leues quędam primò pugnæ quasique velitares fuerūt, donec postremò apud Lugdunum magnam vrbem atque opulentam, prælium in manibus fuit. Nam quum se mœnibus tenuisset Albinus, exercitus emisit in pugnam. Vt verò ad manus ventum, diu quidem vtrinque decertatum est æquis viribus, sic vt ambigua victoriæ fortuna penderet: neque enim Britanni vel animi magnitudine vel auiditate cædis, Illyricis concesserint. Ita conflictu primò valentissimorum exercituum neutram in partem acies inclinabat. Atque vt nonnulli prodiderunt eius ætatis autores, qui non ad gratiam sed ad fidem loquuntur, longe potior fuit Albini acies qua in parte Seuerus curabat: sic vt fugerit quoque, & ab equo deciderit, abiectóque paludamento delituerit. Sed insequentibus iam vitulantibúsque Britannis, ceu planè victoribus, apparuisse extemplo Lętum Seueri ducem, cum eo cui præerat recenti adhuc exercitu, & qui extra pugnam fuerat. quippe malè audiit, quasi euentum pugnæ expectauerit, cunctatus de industria retento milite vt sibimet imperium vindicaret: siquidem nō prius in pugnam protulit pedem, quàm vbi Seuerus cecidisse nuntiatus. Quam suspicionem etiam deinde euentus approbauit. Quippe rebus omnibus ex sentētia mox

Molles & luxuriosi inepti ad bellum. Qui horum partes sequuntur, supplicia pro præmiis expectent.

Velitationes inter Seueri & Albini copias.

Integra & atrox pugna.

In qua Seuerus dubiam Martis aleam experitur, Læti ducis perfidia.

Post prœliū morte mulctata.

mox compoſitis,atque in maxima ſecuritate agitãs Seuerus, quum quidem cæteros belli duces magnis affeciſſet præmiis,Lętum ipſum tamen(vt parfuit) memor proditionis, morte mulctauit. ſed iſta quidem poſt fuere. Tunc autem conſpecto (vt diximus) Læto, ſpes addita Seuerianis eſt: ac ſublatus in equum Seuerus, & paludamento purpureo circundatus. At Albiniani iam ſe victores rati,confuſis ordinibus,incitãte ſe in eos de improuiſo valida recentiq; hoſtium manu,quum paulum primo reſtitiſſent; terga demum verterunt. Fuſos igitur fugatóſq; eos perſequuti Seueriani, magna edita ſtrage, ad vrbem ipſam peruenerunt. Occiſorum vtrinque aut captiuorũ numerus,variè prout viſum eius ętatis ſcriptoribus, proditur. Direpta mox incenſáque Lugdunum, & Albino caput abſciſſum perlatúmq; ad Seuerum eſt. Ita duo maxima excita trophæa ad orientem ac ſeptentriones, ſic vt nihil ſit quod cum Seueri pugnis aut victoriis conferas, ſiue copiarum multitudinem, ſiue nationum motus, ſiue numerum pugnarum, ſiue itinerum longitudinem celeritatémque conſideres. Nam Cæſaris quidem res aduerſus Pompeium,Romano vtrinq; milite, magnæ profectò fuerunt,item Auguſti aduerſus Antonium aut Pompeij liberos, & quę antea à Sylla Marióque ciuilibus externiſque pręliis geſta ſunt:ſed qui vnus vir tres Imperatores rerum iam potitos ſuſtulerit, qui vrbanos exercitus, Romam ipſam ac palatium obtinentes,aſtu circumuenerit,quique vnum è principibus in ipſa palatina aula curauerit occidẽdum, alterúmque iterum in oriente rurſus gubernacula rerum tenentem, appellatúmque à Romanis Imperatorem, tertium porrò Cæſaris honore atque autoritate præditum, in poteſtatem redegerit, haud facilè alter inuenietur. Hunc finem vitæ habuit Albinus,breui ſanè lætatus funeſto honore.

Sed tandem victoriam obtinet, Albinianis fuſis fugatis ob nimiam confidẽtiam.

Et Albino ipſo interempto ac capite truncato. Ita funeſto honore Albinus parũ lætatus eſt. Vnde Seuero parta ingens gloria qua cum Cæſaris & Auguſti trophæis contendere poſſit.

Is non modo Seuerus, sed ferus dicendus est, cui sæuitia est voluptati.

7 CAETERVM Seuerus omnem statim iram atque atrocitatem animi suam, in illius necessarios Romæ effudit. ac primo quidem præmisso in vrbem capite Albini abscisso, iussóque publice patibulo præfigi, in ima epistola qua de sua victoria populum edocebat, hoc quoque adscripsit, ideo se caput illud publice in patibulo spectandum misisse, vti exemplum caperent quid item ipsis patiendum foret. Rebus igitur Britanniæ ordinatis, quum totius insulæ administrationem bifariam dispertisset, itémque omni Gallia (quemadmodum quidem sibi videbatur) composita ex sententia, suppliciόque de Albini amicis sumpto, siue quos ei sua quenque voluntas, siue necessitas adiunxerat, bonísque ipsorum publicatis continuò Romam proficiscitur, exercitum secum omnem adducens, quo terribilior videretur. Confectóque magna velocitate itinere, quemadmodum consueuerat, infestus adhuc superstitibus Albini amicis, Romam intrat, occurrente laureato populo, ac magno honore faustísque acclamationibus excipiente, senatúque vniuerso consalutante: tametsi plerosque metus consternauerat, quòd sibi haudquaquam parsurum rebantur immitem suapte natura & sanguinarium, neque sane magna causa indigentem ad inferendas iniurias, cæterùm tunc probabiles odij rationes habiturum. Postea vero quam in templum Iouis ingressus est, omniáque sacrificia de more peregit, reuersus in palatium, magnóque congiario populum Romanum victoriæ nomine prosequutus, ac nummos militibus largitus est, simul alia permulta indulsit, quæ nunquam antea acceperant. Nam & frumenti summam primus adauxit, & aureis anulis vti, & domi habere mulierem permisit: quæ omnia procul a militari disciplina succinctos eos paratósque ad bellum minimè præstitura videbantur. Primúsque ipse duris

Crudelis est qui ex animi atrocitate & ad vindictam procliui, de inimicis exigit pœnas: & ad nocendum potens videri cupit.

Neminem feret, qui seipsum ferre non potest.

Liberalitas dolosa, Seuerus enim populos & milites donis demulcet, vt audacius po

duritiam atque asperitatem victus, tolerantiámque laborum disciplinámque omnem ac ducum reuerentiam subuertit, inhiare pecuniis & munditias colere militibus insuefactis. His ergo optime pro suo iudicio constitutis, curiam deinde ingressus, sedénsque imperatoria sella, accusare inhit truculenta oratione Albini amicos, prolatis etiam quorundam arcanis epistolis, quas apud illum sepositas deprehédisset, quibusdam autem exprobrans quòd eum splendidioribus muneribus affecissent, aliis quòd amici orientalibus, aliis quòd Albino fuerunt notiores. Eóque pacto eximium quenque e senatu, tum vt quisque in prouinciis genere aut opibus excelleret, omnes sine discrimine supplicio afficiebat, vlciscés (vt quidem præ se ferebat) inimicos, sed reuera subigente auaritia, qua supra omnes imperatores laborauit. Nam vt animi patientia atque in laboribus perseuerantia, simul rei militaris gloria, nemini etiam laudatissimo concesserit, ita quæstui supra quàm dici posset addictus, iniustis cædibus atque adeo cuicuimodi ex causa pecuniam colligebat, imperium metu magis quàm beneuolentia retinens. Quãquam popularis esse imprimis volebat, edendis omnifariam magnificétissimis spectaculis, centenis etiam sæpenumero occisis belluis, quas omnibus regionibus nostris barbarísque conquirebat. Sed & congiaria dedit vberrima, & certamen proposuit, vndique accitis lusionibus atque athletis. Vidimus item sub illo quosdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, simúlque supplicationes & peruigilia ad formam Cereris initiorum: seculares hi tunc appellabantur, celebratos (vt aiunt) decursо trium spatio ætatum. Siquidem vrbe tota atque Italia præcones itabant conuocatũ omnes ad ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodo forent: ita scilicet interuallum præteritæ fu-

fiea in Albini amicos feratur.

Causa iracundia, opinio iniuria.

Et ambitionis studium.

Et pecunia nimius amor.

Et crudelis in subditos affectus.

Quos etsi iracundus princeps aliquando clementer excipere velle videatur, tamen perpetuo contemnunt & leui oblata occasione vexat.

turæque celebritatis supra omnem esse hominum ætatem significantes.

Ambitio nō exiguis limitibus includitur: sed noua trophæa indies somniat.

8 IGITVR aliquandiu Romæ moratus, participato filiis imperio, quum se ciuili tantùm victoria, cótráque Romanos exercitus habita, clarum hactenus intelligeret, ex qua etiam triumphum recusauerat, decreuit item barbarorum inclarescere trophæis. Quocirca prætextu vindicandi Barsemij Atrenorum regis, qui Nigri partes fouerat, exercitum in orientem eduxit. iámque in Armeniam facturus impetum, præuentus à rege Armeniorum est, mittente obsides vltrò & munera, ac suppliciter petente vt sibi cum illo inire amicitiam fœdúsque ferire liceret. Quare Seuerus procedentibus ex sententia rebus in Armenia, perrexit ad Atrenos. Sed & rex Osrhoenorum Augarus ad eundem transfugit, traditísque obsidio liberis fidem suam auctorauit, sagittariorúmque vim magnam misit auxilio. Cæterùm Seuerus Mesopotamiam & Adiabenam transgressus, etiam in Arabiam felicem excucurrit. Illic enim herbæ proueniunt odoratæ, quæ nos aromata suffimentáque habemus. Ibi expugnatis vicis vrbibúsque permultis, omnémque agrum depopulatus, in Atrenorum regionem mox ingressus, Atras circunsedit, vrbem scilicet altissimo impositam monti, ac maximis validissimísque obseptam mœnibus, florentémque ingenti sagittariorum copia. Igitur hanc vrbem Seuerianus exercitus quanta maxima vi poterat oppugnabat, machinæque omnifariam mœnibus admouebantur, nullo oppugnationis genere prætermisso. Contra autem Atreni audacter vrbem defensare, sagittásque ac lapides superne iacientes, pessimè accipere Seuerianos, etiámque vasa fictilia volucribus quibusdam venenatísque bestiolis oppleta deuoluere: quæ quum

Potentissimo hosti nō armis sed verbis, muneribus, ac supplicationibus resistendum.

Seueri impetus ab Atrenis fractus.

Periculosa vrbiū natura, arte & milite munitarum oppugnatio.

quum aut oculis inuolitarent, aut in apertas corporis partes sensim obreperent, grauiter singulos consauciabant: incideratque in morbos Romanus miles, æstum illum cæli nimio sole præferuidi, parum ferens, sic vt longe plures ob hos casus quam hostili manu interierint. Proin defatigatis iam & confusis omnibus, procedente secus obsidione, ac plus iacturæ quam lucri Romano faciente, decreuit exercitum Seuerus priusquam vniuersus periret, deportare ex eis locis, tristem videlicet infecto negotio. quippe assuetus vincere præliis omnibus, victum se tunc putabat quia non vicerat. Sed eum prospera fors & fautrix statim consolatur: neque enim plane rebus infectis rediit, sed maiore quam sperauerat successu. Nam impositus nauibus permultis exercitus vniuersus, nequaquam scilicet quò intenderat, Romanæ adpulsus ripæ, sed vndarum impetu Parthorum ad agrum prouectus, haud procul Ctesiphonte, qua in vrbe sedes regis est. Is tunc pacem agitans, ac nihil ad se pertinere Seueri pugnas autumans quas gereret cum Atrenis, otiosus videlicet nihil expectabat mali. Cęterùm Seueri exercitus quum ad eas ripas vi fluminis inuectus, móxque in terram esset expositus, omnem ilicò depopulari agrum cœpit, abactisque, vt in quæque inciderant, pecoribus ad vescendum, vicisque aliquot incensis, paulatim vsque ad Ctesiphontem perrexerunt, qua in ciuitate magnus Artabanus commorabatur. Igitur imparatos nacti barbaros, cæsis primò quicunque restitissent, direptaque mox vrbe, pueris fœminisque in captiuitatem abductis, tantùm ipso rege cum paucis equitibus elapso, thesauris illius ornatúque omni & supellectile potiti victores regrediuntur. Ita Seuerus fortunâ magis quam consilio, Parthicam victoriam adeptus est. Igitur prospere succedentibus rebus, ac meliùs quàm optare fuisset

Nihil ambitioni tristius quàm repulsa & conatuum frustratio.

Aliquoties autem nouis casibus ambitio pascitur, miro quodam iusti iudicis arbitrio, reges & populos incautos per alios opprimente.

ausus, literas ad Senatum populúmque Rom. de se magnificas dedit, ac depictas in tabulis pugnas, victoriásque suas publice exposuit, nihil non honorum decernẽte Senatu, & super his cognomina imponente deuictarum gentium. Ipse interea rebus ad orientem sic gestis Romam reuertebatur, filios iam puberes secum adducens. Confectóque itinere, ac prouinciis, vt cuique vsus foret, ordinatis, Mysorúmque & Pannoniorum recognitis exercitibus, vrbem dein triumphans inuectus est, multis acclamationibus omnique cerimonia populo excipiente. Cui quidem ipse festos dies sacrificiáque & spectacula ac celebritates indulsit, magnóque dato cõgiario, & ludos pro victoria celebrauit.

Victoria, fortuna magis, quàm consilij manu parta.

9 ROMAE deinde haud paucos moratus annos, ius dicebat frequenter ciuilibus negotiis, & liberis erudiendis intentus. At illi iam tum adolescentes deliciis victúque vrbano, nimióque spectaculorum aurigationisque & saltationis studio, bonam indolem corruperant. Intérque se fratres dissidebant, puerili primùm certamine, edendis coturnicum pugnis, gallinaceorúmque conflictibus, & puerorum colluctationibus exorta discordia. Nam seu quid in scena audirent, siue item spectarent, semper vtique diuersis accedebant, nusquam eisdem studente vtroque: sed quod alteri charum foret, id alteri statim odiosum, committentibus etiam vtrinque ipsos adulatoribus atque ministris, nihilque non ad gratiam suggerentibus, vt ad se quisque pro virili diuersos retraherent. His cognitis Seuerus reducere in gratiam, atque emẽdare conabatur. Tum Bassiano, qui tunc honores imperatorios adeptus, Seuerus Antoninus accepto Marci cognomine vocabatur, ac maior natu erat, vxorem dedit (quum per matrimonium reddere eum moderatum vellet) filiam Plautiani, præfecti cohortibus vrbanis. Hic (vt

Seuerus foris quietem, domi turbas & bellum inuenit.

Filiorum Seueri dissidia, initio leuia: sed exiguo fumo, ardentes flamma prodeunt.

(vt perhibent) Plautianus ab initio ætatis tenui fortuna fuit, seditionisque & aliorum criminum reus ac mulctatus exilio: sed erat Seueri municeps, Afer natione, atque (vt quidam putant) etiam consanguinitate propinquus: vt vero alij affirmant, flore magis ætatis per stuprum conciliatus. Hunc autem Seuerus ex parua humilique fortuna ad opes maximas prouexerat: ac damnatorum bonis adiudicatis, longe supra cæteros collocupletauerat, tantumnon imperio quoque participato. Quis ille opibus licentiáque abutens, nihil crudelitatis aut violentiæ, vt quidque ageret, omittebat, cunctis etiam atrocior omnium ætatum principibus. Ergo huius filiam Seuerus vxorem filio suo tradidit, & illam familiam suæ coadunauit. Enimuerò Antoninus ipse parum lætus eo matrimonio, ac necessitate magis quàm voluntate impulsus, puellam ipsam pariter & puellæ parentem pessimè oderat, sic vt ne thorum quidem laremque cum ea communem pateretur: adeóque auersabatur vt minaretur quotidie occisurum ipsam patrémque, simulatq; imperium solus obtinuisset. Quod quum illa identidem ad patrem referret, simúlque quantopere foret inuisa patefecisset, magnopere hominem irritauit. Igitur Plautianus senem iam Seuerum ipsum cernens, ac morbo sæpe laborantem, contrà verò Antoninum ferocem imprimis audacémque iuuenem, pauidus ob illius minas, decreuit facinus inuadere aliquod priusquam ipse opprimeretur. Suberant præterea multa quæ hominem ad imperij cupiditatem inflammarent, opes quantas nemo antea priuatus possederat. militum præterea obedientia, & apud omnes Romanæ ditionis homines maximi honores. adhæc habitus quo in publicum prodibat: siquidem latum clauum perpetuò habebat, atque in secundis consularib. numerabatur. Ensem preterea suspēsum

Tragœdia noua, cuius præcipua pars Plautianus à Seuero corruptus & euectus.

Princeps qui sceleratū nebulonem fouet & euehit, ab illo sibi caueat.

Principum imbecillitas aut ferox audacia perdueles ad crudelia & nefaria consilia impellit.

Superbia au licos nebulones euertit.

gestabat, cæteráque omnia supremæ dignitatis insignia: adeo quacunque incederet, trux atque horribilis, vt non modò non adiretur a quoquam, sed etiam qui fortuitò occurrebant, ab eo verterent oculos. Quin ante ambulones aliquot, quacunque iter faceret, denuntiabant nequis in proximo consistere, névè illum contueri auderet, sed auerterent vniuersi oculos, terrámque despectarēt. Quæ quum cognouisset Seuerus, ne ipse quidem prorsus æqui boni facere, sed molestius iam grauiúsque ferre, sic vt nonnihil etiam de illius autoritate detraheret, ac persuadere homini conaretur, aliquid iam è tanta illa insolentia imminueret. Quorum impatiens Plautianus, non dubitauit imperium ipsum appetere insidiis: quocirca talia quædam machinatur. Saturninus erat quidam tribunus, qui Plautianum imprimis obseruabat: & quum facerent idem omnes, vnus tamen ille maiore quadam venerationis specie, magis magísque homini obrepserat. Hunc sibi igitur fidissimum fore putans, ac solum denique commissa tacitè habiturum & imperata facturum, vocari ad se sub vespetani iubet, remotísque arbitris, *Nunc illud,* inquit, *est tempus, quum summam imponere manum debeas amori obseruantiæque tuæ, cuius mihi hactenus dedisti specimen, quúmque ego remunerare te pro meritis, ac debitam referre gratiam possim: datur optio tibi, velísne ille ipse euadere, quem me nunc esse cernis, atq; huic tantæ potentiæ succedere, an perire statim dato contumacis animi supplicio. Neque tu vel magnitudinem rei pertimueris, vel nomina Imperatorum expaueris. intrare tibi in cubiculum, vbi somnum capiunt, soli nempe licet: redeunte vice nocturnæ custodiæ, clàm nullóque prohibente, facilè quod volueris, transiges. Nihil est autem, quòd hîc meum iam expectes imperium. Abi modò in aulam principū quasi aliqua à me mandata habeas arcana & grauia: atque, vt virum fortem decet, senem vnum ac puerum intra suum vtrun*

Qui nimiam potentiā seruo tribuit, turbas sibi & domesticis accersit.

Tragœdiæ progressus mirandus. Superbiæ cōsilia admodum cæca sunt.

Nihil nō audet crudelis ambitio.

trimque cubiculum obtrunca. Nam quum in partē veneris periculi, etiam re cōfecta, in partē maximi honoris ſuccedes.

10 HAEC dicta vt animum tribuni perterruerunt, ita minimè conſilium excuſſerunt. Sed vt homo neutiquam mente captus (erat enim genere Syrus; ac ſunt fermè ad orientem mortales acerrimis ingeniis) cognito furore ac vecordia eius qui id imperabat, quantúmque ei liceret minime ignarus, haudquaquam auſus detrectare, ne ſcilicet continuò daret pœnas, quum ſe optata ac lubentia ſimularet audire, priùs adorato illo tanquam Imperatore, iam libellū petebat demandatæ ſibi cædis. Quippe mos tyrannis, quum aliquem indemnatum occidi iubent, per literas potiſſimùm iniungere, ne dein cædis imperatæ nullum relinquatur argumentum. Hic Plautianus cæcutiens nimia cupiditate, dat libellum tribuno, atque ad cædem mittens admonet diligenter, vt interfecto vtroq; principe, priuſquam diuulgetur facinus, ſe iubeat acciri, quo ante in palatio cōſpiciatur, quàm occupatum imperium quiſquam audiat. Sub hac pactione tribunus digreditur, ac de more totam liberè domum principis peruadit: cognitóque quàm difficile factu fòret, duos ab vno homine principes, & quidem diuerſis habitantes cubiculis obtruncari, adit ad Seuerum, & cum ianitoribus agit vt ſe ad principem intromittant, afferre ſe quæ ad illius ſalutem pertineant. Illi hæc Seuero renuntiant, qui tribunum continuò iubet acciri. Ingreſſus, *Venio*, inquit, *tibi ô domine, vt ſanè putat is à quo ſum miſſus, ad cædem tui carnificinámque: vt egomet opto ac volo, beneficii autor tibi & ſalutis. Plautianus imperium captans inſidiis, cædem mihi tuam filiíque tui mandauit: neque verbis modò, ſed & literis. teſtimonio eſt hic libellus. Equidem ego recepi facturum quæ imperaret, ne alter ſcilicet me detrectante, negotium ſuſciperet. Verùm ad indicandam rem tibi ſum præſtò, ne ignarum illius oppri-*

Proditorem & perfidum Plautianū tribunus aſtutus nec fidus carnifex prodit.

Nimia cupiditas animū efferum excæcat.

Arcana quadam æternæ prouidentiæ viſū vt Seueri & Antonini filij mors ad aliud tempus differatur; Plautianus autem breui momento iuſtum ſentiat ſupplicium.

Rerũ quas minimè expectamus fides non citò animos nostros occupat

mat audacia. Dicenti hæc tribuno atque vbertim lacrymanti, non continuò tamen fidem Seuerus habebat. quippe adhuc in pectore multum ex Plautiani amatorio insederat: quin esse id totum negotium compositum ac fabulosum suspectabat, ratus filium suum Plautiano infestum, natámque eius perosum, commentum esse technam huiuscemodi ac mortiferam calumniam. Quare accitum ad se, grauiter increpare institit, quod in hominem amicum atque domesticum talia machinaretur. Antoninus autem primò quidem deierabat ignarum se totius negotij: dein instanti tribuno, & libellum ostendenti, animum audaciámque adaebat ad crimē coarguendum. Sed ille cognito quàm magnum in discrimen venerat, tum prӕterea haud ignarus quam acceptus Seuero Plautianus foret, neque non etiam intelligens si latuissent insidiæ parúmque indicium probaretur, exquisitissimum sibi impēdere supplicium, *Et quodnam, inquit, ô domini argumentum amplius, quódue apertius quæritis indicium? Sinite egrediar regia, pérque aliquem fidum mihi hominem significem Plautiano, facta esse iam quæ imperauerat. Aderit ille statim re credita, vacuam scilicet regiam occupaturus. ibi vestri muneris fuerit rem totam deprehēdere. Iubete modò in ædibus quietem agitari, ne præcognita res omne consilium subuertat.*

Antoninus huius sceleris nullo modo particeps & tribunus sua conscientia fretus viam inuenit, qua Plautianum ad lamenã trahit.

Hæc loquutus fidissimum sibi hominem deligit, qui Plautianum suis hortetur verbis, acceleret atque adsit quamprimùm, dum vterque princeps iacet. oportere antequam res populo innotescat, intus esse eum, vt scilicet occupata arce constabilitóque imperio, velint nolint vniuersi, non scilicet principatum adeunti, sed iam plane principi obediant.

Vulpes vulpem decipit. Catastrophe Plautiano exitiosa.

His creditis, Plautianus (erat autem iam diei vesper) magnam in spem sublatus, loricam induit sub vestem tuendi corporis gratia, simul conscenso vehiculo properat in regiam, paucis modò qui aderant

Magna spe pascitur ambitio cæca.

rant deducentibus, ratísque eum magnis de rebus ab Imperatoribus acciri. Vt autem in aulam nullo prohibente ingressus est, ignaris quæ agitarentur custodibus, occurrens tribunus, composito dolo salutat Imperatorem: dein manu prehensum deducit intra cubiculum, vbi proiecta esse Imperatorum cadauera mentiebatur. iámque aliquot è corporis sui custodibus Seuerus comparauerat, qui statim ingresso manus iniicerent. At Plautiánus quum longè alias animo spes agitaret, vt ingressus cubiculũ est, cernens vtrunque illic stantem principem, comprehensúmque se teneri sentiens, re tanta perterritus rogare, supplicare, falsa illa omnia, commentum id in se, fabulámque excogitatam. Igitur exprobrante hinc Seuero beneficia & honores, illinc Plautiano fidei beneuolentiæque suæ veteris testimonia repetente, paulatim labascere Seuerus, atque adduci Plautiani verbis, donec pars loricæ per scissum vestimenti apparuit. Qua Antoninus animaduersa, audax iuuenis & iracundus, ac iam antea homini infestus, *Atqui*, inquit, *ad hæc certè duo quid respondeas expecto. Venisti ad Imperatores sub vesperam minimè accitus: dein quid sibi rogo hæc lorica vult? quis ad cœnam comessationémue armatus accedit?* Simul hæc dicens iubet tribunum, cæterósque qui aderant, ilicò eum strictis gladiis obtruncare vt hostẽ manifestarium. Nihil illi cunctati, iussa faciunt iuuenis Imperatoris, occidúntque hominem, & cadauer in viam publicã proiiciunt, ad vulgi ludibriũ. Hunc finẽ habuit parẽ vitę Plautianus, inexhaustę homo cupiditatis.

Prudẽtia verò admodũ oculata constãter in instituto pergit.

Ambitioni non desunt doli & artes, quibus euadere tẽtat.

Sed frustrà, tũ præcipuè si cum iuuene & iracũdo principe ambitiosis est negotium.

11 CAETERVM Seuerus duobus posthac præfectis militaribus constitutis, plurimum in suburbanis, aut circum maritimas Campaniæ oras agitabat, ius dicens, & ciuilibus negotiis intentus, cupiénsque in primis vti Romæ sui liberi bonis moribus instituerentur. Nam ludis eos, spectaculísque

Qui sanguine principatus suos ædificãt, domos suas sanguine inficiunt. Nec huma-

Ex casu filij Dei iudicium animaduertere valent.

vehementiùs studere animaduerterat, quàm principibus conueniébat: quo fieret vti studio certaminéque semper in diuersum tendente, etiam animi iuuenum distraherentur, quibusdam quasi admotis contentionum atque inimicitiarum facibus. Maxime tamen Antoninus intolerandus, sublato iam è medio Plautiano, terribilisque & formidolosus erat omnibus: tum illius natæ, coniugi scilicet suæ, quibus maximè artibus aut machinis poterat, exitium intendebat. At Seuerus ipsam pariter cum filiolo quem pepererat, relegauit in Siciliam, datis opibus quantæ ad victum atque vsum abunde sufficerent: imitatus in hoc Augustum, qui filios Antonij, postea quam hostis iudicatus est, eodé modo tractauerit. Ipse ad pacem concordiámq; reuocare liberos, & reconciliare vtrunq; alteri conabatur: admonens identidé veterum fabularum, in quibus plerę que regum calamitates fraternis ortæ seditionibus memorantur. Huc addebat thesauros templáque pecuniis plena esse, diuitias foris ex vectigalib. accedere, posse in tanta opulentia militē largitione teneri, auctas in quadruplum copias vrbanas: tãtum sedere exercitum ante vrbem vt nulla externa vis, seu multitudinem ipsam militum, seu corporum magnitudinem, seu pecuniæ abundantiam spectes, par inueniri tantis opibus possit. sed ea in nihilum recasura, ipsis inter se discordantibus atque intestinum agitantibus bellum. Hæc ille quotidie edisserés, precesque castigationibus admiscens, reprimere illorũ spiritus, ac reducere germanos in gratiam studebat. Cæterùm omnia frustra erant. quippe frænos ore depulerant, proni semper in peius, atque illos adolescentes adhuc, in ipso ętatis feruore atque in summa licentia, voluptatum omnium irritamẽtis incitatos, etiam adulatorum ministeria diuersos trahebant: scilicet qui non modò illorum obsequerentur

Nec tuto remedio vtitur Seuerus, qui mulierē innocentē exilio mulctat.

Nec prosciunt opes & exercitus, si intestinis dissidiis imperia turbantur.

Horrendorum tragœdiarũ semina, iuuenum principum præcipuè fratrũ discordiæ & mala educatio.

cupidinibus atque flagitiis, sed noua semper aliqua excogitarent, vnde alteri gratum fieret, alter offenderetur. Quorum etiam nonnullos Seuerus ipse in huiuscemodi ministeriis deprehensos, supplicio affecit. Hanc liberorum suorum vitam & indecora in spectaculis studia ferens grauiter senex Imperator, literas à Britanniæ præfecto accepit, quæ docebant barbaros illic seditiones agitare, regionémque omnem incursionibus ac depopulationibus vastare: quare maiore manu ad resistendum, vel etiam principis ipsius præsentia opus esse. Lætus ea Seuerus accepit: quippe homo suapte natura gloriæ appetentior, post victorias ad orientem septentrionémque, & cognomina vtrinque parta, etiam trophæa contra Britannos excitare aliqua cupiebat. Adhæc filios quoque abducere ex vrbe, vt procul à munditiis vrbanis, in castris militari vitæ ac sobriæ iuuenes insuescerent. Ita expeditionem in Britanniam edicit, senex iam & morbo articulari laborans, tanta autem animi virtute, quanta nemo vnquam vel iuuenum. Igitur iter ingressus lectica plurimùm vehebatur, nullóque cessabat loco. Quare confecto itinere, spéque omni ac sermone celerius enauigato Oceano, Britanniam ingressus est, collectísque militibus ac maximis conflatis viribus bellum comparabat.

Ambitio vult factos occupare, & disponere titulos per omnē orbem.

Non in id quod oportet, sed in id quod appetit intenta est.

12 CAETERVM Britanni repentino principis aduentu perculsi, auditóque tantas contra se comparari copias, legatos ad eum de pace ac seipsos expurgatum de iis quæ antea deliquerant miserunt. At Seuerus moras de industria nectens, ne vacuo sibi Romam redeundum foret, cupidus victoriæ cognominísque Britannici, legatos quidem re infecta domum dimittit, ipse quæ bello vsui forent, magna solertia comparabat. Sed in primis tamen curæ habuit pontibus occupare paludes, vt stare in tuto mi-

Facilius est gentes barbaras, impatientésque alieni arbitrij, regere, quàm animum suum continere & tradere sibi.

lites faciléque per eas discurrere possent, atque in solido præliari. Siquidem Britanniæ pleraque loca frequentibus Oceani alluuionibus paludescunt. Per eas igitur paludes barbari ipsi natant, excursántque ad illa vsque demersi, ac pleraque corporis nudi cœnum contemnunt. Neque enim vestis vsum cognorunt, sed ventrem atque ceruicem ferro incingunt: ornamentum id esse, ac diuitiarum argumentum existimantes, perinde vt aurum cæteri barbari. Quin ipsa notant corpora pictura varia, & omnifariam formis animalium: quocirca ne induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant. Sunt autem bellicosissima gens, atque auidissima cædis, tantùm scuto angusto lanceáque contenti, præterea gladio nudis corporibus dependente: loricæ ac galeæ penitus ignorant vsum, impedimentum id esse transgrediendis paludibus arbitrantes, quarum vaporibus æstúque cælum ibi semper caliginosum. Ad hæc Seuerus nihil non comparabat, quod vsui Romano militi, quod detrimento barbaris impedimentóque foret. Vbi vero satis ex sententia prompta sibi esse ac parata omnia intellexit, iuniorem filium, Getam nomine, in parte insulæ Romanis subiecta reliquit, vt iuri dicundo rebúsque ciuilibus administrandis præesset, eique consiliarios ex amicis natu grandibus reliquit, Antonino secum aduersus barbaros educto. Transgresso igitur Romano exercitu amnes aggerésque eos qui obiecti barbaris Romanorum fines distermi-nant, pugnæ quædam tumultuariæ fiebant & excursiones, victore vbique Romano. Cæterùm facilis erat ex fuga receptus barbaris, quippe inter syluas ac paludes & loca ipsis notissima delitescentibus. Quæ omnia Romanis aduersa, moram bello addebant. Interea Seuerum iam confectum senio, longior inuasit morbus, sic vt ipse domi residere atque

Populi ferro non auro superbientes clementia non vi domamur.

Britannorũ elogium.

Seueri prudentia æmulationem à filiis longè fugans, in ea fallitur quod Antoninum bellicis negotiis propius applicat, unde Seueri & Getæ tãdem excidium.

Anton

Antoninum mittere in bellum ad Imperatoris obeunda munia cogeretur. Cæterùm Antoninus haud magnopere de barbaris folicitus, exercitum fibi adiungere & confirmare vniuerfos tendebat vti fe vnum intuerentur; foli fibi imperium vindicans, ac germano identidem obtrectans. Quin longior quoque patris valetudo, ac mortis mora diuturnior, anxium videlicet adolefcentem habebant: fic vt medicis miniftrífque fubinde conaretur perfuadere, fenem vt è medio quamprimum quoquo modo tollerent: donec tandem Seuerus mœrore magis quàm morbo confumptus, vitáque defunctus eft, clariffimus omnium Imperatorum bellicis operibus. Neque enim aut ciuiles quifquam aduerfus inimicos, aut externas aduerfus barbaros totidem alius victorias reportauit. Annifque duodeuiginti gefto imperio deceffit, fucceffloribus liberis iuuenibus, tanta pecuniæ relicta illis copia, quantam antea nemo, tum ampliore exercitu quam cui obfiftere vlla vis poffet. Igitur Antoninus mortuo Seuero, fummam poteftatem nactus, confeftim vniuerfos ab ipfo (quod aiunt) lare interficere cœpit. Nam & medicos fupplicio affecit, quòd fibi parum obtemperauerant, iubenti maleficium aliquod admittere & fenis maturare necem: nutritiófque fuos iuxta & fratris, quòd de reconciliandis egiffent, ne vno quidem reliquo fuæ crudelitati facto ex eo ordine hominum qui in honore aliquo fuerant, quiqué ipfius parentem obferuauerant. Duces porrò exercitus magnis muneribus ac promiffis adhortabatur, perfuaderent militibus, vti fe vnum Imperatorem declararent: nullásq; non machinas aduerfus germanum intendebat. Neque id tamen perfuadere militibus potuit: quippe memores, vtrunque à Seuero iam inde à pueritia pari honore cultúq; educatum, etiam ipfi parem vtrique obedientiam beneuolen-

Antoninus enim soli sibi imperium vindicat.

Et Seuerus mœrore consumptus principatū atque domū ad funestos casus vergentem relinquit.

Eo etenim vix exstincto Antoninus laniená admodum cruentam inchoat.

Et armis se tueri atque parricidio nouo sese polluere cogitat.

tiámque exhibebant. Igitur Antoninus cognito parum sibi rem aduersus exercitum procedere, icto cum barbaris fœdere, datáque pace & obsidibus acceptis, decedens illinc, ad matrem iam germanúmq; festinat. Congressos reducere in gratiam mater conata est, adnitentibus honestissimis quibúsq; Seueri amicis & cōsiliariis. Igitur Antoninus quum nemo scilicet non eius libidini suffragaretur, vi potius quàm voluntate, ad concordiæ amorisq; simulationem adducitur. Ita ambo pari honore imperium gerentes, soluerunt ex Britannia, Romamque cum patris reliquiis cōtendebant. Nam corpusculo ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus in vasculum alabastri coniectum, Romam referebant, vt videlicet in sacris principum monumentis componeretur. Ipsi exercitum deportantes, victoresq; iam Britanniæ scilicet, in aduersam Galliam emenso Oceano peruenerunt. Quo igitur pacto & diem suum obierit Seuerus, & liberi eius imperium susceperint, in hoc volumine demonstratum est.

Quod nefandũ consilium ad tempus prohibitum maiore cum violentia paulò post erupit.

ÆLII SPARTIANI
Seuerus.

BREVIARIVM.

1 *Seueri stemmata, pueritia, eruditio, varia futuri principatus omina, functiones publicæ, vxores & filii natu maioris præsagium.*

2 *Imperator à Germanicis legionibus appellatus, legatos à senatu corrumpit, Iuliano occiso Romam proficiscitur, Albinum & Pescennium euertere cogitat, prætorianos milites coercet, armata manu suam dignitatem tuetur, & Pertina-*

cis

tis memoria consecrata tollit Iuliani amicos.

3 Bella Seueri aduersus Pescennium Nigrum et Clodium Albinum, qui cum amicis & asseclis interfecti sunt.

4 Seuerianæ crudelitatis exempla. Quomodo erga Bassianum Antoninum filium, Plautianum amicum, & sororem Leptitanam fuerit affectus.

5 Bellum Parthicum. Bassianus & Geta Cæsares appellati. Quid in ea profectione gesserit memoratu dignum: & cur Britannici cognomen sit adeptus.

6 Seueri virtutes, vitia, egregium facinus paulò ante obitum, mors, funus, opera publica, vita priuata, fama superstes.

7 Vana eiusdem spes de filiis, & super ea re iudicium Spartiani. Admonitionem Sallustianam de fraterna concordia mittit ad Bassianum filium.

8 Signa mortis Seueri. Liberalitas erga ciuitates, præcipuè Italicas. Nouissima verba. Reliquiis delatus honos.

1 *Seuerus Leptitanus.*

INTERFECTO Didio Iuliano, Seuerus Africa oriundus Imperium obtinuit: cui ciuitas Leptis, pater Geta: maiores, equites Romani ad ciuitatem omnibus datam: mater, Fuluia Pia: patrui, M. Agrippa & Seuerus consulares: auus maternus, Macer: paternus, Fuluius Pius fuere. Ipse natus est Erucio Caro bis & Seuero cunsulibus, VI. Idus Apriles. In prima pueritia, priusquam Latinis Græcisque literis imbueretur, quibus eruditissimus fuit, nullum alium inter pueros ludum nisi ad iudices exercuit: quum ipse prælatis fascibus ac securibus ordine puerorum circunstante sederet ac iudicaret. Octauo decimo anno publicè declamauit. Postea studiorum causa Romam venit, latum clauum à diuo Marco petiit, & accepit, fauente sibi Septimio Seuero, affine suo, bis iam consulari. Quum Romam ve-

Generosam indolem prodfert à pueritia, & in vere (vt aiunt) Autumnum

nisset hospitem nactus qui Adriani vitam imperatoriam eadem hora legeret, sibi omen futuræ felicitatis arripuit. Habuit etiam aliud omen imperij. Quum rogatus ad cœnam imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam præsidiariam ipsius Imperatoris accepit. Eadem nocte somniauit lupæ se vberibus vt Remum inhærere vel Romulum. Sedit & in sella Imperatoria temere à ministro posita, ignarus quòd non liceret. Dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit, & sine noxa expergefactis & acclamantibus familiaribus, abiit. Iuuentam plenam furorum, nonnunquam & criminum habuit. Adulterij causam dixit, absolutúsque est à Iuliano proconsule, cui & in proconsulatu successit, & in consulatu collega fuit, & in imperio item successit. Quæsturam diligenter egit: omnibus sortibus natus, militari post quæsturam sorte Beticam accepit: atque inde Africam petiit, vt mortuo patre rem domesticam componeret. Sed dum in Africa est, pro Betica Sardinia ei attributa est quòd Beticam Mauri populabantur. Acta igitur quæstura Sardiniensi, legationem proconsulis Africæ accepit. In qua legatione quum eum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, vt antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, fustibus eum sub elogio eiusdem præconis cecidit, *Legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli*. Ex quo factum est vt in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant. Tunc in quadam ciuitate Africana quum solicitus mathematicum consuluisset, positáque hora, ingentia vidisset astrologus, dixit ei, *Tuam non alienam pone genituram*. Quum Seuerus iurasset suam esse, omnia ei dixit quæ postea facta sunt. Tribunatum plebis Marco imperatore decernente promeruit, eúmque seuerissimè exercitatissiméque egit. Vxorem tunc

Varia futuræ felicitatis omina.

Ita mundi rector rerũ fata disponit, & quidem sapientissimè.

Seueri quæstura.

Præfectura Betica.

Sardiniensis

Legatio proconsularis.

Ab astrologo futura intelligit.

Tribunus plebis creatur.

Mart

Martiam duxit, de qua tacuit in historia vitæ priuatæ: cui postea in imperio statuas collocauit. Prætor designatus a Marco est non in candida sed in competitorum grege, anno ætatis XXXII. Tunc ad Hispaniam missus somniauit primò sibi dici vt templum Taraconense Augusti, quod iam labebatur, restitueret. deinde ex altissimi montis vertice, orbem terrarum Romámque despexit, concinentibus prouinciis lyra, voce, vel tibia. Ludos absens edidit. Legioni IIII Scythicæ deinde præpositus est circa Massiliam. Post hoc Athenas petiit studiorum sacrorúmque causa & operum ac vetustatum: vbi quum iniurias quasdam ab Atheniensibus pertulisset, inimicus his factus, minuendo eorum priuilegia iam imperator se vltus est. Deinde Lugdunensem prouinciam legatus accepit. Quum amissa vxore aliam vellet ducere, genituras sponsarum requirebat, ipse quoque matheseos peritissimus: & quum audisset esse in Syria quandam quæ id genituræ haberet vt regi iungeretur, eandem vxorem petiit, Iuliam scilicet: & accepit interuentu amicorum: ex qua statim pater factus est. A Gallis ob seueritatem & honorificentiam & abstinentiam, tantum quantum nemo dilectus est. Deinde Pannonias proconsulari imperio rexit. Post hoc Siciliam proconsularem sorte meruit, suscepitque Romæ alterum filium. In Sicilia, quasi de imperio vel vates vel Chaldæos consuluisset, reus factus, apud præfectos prætorio, quibus audiendus datus fuerat, iam Commodo in odium veniente absolutus est, calumniatore in crucem acto. Cõsulatum cum Apuleio Ruffino primum egit, Commodo se inter plurimos designante. Post consulatum anno ferme fuit otiosus, deinde Læto suffragante, exercitui Germanico præponitur. Proficiscens ad Germanicos exercitus, hortos spatiosos comparauit, quum antea ædes

Prætor designatur.

Eius somnium.

Præficitur legioni.

Deinde Lugdunensi prouinciæ.

Vxorem alteram petit ex Syria.

A Gallis dilectus.

Periculo maximo ereptus.

Consul creatus.

Exercitus Germanici præfectus.

breuissimas Romæ habuisset, & vnum fundum. In his hortis quum humi iacens epularetur cum filiis parca cœna, pomáque apposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, cum collusoribus pueralis manu largiore diuideret, patérque illum reprehendens dixisset, *Parcius diuide: non enim regias opes possides*: quinquennis puer respondit, *Sed possidebo.* In Germaniam profectus, ita se in ea legatione egit vt famam nobilitatémque iam ante cumularet. Et hactenus militarem priuatus egit.

Nouo filij præsagio de futura dignitate certior factus.

5.

2 DEHINC à Germanicis legionibus vbi auditum est Commodum occisum, Iulianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus repugnans Imperator est appellatus apud Carnuntum idibus Augustis: qui etiam sestertia, quod nemo vnquam principum, militibus dedit. Deinde firmatis quas post tergum relinquebat prouinciis, Romam iter contendit cedentibus sibi cunctis quacunque iter fecit, quum iam Illyriciani exercitus & Gallicani cogentibus ducibus in eius verba iurassent. excipiebatur enim ab omnibus quasi vltor Pertinacis. Per idem tempus autore Iuliano Septimius Seuerus à senatu hostis est appellatus, legatis ad exercitum senatus verbis missis qui iuberét vt ab eo milites senatu præcipiente discederent. Et Seuerus quidem quum audisset senatus consentientis autoritate missos legatos, primò pertimuit: postea id egit, corruptis legatis, vt apud exercitum pro se loquerentur, transiréntque in eius partes. His compertis Iulianus senatúsconsultum fecit fieri de participando imperio cum Seuero. Incertum verè id an dolo fecerit, quum iam antè misisset notos ducum interfectores quosdam qui Seuerum occiderent, ita vt ad Pescennium Nigrum interficiendum miserat: qui & ipse imperium contra eum susceperat, autoribus Syriacis exercitibus.

Cōmodo occiso, & Iuliano cunctis inuiso, Seuerus Imperator appellatur.

In quem frustra Iulianus conspirat: prudentia enim, & celeri magnanimitate (quâ Deus iuuat) Seuerus omnia obstacula, superat.

Verùm

Verùm Seuerus euitatis eorum manibus quos ad se interficiendum Iulianus miserat, missis ad prætorianos literis, signum vel deferendi vel occidendi Iuliani dedit: statimque auditus est. Nam & Iulianus occisus est in palatio, & Seuerus Romam inuitatus: quod nulli vnquam contigit. nutu tantùm Seuerus victor est factus, armatúsque Romam cōtendit. Occiso Iuliano quum Seuerus in castris & tentoriis, quasi per hosticum veniens, adhuc maneret, centum senatores legatos ad eum senatus misit ad gratulandum rogandúmque: qui ei occurrerunt Interamne, armatúmque circunstantibus armatis salutarunt, excussi ne quid ferri haberent. Et postera die occurrente omni famulitio aulico, septuagenos vicenos aureos legatis dedit: eosdem præmisit, facta potestate si qui vellent remanere, ac secum Romam redire. Fecit etiam statim præfectum præt. Flauium Iuuenalem: quem etiam Iulianus tertium præfect. præt. sibi assumpserat. Interim Romæ ingens trepidatio militum ciuiúmque, quòd armatus contra eos Seuerus veniret, qui se hostem iudicassent. His accessit quòd comperit Pescennium Nigrum à Syriacis legionibus Imperatorem appellatum: cuius edicta & literas ad populum vel senatum intercepit per eos qui missi fuerant, ne vel proponerentur populo vel legerentur in curia. Eodem tempore etiam de Clodio Albino sibi substituendo cogitauit, cui Cæsarianum decretum aut Commodianum videbatur imperium. Sed eos ipsos pertimescens de quibus rectè iudicabat, Heraclitum ad obtinendas Britannias, Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit. Quum Romam Seuerus venisset, prætorianos cum subarmalibus inermes sibi iussit occurrere, eosdem sic ad tribunal vocauit, armatis vndique circundatis. Ingressus deinde Romam, armatus cum armatis mili-

Et carnifi- cum manibus euitatis Iulianum occidit.

Atque solenni legatione militariter excepta, ad Imperium capessendum inuitatur.

Romanis formidabilem se præbet.

Aemulos Pescennium & Albinū euertere cogitat.

Prætorianos milites coercet.

Cum exercitu Romã occupat.

tibus capitolium ascendit. Inde palatium eodem habitu perrexit, prælatis signis quæ prętorianis ademerat, supinis, non erectis. Tota deinde vrbe milites in templis, in porticibus, in ædibus palatinis, quasi in stabulis manserunt: fuitque ingressus Seueri odiosus atque terribilis, quum milites inempta diriperent, vastationem vrbi minantes. Alia die armatis stipatus non solùm militibus sed etiam amicis, in senatum venit. In curia reddidit rationẽ suscepti imperij: causatúsque est quòd ad se occidendum Iulianus notos ducum cædibus misisset. Fieri etiam senatusconsultum coegit, ne liceret Imperatori inconsulto senatu occidere senatorem. Sed quum in senatu esset, milites per seditionem dena millia poposcerunt a senatu, exemplo eorum qui Augustum Octauium Romam deduxerant, tantúmque acceperant. Et quum eos voluisset comprimere Seuerus, nec potuisset, tamen mitigatos addita liberalitate dimisit. Funus deinde censorium Pertinacis imagini duxit, eúmque inter diuos sacrauit, addito flamine & sodalibus Heluianis, qui Marciani fuerant. se quoque Pertinacem vocari iussit: quanuis postea id nomen aboleri voluerit, querimonia amicorum. Dehinc æs alienum dissoluit. Filias suas dotatas, maritis Probo & Aetio dedit. Et quum probo genero suo præfecturam vrbis obtulisset, ille recusauit, dixitque, *minus sibi videri præfectum esse quàm principis generum.* Vtrunque autem generum statim consulem fecit, vtrunque ditauit. Alia die ad senatum venit, & amicos Iuliani incusatos, proscriptioni ac neci dedit. Causas plurimas audiuit. Accusatos à prouincialibus iudices, probatis rebus grauiter puniuit. Rei frumentariæ quam minimam repererat, ita consuluit vt excedens ipse vita, septem annorum canonem P.R. relinqueret.

Suscepti armata manu imperij reddit rationẽ.

Pertinacis memoriam consecrat.

Filias suas dotatas collocat.

Amicos Iuliani tollit è medio, & Rempub. curat.

AD

3. Ad orientis statum confirmandum profectus est, nihil adhuc de Nigro palam dicens. Ad Africam tamen legiones misit, ne per Lybiam & Aegyptum Niger Africam occuparet, ac P.R. penuria rei frumentariç perurgeret. Domitium Dextrum in locum Bassi præfecti vrbi reliquit, atque intra triginta dies quam Romam venerat, est profectus. Egressus ab vrbe ad saxa rubra, seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum ab exercitu passus est. Occurrit ei & statim Geta frater suus, quem prouinciam sibi creditam regere præcepit aliud sperantem. Nigri liberos ad se adductos in eo habuit honore quo suos. Miserat sanè legionem quæ Græciam Thraciámque præriperet, ne eas Pescennius occuparet: sed iam Byzantium Niger tenebat. Perinthum etiam Niger volens occupare, plurimos de exercitu interfecit: atque ideo hostis cum Aemiliano est appellatus. Quúmque Seuerum ad participatum vocaret, contemptus est. Promisit sanè Nigro tutum exilium, si vellet: Aemiliano autem non ignouit. Aemilianus dehinc victus in Hellesponto à Seueri ducibus, Cyzicum primùm confugit, atque inde in aliam ciuitatem: in qua eorum iussu occisus est. Fusæ sunt item copiæ ab iisdem ducibus etiam Nigri. His auditis, ad Senatum Seuerus Pertinax, quasi confectis rebus, literas misit, deinde conflixit cum Nigro, eúmque apud Cyzicum interemit, capútque eius pilo circuntulit. Filios Nigri post hoc, quos suorum liberorum cultu habuerat, in exilium cum matre misit. Literas ad senatum de victoria dedit. Neque quenquam senatorum qui Nigri partium fuerant, præter vnum, supplicio affecit. Antiochensibus iratior fuit, quòd & administrantem se in oriente riserant, & Nigrum etiam victu iuuerant. denique multa his ademit. Neapolitanis etiam Pa-

Rebus domi constitutis aduersus potentiorem hostem proficiscitur, seditione inter suos exorta & extincta.

Seueri prudentia, vt compesceret Pesc. Nigrum, quem paulò post hostem declarat.

Eius duces primũ, dein de ipsummet Nigrum fugat & interimit.

Nigri vxorem & liberos mittit in exilium, Senatus habet rationem, Antioche-

nos & Neapolitanos mulctat, ac in belli duces animaduertit. Hostes præcipui tollendi: beneficiis & clementia primariæ authoritatis viri retinendi sunt. In bello ciuili nulla victoria, nullus triũphus.

læstinensibus ius ciuitatis tulit, quòd pro Nigro diu in armis fuerant. In multos animaduertit, præter ordinem senatorium, qui Nigrum fuerant sequuti. Multas etiam ciuitates eiusdem partis iniuriis affecit & damnis. Eos senatores occidit qui cum Nigro militauerant ducum vel tribunorum nomine deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in ditionem redactis, necnon etiam Adiabenis: qui quidem omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reuersus triumpho delato, appellatus est Arabicus, Adiabenicus, Parthicus. Sed triumphũ respuit, ne videretur de ciuili triumphare victoria. recusauit & Parthicum nomen, ne Parthos lacesseret. Redeunti sane Romam post bellum ciuile Nigri, aliud bellum ciuile Clodij Albini nuntiatum est, qui rebellauit in Gallia: quare postea occisi sunt filij Nigri cum matre. Albinum igitur statim hostem iudicauit, & eos qui ad illum mollius vel scripserunt vel rescripserunt. Et quum iret contra Albinum, in itinere apud Viminatium filium suum maiorem Bassianum, apposito Aurelij Antonini nomine, Cæsarem appellauit, vt fratrem suum Getam ab spe imperij quam ille conceperat, submoueret. Et nomen quidem Antonini idcirco filio apposuit, quòd somniauerat, Antoninum sibi successurum. Vnde Getam etiam quidam Antoninum putant dictum vt & ipse succederet in imperio. Aliqui putant idcirco illum Antoninum appellatum, quòd Seuerus ipse in Marci familiam transire voluerit. Et primò quidem ab Albinianis Seueri duces victi sunt. Tunc solicitus quum consuleret à Pannoniacis auguribus, comperit se victorem futurum, aduersarium verò nec in potestatem venturum, nec euasurum, sed iuxta aquam esse periturum. Multi statim amici Albinum deserentes venêre, multi duces capti sunt, in quos

Bellum adu. Clodiũ Albinum, vt tolleret Seuerus omnes belli ciuilis reliquias.

Mars dubius, præcipuè in ciuili bello. Seuerus autem ethnico more futura scrutatus

quos Seuerus animaduertit. Multis interim variè gestis in Gallia, primò apud Tinurtium contra Albinum feliciſſime pugnauit Seuerus. Quum quidem ingens periculum equi caſu adiit, ita vt mortuus ictu plumbeæ crederetur, ita vt alius iam penè Imperator ab exercitu deligeretur. Eo tempore lectis actis quæ de Clodio Celſino laudando qui Adrumetinus & affinis Albini erat, facta ſunt, iratus ſenatui Seuerus quaſi hoc Albino ſenatus præſtitiſſet. Commodum inter diuos referendum eſſe cenſuit, quaſi hoc genere ſe de ſenatu poſſet vlciſci: primúſque inter milites diuum Commodum pronuntiauit, ídque ad ſenatum ſcripſit addita oratione victoriæ. Senatorum deinde qui in bello erant interempti, cadauera diſſipari iuſſit. Deinde Albini corpore allato, penè ſeminecis caput abſcindi iuſſit, Romámque deferri idque literis proſequutus eſt. Victus eſt Albinus die XI. Calendas Martij. Reliquum autem cadauer eius ante domum propriam exponi ac diuidi iuſſit. Equum præterea ipſe reſidens ſupra cadauer Albini egit, expaueſcentémque admonuit vt effrenatus audacter protereret. Addunt alij quod idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, ſimul etiam vxoris liberorúmque eius. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes ciuitatis, multæ fœminæ illuſtres fuerunt, omnium bona publicata ſunt, ærariúmque auxerunt: tum Hiſpanorum & Gallorum proceres multi occiſi ſunt. Denique militibus tantum ſtipendiorum quantum nemo principum, dedit. Filiis etiam ſuis ex hac proſcriptione tantum reliquit quantum nullus Imperatorum, quum magnam partem auri per Gallias, per Hiſpanias, per Italiam Imperator iam feciſſet: túncque primùm priuatarum rerum procuratio conſtituta eſt. Multi ſanè

fertur audacter in hostem.

Et Senatum, qui ad Albini partes inclinare videbatur, censura sua compescit, vt imperatoriam dignitatem conseruaret: ac in Albinum sæuit, vt aliis incuteret metum.

Immanitas Seueri, viro principe prorsus indigna. At ira furor breuis est, quæ in victoria fit longissima & immedicabilis mania. Accedit huic furori auaritia atque innumerorũ virorum &

quidem illustrium cædes.

post Albinum, fidem ei seruantes, bello à Seuero superati sunt. Eodem tempore etiam legio Arabica defecisse ad Albinum nuntiata est.

Apertissime furit is qui palam impium (qualis fuit Commodus) deũ appellat.

4 VLTVS igitur grauiter Albinianam defectionem interfectis plurimis, genere quoque eius extincto, iratus populo & senatoribus Romam venit. Commodum in senatu & concione laudauit, deum appellauit, infamibus displicuisse dixit: vt appareret eum apertissime furere. Post hoc de sua clementia disseruit, quum crudelissimus fuerit, & senatores infrà scriptos occiderit. 13. Occidit autem sine causæ dictione hos nobiles, Mummium Secundinum, Asellium Claudianum, Claudium Rufum, Vitalium Victorem, Papium Faustum, Aelium Celsum, Iulium Rufum, Lollium Professum, Aruuculeium Cornelianum, Antoninum Balbum, Posthumium Seuerum, Sergium Lustralem, Fabium Paulinum, Nonium Gracchum, Mustium Fabianum, Casperium Agrippinum, Ceionium Albinum, Claudium Sulpicianum, Memmium Rufinum, Casperium Aemilianum, Cocceium Verum, Erutium Clarum, L. Stilonem, Clodium Rufum, Egnatuleium Honoratum, Petronium Iuniorem: Pescennios, Festum & Neratianum & Aurelianum, & Materianum & Iulianum, & Albinum: Cerellios, Macrinum & Faustinianum & Iulianum: Herennium Nepotem, Sulpitium Canum, Valerium Catulinum, Nouium Rufum, Claudium Arabianum, Marcum Asellionem. Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum (nam multi in his consulares, multi prætorij, omnes certè summi viri fuere) interfector, ab Afris vt deus habetur. 14 Cincium Seuerum calumniatus est quòd se veneno appetisset, atque ita interfecit. Narcissum deinde Commodi strangulatorem leonibus obiecit. Multos præterea obscuri loci homines interemit,

Et qui de sua clementia differens postea viros dignitate & eruditione præstantes interficit.

Deinde qui in quoscunque & quoties libet crudelis...

præt

præter eos quos ius prælij absumpsit. Post hæc quum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus à priuatis ad fiscum traduxit. Cæsarem deinde Bassianum Antoninum à senatu appellari iussit, decretis imperatoriis insignibus. Rumore deinde belli Parthici extincto, patri, matri, auo, & vxori priori per se statuas collocauit. Plautianum ex amicissimo, cognita eius vita, ita odio habuit vt & hostem publicum appellaret, & depositis statuis eius per orbem terræ graui eum insigniret iniuria, iratus præcipuè quòd inter propinquorum & affinium Seueri simulachra suam statuam ille posuisset. Palæstinis pœnam remisit quam ob causam Nigri meruerāt. Postea iterum cum Plautiano in gratiam rediit, & veluti ouans vrbem ingressus, capitolium petiit: quanuis & ipsum procedenti tempore occiderit. Getæ minori filio togam virilem dedit, maiori Plautiani filiam vxorem iunxit. Hi qui hostem publicum Plautianum dixerant, deportati sunt. *Ita omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est.* Filios deinde consules designauit. Getam fratrem extulit. Profectus dehinc ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere, & congiario populo dato. Multos inter hæc causis vel veris vel simulatis occidit. Damnabantur autem plerique cur iocati essent, alij cur tacuissent, alij cur pleraque figurata dixissent, vt esset *Imperator verè nominis sui, verè Pertinax, verè Seuerus.* Erat sanè in sermone vulgari, Parthicum bellum affectare Septimium Seuerum, gloriæ cupiditate non aliqua necessitate deductum. Traiecto denique exercitu à Brundusio continuato itinere venit in Syriam, Parthósque submouit. Sed postea in Syriam rediit, ita vt se pararet ac bellum Parthis inferret. Inter hæc Pescennianas reliquias Plautiano autore persequebatur, ita vt

mam exercet vindictam.

Plautianus Seuero percharus, ac exosus, dein de reconciliatus, tandem occisus, vicissitudinis rerum aulicarum exemplum.

Principum iracundia solers est ad fingendas causas furoris.

Ambitione nulla necessitas sed infelicitas quædam sollicitat ac ducit.

nonnullos etiam ex amicis suis quasi vitæ suæ insidiatores appeteret. Multos etiam, quasi Chaldæos aut vates de sua salute consuluissent, interemit: præcipuè suspectos vnumquenque idoneum imperio quum ipse paruulos adhuc filios haberet, idque dici ab his vel crederet vel audiret qui sibi augurabantur imperium. Denique quum occisi essent nonnulli, Seuerus se excusabat: & post eorum mortem negabat fieri se iussisse quod factum est: quod de Læto præcipue Marius Maximus dicit. Quum soror sua Leptitana ad eum venisset vix Latinè loquens, ac de illa multùm Imperator erubesceret, dato filio eius lato clauo, atque ipsi multis muneribus, redire mulierem in patriam præcepit: & quidem cum filio, qui breui vita defunctus est.

Sæuitia principum nullos nouit terminos.

Et simulatione gaudet.

Seuerũ prioris suæ fortunæ pudet, pudẽdo modo.

5 AESTATE igitur iam exeunte, Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso rege peruenit, & cepit hyemali prope tempore, (quod in illis regionibus melius per hyemem bella tractantur) quum herbarum radicibus milites viuerent, atque inde morbos ægritudinésque contraherent: quare quum obsistentibus Parthis fluente quoquè per insuetudinem cibi aluo militum, lógiùs ire non posset, tamen perstitit, & oppidum cepit, & regem fugauit, & plurimos interemit, & Parthicum nomen meruit. Ob hoc etiam filium eius Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus iam fuerat, annum decimumtertium agentem, participem imperij dixerunt milites. Getam quoque minorem filium Cæsarem dixerunt: eundem Antoninum, vt plerique in literas tradunt, appellantes. Harum appellationum causa donatiuum militibus largissimum dedit, concessa omni præda oppidi Parthici, quod milites quærebant. Inde in Syriam rediit victor, & Parthicum deferentibus sibi patribus triumphum, idcirco recusauit quòd consistere in curru affectus articulari morbo

Nihil est cupiditati gloriæ inuisum & inuium.

Difficilia bella, plurimorum cædes.

Filij Seueri Cæsares appellãtur. Ex dignitate indignatio, simultates & tãdem parricidia.

morbo non poſſet: filio ſanè conceſſit vt triumpharet. cui ſenatus Iudaicum triumphum decreuerat, idcirco quòd & in Syria res bene geſtæ fuerant a Seuero. Deinde quum Antiochiam tranſiſſet, data virili toga filio maiori, ſecum eum conſulem deſignauit, & ſtatim in Syria conſulatum inierunt. Poſt hoc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. In itinere Palęſtinis plurima iura fundauit. Iudæos fieri ſub graui pœna vetuit. Idem etiam de Chriſtianis ſanxit. Deinde Alexandrinis ius buleutarum dedit, qui ſine publico conſilio, ita vt ſub regibus, antè viuebant vno iudice contenti quem Cæſar dediſſet. Multa præterea his iura mutauit. Iucundam ſibi peregrinationem hanc propter religionem dei Serapidis, & propter nouitatem animalium vel locorum fuiſſe, Seuerus ipſe poſtea ſemper oſtendit. Nam & Memphin & Memnonem, & pyramides, & labyrinthum, diligenter inſpexit. Et quoniam longum eſt minora perſequi, huius magnifica illa, Quòd victo & occiſo Iuliano, prætorianas cohortes exauctorauit: Pertinacem contra voluntatem militum in deos retulit: Saluij Iuliani decreta iuſſit aboleri: quod non obtinuit. Denique cognomentum Pertinacis non tam ex ſua voluntate quàm ex morum parſimonia videtur habuiſſe. Nam & infinita multorum cæde crudelior habitus, & quum quidam ex hoſtibus eidem ſe ſupplicitèr obtuliſſet, dixiſſetque ille quid facturus eſſet, non mollitus tam prudente dicto interfici eum iuſſit. Fuit præterea delendarum cupidus factionum: propè à nullo congreſſu niſi victor. Perſarum regem Abagarum ſubegit. Arabas in deditionem accepit. Adiabenos in tributarios coegit. Britanniam (quod maximum eius imperij decus eſt) muro per tranſuerſam inſulam ducto, vtrinque ad finem oceani muniuit: vnde

Acta Seueri in expeditione Parthica. Chriſtianis minatur ſed maximo ſuo malo vt Eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur.

Seueri elogia.

Cognomentum.

Crudelitas.

Felicitas in bello.

Maximum decus imperij.

etiam Britannici nomen accepit. Tripolin, vnde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit: ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fœcundissimum agrum donauit.

Verè Seuerus & Pertinax apparet.
Eruditus.
Fidelis.

6 INDE cum implacabilis delictis fuit, tũ ad eligendos industrios quosque iudicij singularis. Philosophiæ ac dicendi studiis satis deditus, doctrinæ quoque nimis cupidus, latronum vbique hostis, vitam suam priuatam publicámque ipsé composuit ad fidem, solum tamen vitium crudelitatis excusans. De hoc senatus ita iudicauit, *illum aut nasci non debuisse, aut non mori*, quòd & nimis crudelis & nimis vtilis reip. videretur. Domi tamen minus cautus, qui vxorem Iuliam famosam adulteriis tenuit, etiam coniurationis consciam. Idem quum pedibus æger bellum moraretur, ídque milites anxie ferrent, eiúsque filium Bassianum qui vna erat, Augustum fecissent, tolli se atque in tribunal ferri iussit: adesse deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus autoribus id acciderat: sisti deinde filium qui Augusti nomen acceperat. Quúmque animaduerti in omnes auctores facti, præter filium, iuberet, rogaretúrque omnibus ante tribunal prostratis, caput manu contingens ait, *Tandem sentitis caput imperare non pedes.* Huius dictum est, quum eum ex humili per literarum & militiæ officia ad imperium plurimis gradibus fortuna duxisset, *Omnia,* inquit, *fui, & nihil expedit.* Periit Eboraci in Britannia, subactis gentibus quæ Britanniæ videbantur infestæ, anno imperij decimooctauo, morbo grauissimo extinctus iam senex. Reliquit filios duos, Antoninum Bassianum & Getam, cui & ipsi in honorem Marci, Antonini nomen imposuit. Illatus sepulchro Marci Antonini, quem ex omnibus Imperatoribus tantum coluit vt & Commodum in diuos referret, & Antonini nomen omnibus

Sed crudelis, & de quo Roma dicere potuit, nec tecum possum viuere, nec sine te.

Ex insigni hoc facto, qualis fuerit Seuerus, facilè dignoscimus.

Animi prorsus Seueri effigies. Ita conueniunt rebus nomina sæpe suis.

nibus

nibus deinceps quasi Augusti ascribendum putaret. Ipsi a senatu, a gentilibus liberisque eius funus amplissimum exhibitum fuit, atque inter diuos est relatus. Opera publica præcipue eius extant septizonium & thermæ Seuerianæ. Eius denique etiam ianuæ in Transtiberina regione ad portam nominis sui, quarum forma intercidens statim vsum publicum inuidit. Iudicium de eo post mortem magnum omnium fuit, maximè quòd diu nec a filiis eius boni aliquid reip. venit: & postea inuadentibus multis remp. res Romana prædonibus direptui fuit. Hic tam exiguis vestibus vsus est vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret: cibi parcissimus, leguminis patrij auidus, vini aliquando cupidus, carnis frequenter ignarus. Ipse decorus, ipse ingens, promissa barba, cano capite & crispo, vultu reuerendus, canorus voce, sed Afrum quiddam vsque ad senectutem sonans: ac multum post mortem amatus, vel inuidia deposita vel crudelitatis metu.

Seueri funus & consecratio.

Opera.

De Seuero iudicium.

Eius frugalitas.

Forma egregia.

Fama superstes.

7 LEGISSE me apud Aelium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini, Septimium Seuerum moderatissimè quum moreretur lætatum, quòd duos Antoninos pari imperio reipub. relinqueret, exemplo Pij, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios reipub. reliquit: hoc melius, quòd ille filios per adoptionem, hic per se genitos, rectores Romanæ reipub. daret, Antoninum scilicet Bassianum, quem ex priore matrimonio susceperat, & Getam quem de Iulia genuerat. Sed illum multum spes fefellit. Nam vnum parricidium, alterum sui mores reipub. inuiderunt: sanctúmque illud nomen, in nullo diu bene mansit. Et reputanti mihi, neminem propè magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquisse satis claret. Denique aut sine liberis viri in-

Lætitia eiusdem in morte, falsa spe subnixa.

Vt euentu comprobauit Bassianus.

Inde Sparetiani digressio & indicium historicum, de principibus qui filios relinquūt aut discedunt sine posteritate.

terierunt, aut tales habuerunt plerique vt melius fuerit de rebus humanis sine posteritate discedere. Et vt ordiamur a Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius quod vtile posset esse reipub. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Iam verò quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto cæterisque aliis loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere? Quid de Augusto, qui nec adoptiuum bonum filium habuit, quum illi eligendi potestas fuisset ex omnibus? Falsus est etiam ipse Trajanus in suo municipe ac nepote diligendo. Sed vt omittamus adoptiuos, ne nobis Antonini Pius & Marcus numina reipublicæ occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuisset si Commodum non reliquisset hæredem? Quid Seuero Septimio, si Bassianum non genuisset? qui statim insimulatum fratrem insidiarum contra se cogitatarum, parricidiali etiam figmento interemit. qui nouercam, matrem quinimo, in cuius sinu Getam filium eius occiderat, vxorem duxit: qui Papinianum iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quòd parricidium excusare noluisset, occidit: & præfectum quidem suum, ne homini per se & per scientiam suam magno deesset & dignitas. Denique vt alia omittam, ex huius moribus factum puto vt Seuerus tristior vir ad omnia, imò etiam crudelior, pius & dignus deorum altaribus duceretur. Qui quidem diuinam Sallustij orationem qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingrauatus morbo misisse filio dicitur maiori. idque frustra & hominem tantum valetudine. Vixit denique in odio populi diu Antoninus, noménque illud venerabile diu, minus amatum est; quanuis & vestimenta populo dederit,

Præstabat Seuero filiis caruisse, quàm genuisse Parricidam.

Id etiam subolfactus, paulò ante obitum crudele illud monstrum oratione Sallustij mansuefacere studuit: sed frustra.

fit,(vnde Caracallus est dictus) & thermas magnificentissimas fecerit. Extat sane Romæ Seueri porticus; gesta eius exprimens, à filio, quantum plurimi docent structa.

8 SIGNA mortis eius hæc fuerunt: Ipse somniauit quatuor aquilis & gemmato curru præuolante nescio qua ingenti humana specie ad cœlum se raptum, quúmque raperetur, octoginta & nouem numeros explicuisse: vltra quot annos ne vnũ quidem annum vixit: nam ad imperium senex venit, quúmque positus esset in circulo ingenti æreo, diu solus & destitutus stetit. Quum vereretur autem ne præceps rueret, à Ioue se vocatum vidit, atque inter Antoninos locatum. Die circensium quum tres victoriæ more solito essent locatæ gypseæ cum palmis, media quæ ipsius nomine ascriptum orbem palmis tenebat, vento icta, de podio stans decidit, & humi constitit: eáque quæ Getæ nomine inscripta erat, corruit, & omnis comminuta est: illa verò quę Bassiani titulum præferebat, amissa palma venti turbine vix constitit. Post murum apud vallum missum in Britannia, quum ad proximam mansionem rediret, non solùm victor, sed etiam in æternum pace fundata, voluens animo quid ominis sibi occureret, Aethiops quidam è numero militari, claræ inter scurras famæ & celebratorum semper iocorum, cum corona è cupressu facta eidem occurrit. Quem quum ille iratus remoueri ab oculis præcepisset, & coloris eius tactus omine & coronæ, dixisse ille dicitur ioci causa, *Totum fuisti, totum vicisti, iam deus esto victor.* Et in ciuitatem veniens, quum rem diuinam vellet facere, primùm ad Bellonæ templum ductus est errore aruspicis rustici, deinde hostiæ furuæ sunt applicitæ. Quod quum esset aspernatus, atque ad palatium se reciperet, negligentia ministrorum nigræ hostiæ vsque ad

Signa mortis Seueri.

Somnium.

Victoriæ gypseæ euersæ. Et sane Seueriana domus gloriá lutea fuit.

Aethiops scurra occurrens.

Deductio ad Bellonæ templum & furuæ hostiæ.

limen domus palatinæ imperatorem sequutæ sunt.

23. *Opera insignia Seueri.* Sunt per plurimas ciuitates opera eius insignia. Magnum verò illud in ciuitate eius, quòd Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur instaurauit, nusquam propè suo nomine ascripto, seruatis tamen vbique titulis conditorum. *Liberalitas.* Moriens septem annorum canonem, ita vt quotidiana septuagintaquinque millia modiorum expendi possent; reliquit: olei verò tantum vt per quinquennium non solùm vrbis vsibus, sed & totius Italiæ quæ oleo egeret, sufficeret. *Nouissima verba, quæ animum illum Seuerũ & altum spirantem produnt.* Vltima verba eius dicuntur hæc fuisse, *Turbatam Rempub. vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo, senex & pedibus æger, firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt: imbecillum, si mali.* Iussit deinde signum tribuno dari, *Laboremus*: quia Pertinax quando in imperium adscitus est, signum dederat, *Militemus*. Fortunam deinde regiam quæ comitari principes & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat, vt sacratissimum simulacrum vtrique relinqueret filiorum. *De filiorum concordia cura perennis.* Sed quum videret se perurgeri sub horam mortis, iussisse fertur vt alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur. Quod Bassianus prius contempsit quam faceret parricidium.

24. Corpus eius à Britannia Romã vsque cum magna prouincialium reuerentia susceptum est: quanuis aliqui vrnulam auream tantùm fuisse dicant, Seueri reliquias continentem, eandémque Antoninorum sepulchro illatam, quum Septimius Pertinax Seuerus illic vbi vita functus est, esset incensus. Quum septizonium faceret, nihil aliud cogitauit quam vt ex Africa venientibus suum opus occurreret: & nisi absente eo per præfectum vrbis medium simulacrum eius esset locatum, aditum palatinis ędibus, id est regium atrium ab ea parte facere voluisse perhibetur: quod etiam post *Gloria item ac nominis propagandi studium.*

Alex

Alexander quum vellet facere, ab aruſpicibus dicitur eſſe prohibitus, quum hoc ſciſcitatus non litaſſet.

ÆLII SPARTIANI
Peſcennius Niger.

BREVIARIVM.

1 *Peſcennii Nigri ſtemmata, eruditio, mores, geſta & caſus ante imperium.*

2 *Propter virtutes bellicas Marco Antonino philoſopho. Commodo & ipſi Seuero chariſſimus, à quo tandem bello oppreſſus eſt.*

3 *Eiuſdem virtutes, ſcitè dicta, egregiè facta, & de eius principatu præſagia.*

4 *Diſciplinæ militaris ſtudioſiſſimus, eiúſque poſt fata encomium & ſimulachrum ipſi Seuero probatum.*

Ad Diocletianum Auguſtum.

Spartiani de difficultate operis ſuſcepti præfatio.

RARVM atque difficile eſt vt quos tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in litteras: atque ideo vix omnia de his plenè in monumentis atque annalibus habêtur. Primùm enim quæ magna ſunt, in eorum honorẽ ab ſcriptoribus deprauantur, deinde alia ſupprimũtur: poſtremò non magna diligentia in eorũ genere ac vita requiritur, quum ſatis ſit audaciam eorum & bellũ in quo victi fuerint, ac pœnam, proferre. Peſcẽnius ergo Niger, vt alij tradunt, modicis parẽtibus: vt alij, nobilibus fuiſſe dicitur, patre Annio Fuſco, matre

Peſcennij genus.

Lampridia, auo curatore Aquini, ex qua familia originem ducebat: quod quidem dubium etiam nunc habetur. Hic eruditus mediocriter, moribus ferox, diuitiis immodicus, vita parcus, libidinis effrenatæ ad omne genus cupiditatum, ordines diu duxit, multísque ducatibus peruenit vt exercitus Syriacos iussu Commodi regeret, suffragio maxime athletæ qui Commodum strangulauit, vt omnia tunc fiebant. |Is posteaquam comperit occisum Commodum, Iulianum imperatorem appellatum, eundémque iussu Seueri & senatus occisum, Albinum etiam in Gallia sumpsisse nomen Imperatoris, ab exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est Imperator, vt quidam dicunt, magis in Iuliani odium quam in æmulationem Seueri. Huic ob detestationem Iuliani primis imperij diebus ita Romæ fautum est à senatoribus duntaxat, qui & Seuerum oderant, vt inter lapidationes execrationésque omnium illi feliciter optaretur, illum Principem insuper, & illum Augustũ populus acclamaret. Iulianum autem oderant populares quòd Pertinacem milites occidissent, & illum Imperatorem aduersa populi voluntate appellassent. Denique ingentes ob hoc seditiones fuerunt. Ad occidendum autem Nigrum, primipilarem Iulianus miserat, stulte, ad eum qui haberet exercitus, & se tueri posset: perinde quasi qualislibet Imperator à primipilario posset occidi. Eadem autem dementia etiam Seuero iam Principi Iulianus successorem miserat. Denique etiam Aquilium centurionem, notum cędibus ducẽ miserat, quasi Imperator tantus à centurione posset occidi. Par denique insania fuit quòd cũ Seuero ex interdicto de imperio egisse fertur, vt iure videretur ad principatum peruenisse.|Et de Pescennio Nigro iudicium populi ex eo apparuit, quòd quũ ludos circenses Iulianus Romæ

Eruditio mores, & honores.

2

Post Iuliani necem Pescennius Imperator appellatur.

Ex odio & detestatione amor & desiderium.

Demens Iuliani conatus, aduersus Nigrum & Seuerũ, nostro seculo à multis non sine optato euentu tentatus: sed cum eorum æterna infamia.

3.

daret, & indiscrete subsellia circi maximi repleta essent, ingentique iniuria populus affectus esset, per omnes vno consensu Pescennius Niger ad tutelam vrbis est expetitus, odio (vt diximus) Iuliani & amore occisi Pertinacis: cui quidem Iulianus dixisse fertur, *Nec sibi neque Pescennio longum imperium deberi, sed Seuero qui magis esset odio habendus à Senatoribus, militibus, prouincialibus, popularibus*: quod probauit rei euentus. Et Pescennius quidem Seuero eo tempore quo Lugdunensem prouinciam regebat, amicissimus fuit: nam ipse missus erat ad comprehendendos desertores qui innumeri Gallias tunc vexabant. In quo officio quòd se honeste gessit, iucundissimum fuit Seuero, ita vt de eo ad Commodum Septimius referret, asserens necessarium reip. virum. Et re vera in rè militari vehemens fuit. Nunquam sub eo miles prouinciali lignum, oleum, operam extorsit, ipse à milite nihil accepit: quum tribunatus ageret, nihil accipi passus est. Nam & Imperator tribunos duos quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit.

Fauor populi erga Pescennium.

De eius imperio præsaga vox Iuliani.

Qualis fuerit antequã imperator esset appellatus.

2 EXTAT epistola Seueri qua scribit ad Rogonium Celsum Gallias regentem: *Miserum est vt imitari eius disciplinam militarem non poßimus, quem per bellum vicimus. Milites tui vagantur, tribuni medio die lauant, pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis, meritoria: saltant, bibunt, cantant, & mensuris conuiuiorum vacant quum sine mensura potent. Hæc si vlla vena paternæ disciplinæ in nobis viueret, fierent? Emenda igitur primùm tribunos, deinde militem: quem quandiu timueris, tandiu non timeberis. Sed scias id de Nigro, militem timere non posse, nisi integri fuerint tribuni & duces militum*] Hæc de Pescennio Seuerus Augustus, adhuc milite. Marcus Antoninus ad Cornelium Balbum, *Pescennium mihi laudas, agnosco: nam & decessor tuus eum manu strenuum, vita grauem, & iam tum plusquam militem dixit.* Itaque

Maxima laus, ab hoste probari.

Militaris disciplina cõseruandæ ratio.

Pescennius elogio & dignitate ornatus à Marco Antonino

misi literas recitandas ad signa, quibus eum trecentis Armenicis, & centum Sarmatis, & mille nostris praeesse iussi. Tuum est ostendere hominem non ambitione (quod nostris non conuenit moribus) sed virtute venisse ad eum locum quem auus meus Adrianus, quem Traianus proauus non nisi exploratissimis dabat. De hoc eodem Commodus, *Pescennium fortem virum noui, & ei tribunatus iam duos dedi: ducatum mox dabo, vbi per senectutem Aelius Corduenus rempublicam recusauerit.* Hæc de eo iudicia omnium fuerunt. Sed & Seuerus ipse sæpe dixit, ignoturum se Pescennio nisi perseueraret. A Commodo denique Pescennius cos. declaratus, Seuero prępositus est: & quidem irato quòd primipilaribus commendantibus, consulatum Niger mereretur. In vita sua Seuerus dicit, se priusquam filij sui id ætatis haberent vt imperare possent, ægrotantem id in animo habuisse vt, si quid fortè sibi accidisset, Niger Pescennius eidem & Clodius Albinus succederent, qui ambo Seuero grauissimi hostes extiterant. Vnde apparet quod etiam Seueri de Pescennio iudicium fuerit. Si Seuero credimus, fuit glorię cupidus Niger, vita fictus, moribus turpis, ætatis prouectæ quum imperium inuasit: ex quo cupiditates eius incusat, perinde quasi Seuerus minor ad imperium venerit, qui annos suos contrahit, quum decem & octo annis imperarit & octogesimonono perierit. Sanè Seuerus Heraclium ad obtinendam Bithyniam misit: Fuluium autem ad occupandos adultos Nigri filios: nec tamen in Senatu quicquam de Nigro Seuerus dixit, quum iam audisset de eius imperio, ipse autem proficisceretur ad componendum orientis statum. Tantum sanè illud fecit proficiscens vt legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet, & fame populum Romanum perurgeret. Et videbatur id facere posse per Libyam Aegyptúmque vicinas Africæ, difficili licet itinere

Et à Commodo.

Quare exosus Seuero.

A quo successor designatus.

Eius mores.

Ab astuto & potēte hoste Seuero euersus.

ac nauigatione. Et Pescennius quidem veniente ad orientem Seuero, Græciam, Thracias, Macedoniam, interfectis multis illustribus viris, tenebat, ad participatum imperij Seuerum vocans: a quo, causa eorum quos occiderat, cum Aemiliano hostis est appellatus: deinde à ducibus Seueri per Aemilianum pugnans victus est. Et quum illi tutum exilium promitteret: si ab armis recederet, persistens iterum pugnauit, & victus est, atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus; & sic ad Seuerum adductus, atque statim mortuus. Huius caput circumlatum pilo Romam missum, filij occisi, necata vxor, patrimonium publicatum, familia omnis extincta. Sed hæc omnia posteaquam de Albini rebellione cognitum est, facta sunt: nam prùs & filios Nigri & matrem in exilium miserat. Sed exarsit secundo ciuili bello, imò etiam tertio, & factus est durior. Tunc enim innumeros senatores interemit Seuerus, & ab aliis Syllæ Punici, ab aliis Marij nomen accepit.

Crudelitas imperii infida custos.

Pescennius, Seuero victori non cedēs, victus & occisus.

Eiusdem familia omnis extincta.

3 FVIT statura Pescennius prolixa, forma decorus, capillo in verticem ad gratiam reflexo, vocis canoræ, ita vt in campo loquens per mille passus audiretur, nisi ventus aduersaretur: oris verecundi & semper rubidi: ceruice adeo nigra, vt quemadmodum multi dicunt, ab ea Nigri nomen acceperit. Cætera corporis parte candidus & magis pinguis: vini auidus, cibi parcus, rei venereæ nisi ad creandos liberos prorsus ignarus. Denique etiam sacra quædam in Gallia quæ castissimis decernuntur, consensu publico celebranda suscepit. Hunc in Cōmodianis hortis, in porticu curua, pictum de musiuo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem: quibus Commodus adeò deditus fuit, vt & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes partes expleret. Fuit ergo miles optimus, tribunus

Statura.

Cur Niger cognominatus.

Depictus.

Eximius in

bello & functionibus publicis: sed imperator infelix, malis cõsiliis Aureliani.

singularis, dux præcipuus, legatus seuerissimus, consul insignis, vir domi forisque conspicuus, Imperator infelix: vsui denique reipub. sub Seuero homine tetrico esse potuisset, si cum eo esse voluisset. Sed deceptus est consiliis Seueri Aureliani, qui filias suas eius filiis despondens, persistere eum fecit in imperio. Hic tantæ fuit autoritatis vt ad Marcum primùm, deinde ad Commodum scriberet, quum videret prouincias facili administrationum mutatione subuerti: Primùm vt nulli ante quinquennium succederetur prouinciæ præsidi, vel legato, vel proconsuli, quòd prius deponerent potestatem quàm scirent administrare: deinde, ne noui ad regendam rempublicam accederent, præter militares administrationes, intimauit vt assessores in quibus prouinciis assedissent, in his administrarent: quod postea Seuerus, & deinceps multi tenuerunt, vt probant Pauli & Vlpiani præfecturæ, qui Papiniano in consilio fuerunt: ac postea quum vnus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim præfecti facti sunt. Huius etiam illud fuit, Vt nemo assideret in sua prouincia, nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est oriundus vrbe. Addidit præterea consiliariis salaria, ne eos grauarent quibus assidebant, dicens, *iudicem nec dare debere, nec accipere.* Hic erga milites tanta fuit censura vt quum apud Aegyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, responderit, *Nilum habetis, & vinum quæritis?* si quidem tanta illius fluminis dulcedo, vt accolæ vina non quærant. Idem tumultuantibus iis qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus, *Vinum non accepimus, pugnare non possumus. Erubescite,* inquit, *illi qui vos vincũt, aquam bibunt.* Idem Palæstinis rogantibus vt eorum censitio leuaretur, idcirco quòd esset grauata, respondit, *Vos terras vestras leuari censitione vultis, ego verò etiam aerem vestrum censere vellem.* Denique Delphici Apollinis

Magnæ authoritatis apud Imperatores, ita vt eius sententiam in grauiss. negotiis sequerentur.

Scitè dicta & facta quæ Pescẽnij prudentiam & fortitudinem demonstrãt.

linis vates in motu reipublicæ maximo quum nuntiaretur tres esse Imperatores, Seuerũ Septimium, Pescennium Nigrum, Clodium Albinum, consultus quem expediret reipublicæ imperare, versum Græcum huiusmodi fudisse dicitur,

Ab Apollinis Delphici oraculo alliis, Seuero & Albino prælatus.

Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.

Ex quo intellectum Fuscum, Nigrum appellatum vaticinatione: Seuerum, Afrum: Album verò, Albinum dictum. Nec defuit alia curiositas. Requisitum est qui esset obtenturus rempubl. Ad quod ille respondit alium versum talem,

Fundetur sanguis Albi, Nigrique minantis,
Imperium mundi Pœna reget vrbe profectus.

De trium istorum competitorũ fortuna mirum Apollinis responsum, iusso Numinis iudicio, mendaci spiritu tantam illam efficaciam in ethnicos præstigiis suis decipiendos concedentis.

Item quum quæsitum esset quis illi successurus esset, respondisse itidem Græco versu dicitur,

Cui dederint superi, nomen habere Pii.

Quod omnino intellectum non est nisi quum Bassianus Antonini, quod verum signum Pij fuit, nomen accepit. Item quum quæreretur quandiu imperaturus esset, respondisse Græcè dicitur,

Bis denis Italùm conscendet nauibus æquor:
Si tamen vna ratis transiliet pelagus.

Ex quo intellectum, Seuerum viginti annos expleturum.

4 Haec sunt Diocletiane, Maxime Augustorum, quæ de Pescennio didicimus ex plurimis libris. Non enim facilè (vt in principio libri diximus) quisquam vitas eorum mittit in libros qui aut principes in republica non fuerunt, aut à Senatu appellati non sunt Imperatores, aut occisi citiùs, ad famam venire nequiuerunt. Inde, quòd latet Vindex, quòd Piso nescitur, quòd omnes illi qui aut tantùm adoptati sunt, aut à militibus Imperatores appellati, vt sub Domitiano Antonius: aut citò interempti, vitam cum imperij vsurpatione posuerunt. Sequitur nunc vt de Clodio Albino dicam, qui quasi so-

Peroratio Spartiani de Pescẽnio hactenus disserentis.

cius huius habetur, quòd & pariter contra Seuerum rebellauerunt, & ab eodem victi atque occisi sunt. De quo ipso neque satis clara extant: quia eadem fortuna illius fuit quæ Pescennij, etiamsi vita satis dispar. Ac nequid ex iis quæ ad Pescennium pertinent, prętermisse videamur (licet aliis libris cognosci possint) de hoc Pescennio vates dixerunt quòd neque viuus neque mortuus in potestatem Seueri venturus esset, sed iuxta aquas illi pereundum esset: quod quidam dicunt ipsum Seuerum de mathesi quam callebat, dixisse. Nec abfuit responsis veritas, quum ille inuentus sit iuxta paludem semiuiuus.

Eiusdem ad Pescennium regressio.

Pescennij mors prædicta.

10\. Hic tãtæ fuit seueritatis vt quum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, iusserit omne argẽtum submoueri de vsu expeditionali, addito eo vt ligneis vasis vterẽtur: quod quidem illi odium militare concitauit. Dicebat enim posse fieri vt sarcinæ militares in potestatem hostium venirent, ne se barbaræ nationes argento nostro gloriosiores facerent, quum alia minùs apta hosticam viderentur ad gloriam. Idem iussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto vniuersos esse cõtentos. Idem pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato iubens milites & omnes contentos esse. Idem ob vnius gallinacei direptionem, decem commanipulones qui raptum ab vno comederant, securi percuti iussit: & fecisset, nisi ab omni exercitu prope vsque ad metum seditionis esset rogatus: & quum pepercisset, iussit vt denorum gallinaceorum pretia prouinciali redderent decem qui simul furto conuixerant, addito eo vt tota in expeditione in commanipulatione nemo focum faceret, ne vnquam recens coctum cibum sumerent, sed pane ac frigidis vescerentur, appositis speculatoribus qui id curarent. Idem iussit ne in zonis milites ad bellum aureos vel argenteos nummos portarent, sed

Seueritas & frugalitas.

Luxũ profligat ab exercitu.

Et vinum.

Direptores seuerè reprimit. Nostro autẽ hoc nouißimo seculo, nullus Pescennius, innumeri direptores.

Speculatores & milites Pescennij tã pridem mortui sunt.

ſed publicè commendarent, recepturi poſt prælia quod dederant, addens liberis eorum & vxoribus & hæredibus certè reddendum qui veniſſent, ne ad hoſtes aliquid prædæ perueniret ſiquid fortè aduerſi fortuna feciſſet. Sed hæc omnia, vt ſe habuerat Commodi temporũ diſſolutio, aduerſa eidem fuere. Denique etſi nemo fuit qui ſuis temporibus dux ſeuerior videretur, ad perniciem illi magis iſta fuere quàm mortuo. vbi & inuidia & odium depoſita erant, talia exempla valuerunt. Idem in omni expeditione ante omnes militarem cibum ſumpſit ante papilionem: nec ſibi vnquam vel contra ſolem, vel cõtra imbres quæſiuit tecti ſuffragium. ſimiles non habuit. Tantum denique belli tempore ratione militibus demonſtrata, ſibi & ſeruis ſuis vel contubernalibus portauit, quantum à militibus ferebatur: quum ſeruos ſuos annona oneraret, ne illi ſecuri ambularẽt, & onuſti milites, ídque ab exercitu cum ſuſpirio videretur. Idem in cõcione iurauit ſe quandiu in expeditionibus fuiſſet eſſétque adhuc futurus, non aliter eſſe acturum ſe quàm militem, Marium ante oculos habentem & duces tales. nec alias fabulas vnquam habuit, niſi de Annibale, cæteríſque talibus. Denique quum Imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit ei, *Scribe laudes Marii vel Annibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere: ſe autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari.* Amauit de principibus Auguſtum, Veſpaſianũ, Titum, Trajanum, Pium, Marcum, reliquos fœmineos vel venenatos vocans: maximè tamen in hiſtoriis Marium & Camillum & Q. Martium Coriolanum dilexit. Interrogatus autem quid de Scipionibus ſentiret, dixiſſe fertur, *Fe-*

Et incommodis Commodi temporibus iamiam interierant.

Ducis ad exẽplum totus componitur exercitus.

Domeſtica diſciplina Peſcennij.

Oratione & colloquiis priuatis teſtata.

Scito itẽ ad Panegyriſtã quendã reſponſo.

Et iudicio, de imperatoribus.

lices illos fuisse magis quàm fortes: idque probare domesticam vitam & iuuentutem, quæ in vtroque nimis speciosæ domi fuisse apud omnes constat. Quòd si rerum potitus fuisset, omnia correcturus fuerat quæ Seuerus vel non potuit emendare, vel noluit: & quidem sine crudelitate, imò etiam cum lenitate, sed militari, non remissa & inepta atque ridicula. Domus eius hodie Romæ visitur in campo Iouis, quæ appellatur *Pescenniana*: in qua simulacrum eius in trichoro constituit, statim post annum ex Thebaico marmore, quòd ille ad similitudinem sui factum à rege Thebæorum acceperat. Extat etiam epigramma Græcum, quod Latinè hanc habet sententiam:

Necessarius princeps imperio Romano Pescennius, ni fati vi fuisset repulsus.

Eius simulachrum.

Terror Aegyptiaci Niger astat militis ingens,
Thebaidos socius, aurea secla volens.
Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma:
Hic Antoninis charus & imperio.
Nigrum nomen habet, Nigrum formauimus ipsi,
Vt consentirent forma metalla tibi.

Astutè à Seuero relictum.

Quos quidem versus Seuerus eradi noluit, quum hoc ei & præfecti suggererent, & officiorum magistri, addens, *Si talis fuit, sciant omnes qualem vicerimus. si talis non fuit, putent omnes nos talem vicisse: imò sic sit, quia fuit talis.*

IVLII

IVLII CAPITOLINI
Clodius Albinus.

BREVIARIVM.

1 *Albinus vnde oriundus, Commodo dilectus & Seuero.*

2 *Eiusdem stirps, cognomen, pueritia, eruditio, militaris animus, signa & præsagia futuræ dignitatis, belli tyrocinia & functiones publicæ.*

3 *Insidiis Seueri vitatis arma capit, sed infelici cum euentu, nam post ancipites pugnas fugatus & occisus est.*

4 *Albini virtutes ac vitia.*

5 *Quid Seuerus post Albini interitum aduersus eiusdem amicos & memoriam gesserit.*

6 *Cur Senatui Albinus adeo charus, & Commodo inuisus fuerit.*

Ad Constantinum Augustum.

VNo eodémque tempore post Pertinacem, qui autore Albino interemptus est, Iulianus à senatu Romæ, Septimius Seuerus ab exercitu in Illyrico, Pescennius Niger in oriente, Clodius Albinus in Gallia, Imperatores appellati sunt. Et Clodium quidem Herodianus dicit Seueri Cæsarem fuisse. sed quum alter alterum indignaretur imperare, nec Galli ferre possent aut Germani exercitus, (quòd & ipsi suum specialem principem haberent) vndique cuncta turbata sunt. Fuit autem Clodius Albinus familia nobili, Adrumetinus tamen ex Africa. Quare sortem illam qua Seuerum laudatum in Pescennij vita diximus, ad se trahebat,

1 Principum & Imperatorum multitudo ac æmulatio, labes reip.

Albini familia.

nolens intelligi, *Pessimus Albinus*: quod eodem versu continebatur quo & Seueri laus, & approbatio Nigri Pescennij. Sed priusquam vel de vita eius vel de morte dixero, etiam hoc dicendum est quod eum nobilem fecit. Nam ad hunc eundem quondam Commodus, quum eum successorem Albino daret, literas dederat, quibus iusserat vt Cæsar esset. Exemplum indidi. *Imperator Commodus Clodio Albino. Alias ad te publicè de successore atque honore tuo misi, sed hanc familiarem & domesticam, omnem (vt vides) manu mea scriptam epistolam dirigo, qua tibi do facultatem vt, si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Cæsareum nomen assumas. Audio enim & Septimium Seuerum & Nonium Marcum malè de me apud milites loqui, vt sibi parent stationis augustæ procurationem. Habebis præterea quum id feceris, dandi stipendii vsque ad tres aureos liberam potestatem: quin & super hoc ad procuratores meos literas misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ: & quum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant quum de ærario volueris imperare. Sanè vt tibi insigne aliquod imperialis maiestatis accedat, habebis vtendi coccinei pallii facultatem me præsente, & ad me, & quum mecum fueris, habiturus & purpuram, sed sine auro: quia ita & proauus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano qui eum adoptauit, accepit.* His literis acceptis à Nonio, facere id quod iubebat, noluit, timens odiosum Commodum propter mores suos, quibus rempub. perdiderat & se dedecorauerat, quandocunque feriendum, ne ipse pariter occideretur. Extat denique illius concio, quæ, quum accepit imperium, & quidem Seueri (vt quidam) voluntate firmatum, huius rei memoriam facit. cuius hoc exemplum est. *Inuitum me, commilitones, ductum ad imperium etiam illud probat quòd Commodum donantem me Cæsariano nomine, contempsi: sed & vestræ voluntati & Seueri Augusti parendum est, quia credo sub homine optimo & viro forti posse bene*

Cæsaris nomen Albino defert Commodus.

Idque literis scriptis.

Et commissa potestate. Ac maiestatis imperialis insigni.

Quæ recusat Albinus. principum enim crudelium munera non munera.

A Seuero autem collata accepptat.

bene remp. regi: nec negari potest. Marius Maximus dicit, hunc animum Seuero primùm fuisse vt siquid ei contingeret, Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum sibi substitueret. Sed postea & filiis iam maiusculis studens & Albini amori inuidens, sententiam mutasse, atque illos vtrosque bello oppressisse, maximè precibus vxoris adductum. Denique Seuerus eum COS. designauit, quod vtique nisi de optimo viro non fecisset, homo in legendis magistratibus diligens.

Spe autem sua frustratur.

2 SED vt ad eum redeam, fuit (vt dixi) Albinus Adrumetinus oriundus, sed nobilis apud suos, & originem a Romanis familiis trahens, Posthumiorum scilicet & Albinorum Ceioniorum. Quæ familia hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est, & per te aucta & augenda, quæ per Galienum & Gordianos plurimùm creuit. Hic tamen natus lare modico, patrimonio pertenui, parentibus sanctis, patre Ceionio Posthumio, matre Aurelia Messalina, primus suis parentibus fuit: quum exceptus vtero, quòd contra consuetudinem puerorum qui nascuntur, & solent rubere, esset candidissimus, *Albinus* est dictus. Quod verum esse, patris epistola ad Aelium Bassianum tunc proconsulem Africæ data designat, affinem (quantum videtur) eorum ipsorum. Epistola Ceionij Posthumij ad Aelium Bassianum. *Filius mihi natus est* VII. *Calend. Decembr. ita candidus statim toto corpore vt linteamen quo exceptus est, vinceret. Quare susceptum eum Albinorum familiæ, quæ mihi tecum communis est, dedi, Albini nomine imposito. Fac vt remp. & te & nos, vt facis, diligas.* Hic ergo omnem pueritiam in Africa transegit, eruditus literis Græcis ac Latinis mediocriter, quòd esset animi iam militaris & superbi. Fertur in scholis sæpissimè cantasse inter puerulos,

Stemmata Albini.

Pater & mater.

Cognomen. Patris ipsius testimonio.

Pueritia.

Eruditio.

Militare ingenium.

Arma amens capio, nec sat rationis in armis,

Repetens, *Arma amens capio.*

Signa futura dignitatis. Huic multa imperij signa quum esset natus, facta dicuntur. Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est, quod mirandum fuit: quæ tamen cornua in templo Apollinis Baiani ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur, quod, quum ille sortem de fato suo tolleret, his versibus

Oraculum. eidem dicitur esse responsum,

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos Gallúmque rebellem.

Et in Gallia quidem eum multas gentes domuisse constat. Ipse autem suspicabatur de Seuero sibi prędictum *Sternet Pœnos*, quòd Septimius Afer esset.

Omen seu signum futuri imperij. Fuit & aliud signum futuri imperij. Nam quum Cæsariana familia hoc speciale habuerit vt paruuli domus eius in testudineis alueis lauarentur, nato infantulo testudo ingens patri eius munere piscatoris allata est: quod ille homo literatus omen accipiens, & testudinem libenter accepit & eam curari iussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans. Quum

Aliud. rarum esset aquilas in his locis videri in quibus natus est Albinus, septima eius diei hora conuiuij quod celebritati pueri deputabatur, quum ei fierent nomina, septem aquilæ paruulæ de nidis allatæ sunt, & quasi ad iocum circa cunas pueri constitutæ: nec hoc omen pater abnuit, qui iussit aquilas ali, & diligenter curari.

Aliud. Accessit omen, quòd quum pueri eius familiæ russulis fasciolis illigarentur, quòd fortè lotæ atque vdæ essent russulæ fasciolæ, quas mater prægnans parauerat, purpurea matris illigatus est fascia: vnde illi ioco nutricis etiam *Porphyrii* nomen inditum est. Hęc atque alia signa imperij futuri fuere. quę qui volet nosse, Aelium Cordum legat, qui friuola super huiusmodi ominibus cuncta persequitur.

Tyrocinia belli. Adolescens igitur statim se ad militiam con

contulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bebium Metianum, & Ceionium Posthumianum suos affines innotuit. Egit tribunus equites Dalmatas: egit & legionem quartanorum & primanorum: Bithynicos exercitus eo tempore quo Auidius rebellabat, fideliter tenuit. Deinde per Commodum ad Galliam translatus, in qua, fusis Frisiis Transrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos & apud barbaros fecit. Quibus rebus accensus Commodus, Cæsarianum ei nomen obtulit, & dandi stipendij facultatem, & pallij coccini vtendi. Quibus omnibus ille prudenter abstinuit, dicens, *Commodum quærere qui aut cum eo perirent, aut quos cum causa ipse posset occidere.* Quæsturæ gratia illi facta est: qua concessa, ædilis non amplius quam decem diebus fuit, quòd ad exercitum festinanter mitteretur. Deinde præturam egit sub Commodo famosissimam. Nam eiusdem ludis Commodus & in foro & in theatro pugnas exhibuisse perhibetur. COSS. à Seuero declaratus est eo tempore quo Albinum sibi cum Pescennio parauerat subrogare.

Varia functiones.

Prudentia.

Quæstura.

Aedilitas.

Pratura.

Consulatus.

3 AD imperium venit natu iam grandior, & maior Pescennio Nigro, vt Seuerus ipse in vita sua testatur. Sed victo Pescennio, quum & filiis suis imperium seruare cuperet, & voluntatem senatus maiorem circa Clodium Albinum videret, quòd esset vir antiquæ familiæ, literas ad eum per quosdam summi honoris ac summæ affectionis misit, quibus hortabatur, vt quoniam occisus esset Pescennius Niger, ipse cum eo fideliter remp. regeret. Quarum exemplum hoc esse Cordus ostendit. *Imperator Seuerus Augustus Clodio Albino Cæsari, fratri amantissimo & desideratissimo salutem. Victo Pescennio, literas Romam dedimus, quas senatus tui amantissimus libenter accepit. Te quæso, vt eo animo Remp. regas quo dilectus es frater animi mei, frater imperii. Bassianus & Geta te salutant. Iulia*

Imperium, senatui acceptum.

Seuero minimè, qui Albinũ per literas demulcere studet.

nostra & te & sororem salutat. Infantulo tuo Pescennio Prineo munera digna suo loco tuóque mittemus. Tu velim exercitus reip. ac nobis retentes mi vnanime, mi charißime, mi amantißime. Et hic quidem literas missis stipatoribus fidelissimis dedit, quibus præcepit vt epistolam publice darent, postea verò dicerent se velle pleraque occultè suggerere quæ ad res bellicas pertinerent, & ad secreta castrorum atque aulicam fidem: vbi verò in secretum venissent, quasi mandata dicturi, quinque validissimi eum interimerent gladiolis intra vestem latentibus. Nec illorum quidem fides defuit. Nam quum ad Albinum venissent, & epistolam dedissent, qua lecta, quum dicerent quædam secretius suggerenda, & locum semotum ab omnibus arbitris postularent, & quum omnino neminem paterentur ad porticum longissimam cum Albino progredi, ea specie ne mandata proderentur: Albinus intellexit insidias. Denique indulgens suspicionibus, eos tormentis dedit. Qui diu primò pernegarunt, sed postea victi necessitate, confessi sunt ea quæ Seuerus iisdem præceperat. Tunc iam proditis rebus & apertis insidiis, ea quæ suspicabatur Albinus clara esse intelligens, exercitu ingenti collecto contra Seuerum atque eius duces venit. Et primo quidem conflictu habito contra duces Seueri, potior fuit: post autem Seuerus ipse quum id egisset apud senatum vt hostis iudicaretur Albinus, contra eum profectus, acerrime fortissiméque pugnauit in Gallia non sine varietate fortunæ. Denique quum solicitus augures consuleret, responsum illi est (vt dicit Marius Maximus) venturum quidem in potestatem eius Albinum, sed non viuum nec mortuum: quod & factum est. Nam quum vltimum prælium commissum esset, innumeris suorum cæsis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit: &, vt multi dicunt, se ipse percussit: vt

At perfidè stipatores præmittit, qui Albinũ gladiolis interimant.

Sed irrito cõnatu. Mirãda autem hic elucet summi rerũ omnium moderatoris, Seueri perfidiam detegentis, & Albinum ad aliud exitiũ reseruantis, prouidẽtia, tunctis fetu lis abundè testata.

Et meritò quidẽ Mars anceps esse debuit, quũ vtraque ex parte tot cõcurrerent delicta, quæ mutuas ca-

vt alij, à seruo suo percussus, semiuiuus ad Seuerum deductus est. Vnde cõfirmatum est augurium quod fuerat ante prædictum. Multi præterea dicunt, a militibus, cuius nece a Seuero gratiam requirebant. Fuit Albino vnus (vt aliqui dicunt) filius: Maximus dicit duos, quibus primum veniam dedit, postea verò eos cum matre percussit, & in profluentem abiici iussit. Caput eius excisum pilo circuntulit, Romámque misit literis ad senatum datis, quibus insultabat quòd Albinum tantopere dilexissent vt eius affines & fratrem præcipue ingenti honore cumularent. Iacuisse ante prætorium Seueri Albini corpus per dies plurimos dicitur vsque ad fœtorem, laniatúmque à canibus in profluentem abiectum esse.

des & lanienas requirerent.

Seueri victoris in Albinum victum nimia seueritas.

4 De moribus eius varia dicuntur. Et Seuerus quidem ipse hæc de eodem loquitur, vt eum dicat turpem, malitiosum, improbum, inhonestum, cupidum, luxuriosum. sed hæc belli tempore vel post bellum, quando ei iam velut de hoste credi non poterat, quum & ipse ad eum quasi ad amicissimum frequentes miserit literas, & multi de Albino bene senserint, & Seuerus ipse Cæsarem suum eundem appellari voluerit: & quum de successore cogitaret, hunc primum habuerit ante oculos. Extant præterea Marci epistolæ de hoc eodem, quæ testimonium & virtutum eius ferant & morum: quarum vnam inserere ad præfectos datam super eius nomine absurdum non fuit. *M. Aurelius Antoninus præfectis suis salutem. Albino ex familia Ceioniorum, Afro quidem homini, sed non multa ex Afris habenti, Plautilli genero, duas cohortes alares regendas dedi. Est homo exercitatus, vita tristis, grauis moribus. puto eum rebus castrensibus profuturum: certè obfuturum non esse satis noui. Huic salarium duplex decreui, vestem militarem simplicem, sed loci sui stipendium quadruplum. Hunc vos adhor-*

Albini mores à Seuero irato fœdati.

Et antea, melius æstimati.

M. Aurelio Antonino probati, teste vna & altera eiusdē epistola.

tamini vt se reip. ostentet, habiturus præmium quod merebitur. Est & alia epistola qua idem M. Auidij Cassij temporibus de hoc eodem scripsit, cuius exemplum hoc est. *Laudanda est Albini constantia, qui grauiter deficientes exercitus tenuit, quum ad Auidium Cassium confugerent. & nisi hic fuisset, omnes defecissent. Habemus igitur virum dignum consulatu, quem sufficiam in locum Cassii Papirii, qui mihi exanimis propè iam nuntiatus est. Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad eius affectus perueniat: nísque videamur in locum viuentis* COS. *subrogasse.* Et istæ igitur epistolæ testantur, Albinum virum vtilem fuisse. Indicat & illud præcipuè quòd ad eas ciuitates instaurandas, quas Niger attriuerat, pecuniam misit, quò facilius sibi earum accolas conciliaret. Gulosum eum Cordus, qui talia persequitur in suis voluminibus, fuisse dicit: & ita quidem, vt pomorum tantum hauserit quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, ieiunum comedisse dicit, & centum persica Campana, & melones Hostienses decem, & vuarum Lauicanarum pondo viginti, & ficedulas centum, & ostrea quadringenta. Vini sanè parcum fuisse dicit, quod Seuerus negat, qui eum asserit ebrium etiam in bello fuisse. Cum suis etiam nunquam cœnauit, vel propter vinolentiam, (vt dicit Seuerus) vel propter morum acrimoniam. Vxori odiosissimus fuit, seruis iniustus, atrox circa militem. Nam sæpe & ordinarios centuriones, vbi causæ qualitas non postulabat, in crucem sustulit. Verberauit certè virgis sæpissimè: neque vnquam delictis pepercit. In vestitu nitidissimus fuit, in conuiuio sordidissimus, & soli studens copiæ: mulierarius inter primos amatores, auersæ veneris semper ignarus, & talium persequutor: agri colendi peritissimus, ita vt etiam Georgica conscripserit. Milesias nonnulli eiusdem esse

De Albini intemperantia in victu Cordi historici iudiciū.

Qualis maritus, herus & dux belli fuerit.

Vita priuata eiusdem.

esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamuis mediocriter scriptæ sint. A senatu tantum amatus est quantum nemo principum, in odium speciatim Seueri, quem vehementer ob crudelitatem oderant senatores.

Senatui per charus.

5 VICTO eo plurimi senatores à Seuero interfecti sunt, qui eius partium vel verè fuerant vel esse videbantur. Denique quum apud Lugdunum eundem interfecisset, statim literas inquiri iussit, ita vt inueniret vel ad quos ipse scripsisset, vel qui ad eum rescripsissent: omnésque illos quorum epistolas reperit, hostes iudicari a senatu fecit: nec his pepercit, sed & ipsos interemit, & bona eorum proposuit, atque in ærarium publicum retulit. Extat epistola Seueri, quæ ostendit animum suum, missa ad senatum, cuius hoc exemplum est. *Nihil mihi gratius potest euenire P. C. quàm vt vestrum iudicium Albinus haberet potius quàm Seuerus. Ego frumenta reip. detuli, ego multa bella pro republica gessi, ego populo Romano tantum olei detuli quantum rerum natura vix habuit. Ego interfecto Pescennio Nigro, vos à malis tyrannicis liberaui. Magnam sanè mihi reddidistis vicem, magnam gratiam. Vnum ex Afris, & quidem Adrumetinis, fingentem quòd de Ceioniorum stemmate sanguinem duceret, vsqueadeo extulistis vt eum principem habere velitis, me principe, saluis liberis meis. Defuitne quæso tanto senatui quem amare deberetis, qui vos amaret? Huius fratrem honoribus extulistis, ab hoc consulatus, ab hoc præturas, ab hoc speratis cuiusuis magistratus insignia. Non eam gratiam mihi reddidistis quam maiores vestri cõtra Pisonianam factionem, quám item pro Traiano, quam nuper contra Auidium Cassium præstiterunt: fictum illum & ad omnia mendaciorum genera paratum, qui nobilitatem quoque mentitus est, mihi præposuistis. Quinetiam audiendus in senatu fuit Statilius Corfulenus, qui honores Albino & eius fratri decernendos ducebat: cui hoc superfuit vt de me ille decerneret homo no-*

Albini amici interfecti.

Literæ quæsita, vnde iterata supplicia & animi pessime affecti indicium.

Ingenium sæuum Seueri vnica hac aduersus Albinum ad Senatum epistola luculenter expressum.

bilis ad triumphum. Maior fuit dolor quòd illum pro literato laudandum plerique duxistis, quum ille næniis quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas Apuleii sui, & ludicra literaria consenesceret. Hinc apparet quanta seueritate factionem vel Pescennianam vel Clodianam vindicauerit. Quæ quidem omnia in vita eius posita sunt: quæ qui diligentius scire velit, legat Marium Maximum, de Latinis scriptoribus: de Græcis, Herodianum, qui ad fidem pleraque dixerunt. Fuit statura procerus, capillo renodi & crispo, fronte lata, candore mirabili: & vt plerique putant, ex eo nomen accepit: voce muliebri & propè ad eunuchorum sonum, motu facili, iracundia graui, furore tristissimo: in luxuria varius. nam sæpe appetens vini, frequenter abstinens. Armorum strenuus prorsus, vt non malè *sui temporis Catilina* diceretur.

Seueri vita fideliter ab Herodiano scripta, Iul. Capitolino teste.

13

Albini statura & habitus.

6 NON ab re esse credimus, causas ostendere quibus amorem senatus Clodius Albinus meruit. Quum Britannicos exercitus regeret iussu Commodi, atque illum interemptum adhuc falsò comperisset, quum sibi ab ipso Commodo Cæsarianum nomen esset delatum, processit ad milites, & hac concione vsus est: *Si senatus P. R. suum illud vetus haberet imperium, nec in vnius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios, neque ad Nerones, neque ad Domitianos publica fata venissent: in imperio consulari nostræ illæ gentes Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorum: de quibus patres vestri, qui & ipsi ab auis suis audierant, multa dicerunt: & certè Africam Romano imperio senatus adiunxit: Galliam senatus subegit, & Hispanias: orientalibus populis senatus dedit leges. Parthos tentauit senatus: & subegisset, nisi tam auarum principem Romano exercitui fortuna reipublicæ tunc dedisset. Britannias Cæsar subegit, certè senator, nondum tamen dictator. Hic ipse Commodus quanto melior fuisset, si timuisset senatum? Et vsque ad Neronem*

Senatus amorem Albinus meruit, quoniã Senatus dignitatẽ pristinam ab Imperatoribus ereptam restitui cupiebat. Nec principes primariis viris, toga & sago illustribus, populisque placere possunt: nisi cunctis debitos honores conseruare studeant.

rione'n quidem senatus autoritas valuit, qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, quum sententiæ in eum dictæ sunt qui vitæ necisque potestatem atque imperium tunc tenebat. Quare, commilitones, ego Cæsareum nomen quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint vt ne alii quidem velint: Senatus imperet, prouincias diuidat: senatus nos consules faciat, & quid dico senatus? vos ipsi & patres vestri. eritis enim ipsi senatores. Hæc concio, viuo adhuc Commodo, Romam delata: est quæ Commodum in Albinum exasperauit, statimque successorem misit Iunium Seuerum, vnum ex contubernalibus suis. Senatui autem tantum placuit vt miris acclamationibus absentem eum ornaret, & viuo Commodo & deinceps interempto, ita vt nonnulli etiam Pertinaci autores fuerint vt eum sibi socium asciscerent, apud Iulianum de occidendo Pertinace ipsius plurimum autoritas valuerit. Vt autem hoc verum intelligatur, epistolam Commodi ad præfectos prætorios suos datam inserui, qua de occidendo Albino significauit suam mentem. *Aurelius Commodus Seuerus præfectis salutem. Audisse vos credo primùm fictum esse quòd ego meorum consilio interfectus essem: deinde concionem Clodii Albini apud milites meos habitam, qui se multùm senatui commendat, idque, quantum videmus, non frustra. Nam qui principem vnum in republica negat esse debere, quique asserit à senatu oportere totam rempublicam regi, is per senatum sibi petit imperium. Cauete igitur diligentissimè: iam enim hominem scitis vobis militibus populóque vitandum.* Has literas quum Pertinax inuenisset, in Albini odium publicauit. Quare Albinus occidendi Pertinacis Iuliano autor fuit.

Mali principes autem subditorum priuilegiis & honorib. maximè inuident.

Nec hâc inuidiam latere sinunt: immò dictis & scriptis quid animo conceperint abundè aperiunt.

HERODIANI
Antoninus & Geta.

BREVIARIVM.

1 *Antoninus & Geta, Seueri filii odia mutua fouentes Romam reuersi, iusta parenti persoluunt. De Imperatorum Rom. consecratione, accurata Herodiani dissertatio.*

2 *Studia in contraria scinduntur fratres, & optimates Romæ. Mater filios conciliare nequicquam conatur. Odiis atque discordiis in dies gliscentibus, tandem Geta in matris sinu ab Antonino fratre interficitur.*

3 *Parricidium istud Antoninus variis artibus, & composita oratione coram Senatu, calumniis Getam lacerando, tegere studet: deinde in fratris amicos, domesticos & familiares, atque in populum Romanum sæuit.*

4 *Roma secedens partes imperii Romani Septentrioni subiectas lustrat, & militibus placere studet: Alexandri Magni, deinde Achillis, Hannibalis & Syllæ memoriam studiosè colit.*

5 *Asia & Bithynia peragrata, ex Antiochia Alexandriam contendit, & dißimulato ad aliquot dies quod in ciues fouebat odio, tamen in miseros horrenda proditione interceptos crudeliter sæuit.*

6 *Regem Parthorum, coniugii specie, cum magno populo ad se pertractum nefariè irridet & armata manu Parthiam vastat ac Parthos quamplurimos interficit, sibique immeritos honores decerni curat.*

7 *Tot parricidiis & cædibus impiis fœdatus Antoninus magicas etiam præstigias inuestigans, mira quadam ratione sibi exitium*

tium molitur, & Macrini (à suo capite mortem intempestiuè depellentis) sagacitate ac Martialis centurionis gladio confossus, turpiter occumbit.

RES gestas Seueri principis, per annos duodeuiginti superiore libro sumus persequuti. Porrò autem ipsius liberi adolescentes iam vnà cum matre Romam festinabant, seditiones etiam tum in itinere agitantes. quippe diuersoriis mensáque nunquam eisdem vtebantur, multúmque suspicionis in cibo omni potúque, ne alteruter antè capto tempore, ipse clàm aut per ministeria veneno rem gereret. Ob eámque causam etiam iter properantius faciebant, tutius rati victuros vbi iam in vrbem peruenissent, diuisáque inter se regia, amplis ac spatiosis ædibus, maioribus etiam reliqua vrbe, pro suo vterque arbitrio separatim agitarent. Postquam verò in vrbem peruentum, populus eos vniuersus laureatus excepit, & senatus consalutauit. Præibant igitur principes ipsi cum purpura imperatoria, pòst sequebantur consules, vrnam cum Seueri reliquiis gestantes. Qui autem nouos Imperatores cõsalutauerant, progressi deinde, vrnam quoque ipsam supplices adorabant. Ita comitati magna pompa, composuerunt ipsum in templo, vbi Marci ac superiorum principum sacra visuntur monimenta. Re igitur diuina cerimoniisque de more concelebratis, vterque in regiam discedunt, partiti inter se domum, ianuísque secretioribus obstructis, publicis tantùm atque atriensibus promiscuè vtentes. Quin & custodes corporis separatim sibi delegerunt, vix vnquam cõgredientes, nisi pauxillum duntaxat, vt in publico à multitudine ipsa conspicerentur. Sed in primis tamen iusta parenti persoluerunt. Mos est enim Romanis consecrare

1 *Heroum filii noxæ, & fratrum cõcordia rara, tũ præcipuè quum de regno agitur. Etenim nec regna sociũ ferre, nec tæda sciunt.*

Pompa funebris Seueri.

Cuius filii funestam parant tragœdiam, discordia inter se recepta.

De Imperatoris Romani consecratione historica narratio qua Ethnicorũ stultitiam & superbam vanitatem arguit.

Imperatores, qui superstitibus filiis vel successoribus moriuntur: quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Est autem tota vrbe quasi luctus quidam, festæ celebritati promiscuus: quippe functum vita corpus, ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt. Sed ceream imaginem defuncto quamsimillimam fingunt, eámque in regiæ vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum verò vtrinque magnam partem diei sedent, à læua quidem senatus omnis vestibus atris amictus, a dextera verò matronæ quas virorum aut parentum dignitas honestat. harúmque nulla vel aurum gestans vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus albis exilibus indutæ, mœrentium speciem prębent. Hęc ita per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus inspectúmque velut ægrum, deterius se habere subinde pronuntiantibus. Dein vbi iam visus obiisse diem, lectum humeris attollunt equestris senatoriíque ordinis nobilissimi ac lectissimi iuuenes, pérque viam sacram in vetus forum deferunt, vbi magistratus Romani deponere imperium consueuerant. Vtrinque autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus est è nobilissimis atque patritiis: altera fœminarum illustrium, hymnos in defunctum pæanásque canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atque extra vrbem perferunt in Martium campum: vbi quà latissimè campus patet, suggestus quidam specie quadrangula, lateribus æquis assurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum est aridis fomitibus

Luctus Senatorum & nobilium fœminarum.

Mortui inspectio.

Delatio.

Cœtus canentium in mortui funere.

Lectus.

Suggestus, in tabernaculi formã, in cuius parte secunda lectus eleuatur.

tibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis atque eboreis ſignis variiſque picturis exornatum. Infra verò alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile, portis ianuiſque patentibus. Tertiúmque item & quartum ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia donec ad extremum, quod eſt omnium breuiſſimum, perueniatur. Poſſis eius ædificij formam comparare turribus his quę portibus imminentes, noctu igne prælato, naues in tutas ſtationes dirigunt: Pharos vulgò appellant. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus herbáſque, ſuccóſque omnes odoratos conquirunt: atque aceruatim effundunt: quippe neque gens eſt neque ciuitas, neque qui honore vllo aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera principis honori deferant. Vbi verò ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, vniuerſis equeſtris ordinis certa quadam lege ac recurſu, motúque Pyrrhichio, numeróque in orbem decurrentibus. Currus item decenti ſimiliter ordine circumaguntur inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant quæ ducum omnium Romanorum principúmque illuſtrium habent imagines. Quæ vbi celebrata ſunt, facem capit imperij ſucceſſor, eámque tabernaculo admouet. Tum cæteri omnes vndique ignem ſubiiciunt, cunctáque ilico fomitibus illis aridis odoramentiſque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo minimóque tabernaculo, tanquam è faſtigio quodam, ſimul cum ſubiecto igni aſcenſura in ætherem aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipſam principis animam deferre. ac iam ex illo vna cum cæteris numinibus Imperator colitur.

Succis odoratis indiget cadauer imperatoris.

Ceremonia equeſtres.

Fax ardens tabernaculo admota.

Apotheoſis prorſus ridicula.

2 Ita conſecrato parente, reuerſi domum iuue-

Diſcordia rei maxima

pax nēpe publica, pripcipū & subditorum coniunctio, &c. dilabuntur.

nes, discordias quotidie & simultates exercere, insidiari inter se, moliri, parare omnibus modis, atque ea modò vterque in animo habere quibus alter dolo caperetur: postremò quacunque via grassari ad singulare imperium, ac nihil inuicem prætermittere dum consortem potestatis expungerent. Sed & mentes animíque omnium vrbanorum, quicunque honore aliquo aut dignitate præstarent, diuersi trahebantur, vtroque seorsum literas clanculum missitante, magnísque pollicitationibus sibi homines adiungente. Maior tandem pars ad Getam spectabat, quòd opinionem nonnullam ostenderet probitatis, moderatúmque se & lenem in congressibus præstaret, studia porrò tractabat honestissima: quippe & disciplinarum laude celebres circa se frequentes habebat, & in palęstra ac reliquis ingenuis exercitationibus versabatur. Placidus præterea in omnes atque humanus, fama & gloria quadam optima plurimos ad amicitiam beneuolentiámque alliciebat. Contrà verò Antoninus cuncta asperius ferociúsque gerebat: atque ab iis rebus quas suprà diximus alienus, militaris vitæ ac bellicæ videri amator affectabat. Nihílque non iracundè faciens, minitando quàm suadendo, metu quàm beneuolentia sibi amicitias quęrebat. Sed quum diu frustra mater discordantes inter se germanos in omnibus factis suis, & quidem leuissimis in rebus, redigere in gratiam studeret, visum aliquando ambobus est imperium inter se diuidere, ne Romæ agitantes, alter alterius essent insidiis opportuni. Quare conuocatis paternis amicis, coram ipsa matre de imperio diuidendo disceptabant, sic vt Europa omnis Antonino, tellus autem aduersa, quæ omnis Asia nuncupatur, Getæ adiudicaretur. ita enim etiam diuina quadam prouidentia, vtrumque continentem Propontidos incursu disterminari. Placebat autem vt Antoninus castra

Probitatis, modestiæ, temperantiæ & erga laudatas artes amoris opinio, animos subditorum rapit vt suis principibus bene velint.

Nisi beneuolentia principum fratrū animos coniungat, imperia ipsa quantum uis potentia ipsos non redigentē gratiam: immo quò plùs possidebunt eo magis alij in alios exacerbabuntur.

castra ad Byzantium haberet, Geta verò in Chalcedone Bithyniæ vrbe, quæ scilicet opposita inter se, vtriusque imperium tuerentur, atque à transmittendo prohiberent. Tum vt e senatorio ordine quotcunque ex Europa forent, in vrbe ipsa remanerent, reliqui Getam sequerentur. Sedes imperij sui Geta destinabat Antiochiam vel Alexandriam, vrbes magnitudinė (vt quidem existimabat) haud longè infra Romam. Tum ex gentibus ad meridiem habentibus Mauros Numidásque, & eam Libyæ partem quæ adiacet, Antonino concedens, reliquos ad orientem vsque Geta sibi adsciscebat. Hæc dum illi agitarent, reliquis omnibus mœsto vultu terram intuentibus, ita Iulia mater loquuta est, *Terram quidem & mare, ô filij, iam inuenistis quo pacto diuidatis, & continentem vtranque, vt dicitis, pontici discriminant fluctus: matrem verò quonam modo diuidetis? quonam modo infelix ego distribuar inter vtrunque vestrûm, aut dissecabor? Me primam igitur occidite, dimidiámque vterque apud se partem sepeliat, vt ego quoque inter vos cum mari terráque ipsa diuidar.* Hæc loquuta multis cum lacrymis eiulatúque, manus ambobus iniiciens, complexa vtrunque reconciliare inter se conabatur. Quare coorta miseratione, cuncti discessere improbato consilio, ipsique in ædes suas reuersi. Sed gliscebat in dies odium atque discordiæ. Nam siue duces ac magistratus aliqui eligerentur, vterque amico suo potissimùm suffragabatur: siue ius dicerent, semper diuersa sentiebant, magno interdum illorum periculo cuia res agebatur. Pluris enim studium suum quàm ius aut æquum faciebant, etiam in ludis ipsis diuersarum semper factionum. Nihil præterea insidiarum omittebant, coquos identidem & pincernas conati ad veneficia impellere: quæ vbi tardius procedebant, quòd scilicet vterque magna diligentia curáque cibum capesserent: postremò impatiens

Nec materna charitas corda fratrum odio et ambitione flagrantia ad saniora consilia reuocare potest.

Sed ignis in igne furit, et indies exacerbationũ flammæ scintillas vndique spargunt.

Tandemque pessima mentis furiis agitatur, post habito naturæ, gentium & fraternæ charitatis iure cordis cõceptus manu perficit.

Antoninus, atque imperij totius cupidine instigatus, deliberat magnum aliquid vel facere vel pati: ferrúmque & cædem molitur. Quum enim latentes insidiæ non procederent, necessarias existimauit eas quę cum periculo & desperatione essent coniunctę. Irrupto igitur per insidias fratris cubiculo, Getam nihil tale expectantem letaliter vulnerat qui sanguine ad matris pectus effuso vitam cum morte commutauit.

Parricidæ quærũt prætextus suæ immanitati.

5 QVO facto, exilit statim, ac per totam regiam currens clamitat, magnum se periculum effugisse, vixque euasisse incolumem. Simul imperat militibus regiæ custodibus, raperent ilico se atque in castra deducerent, vbi tutius asseruetur, periturum dictitans si diutius in ædibus moram trahat. Illi pro veris ea dicta accipientes, simul ignari quæ intus gesta, currentem eum currentes & ipsi comitantur. Fit ingens populi tumultus, raptim agente se sub vesperam principe mediam per vrbem. Vt autem castra attigit, ædiculámque eam intra quam signa ac simulacra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat votis quasi pro salute susceptis. Ea re militibus nuntiata, partim iam lauantibus, partim requiescentibus, statim illuc omnes exterriti feruntur. Ille progressus in medium, non quidem continuò rem ipsam prout erat gesta fatebatur: sed effugisse periculum clamitabat, insidiásque inimici hominis atque hostis: nam ita fratrem appellabat. vixque tandem post longum certamen aduersarios superatos: quippe vtrisque periclitantibus, se postremò vnicum Imperatorem fortunæ relictum dono. Talia quædam obliquans atque inuoluens, intelligi quæ fecisset quàm audiri malebat. Tũ pro salute imperióque suo singulis militibus Atticarũ drachmarum duo millia supra quingẽtas pollicetur. prætereáq; annonæ supra quàm sueti accipere, dimidium,

Et religionis velo teguntur ad tempus.

Falsisq. rumoribus in vulgus sparsis veritatẽ, temporis filiam, inuoluunt.

Iubet

Iubet item iam tum ex templis thesaurísque sibi ipsos pecuniam sumere: largiter effusis vno die, quęcunque per duodeuiginti annos Seuerus collegerat atque recondiderat alienis calamitatibus. At milites tanta pecuniæ magnitudine illecti, totóque iam negotio intellecto, vulgata passim cæde per eos qui ædibus effugerant, vnum illum declarant Imperatorem, Geta hoste appellato. Igitur ea nocte moratus in templo Antoninus, ac fretus largitionibus quibus sibi milites adiunxerat, contendit postridie in Senatum, toto stipante exercitu, sed armis instructiore quam consueuit principem deducere. Ingressus deinde, vbi rem diuinam fecit, conscendit sellam imperatoriam, atque ad hunc modũ verba facit, *Nõ me quidem fugit, omnem domesticorum cædem statim atque auribus inciderit, odiosam videri, noménque ipsum vt primùm audiatur, afferre grauem calumniam: quippe infelices misericordia, potentes inuidia sequitur, ac victus accepisse, victor attulisse iniuriam videtur. Cæterùm si quis vero magis iudicio quàm studio erga defunctum aliquo rem ipsam expendat, causámque eius & consilium exquirat, facilè scilicet inueniet rectum esse & necessarium, vindicare magis quàm accipere iniuriam: quippe ad occisi calamitatem etiam infamia timiditatis accedit: victor præterquam quòd incolumis est, etiam gloriam retulit fortitudinis. Ac cætera quidem, quæ sæpe in me, cum veneficiis, tum omni genere insidiarum intendit, facilè vobis est exquirere tormentis. quippe idcirco adesse omnes illius ministros imperaui vt verum deprehendatis. Sunt autem nonnulli quoque ex his iam torti, quorum exaudire confessionem possitis. Postremò autem quum ego apud matrem forem, venit ille in me, quosdam secum adducens gladiis accinctos: sed ego magna prouidentia & sollertia re præcognita, vltus hostem sum. Neque enim iam aut fratris mentem gerebat, aut fraterna moliebatur. Vlcisci autem illum qui prior insidietur, vt iustum est, ita vsu quoque iam receptum. quippe ne ipse quidẽ vrbis*

Et munerib. ingentib. suæ tyrannidis satellites cõparant.

Deinde audaciores facti, æquitatis subsellia parricidiorũ suorum sycophãtica excusatione polluunt. quod etiam à Caracallis nostri seculi obseruatũ, & velut ex cõposito factũ est. Ab isto enim Roma no vetere, nouos discere facile est.

huius conditor Romulus germanum pertulit, suis tantùm operibus illudentem. Taceo Germanicum Neronis ac Titum Domitiani fratres. Marcus ipse philosophiæ simulator ac mansuetudinis, Lucii generi sui contumeliam non pertulit. Ego verò venenis comparatis in me, gladióque impendente vltus hostem: quippe hoc illi sua opera nomen imponebant. Vos autem diis gratias agite, quòd alterum saltem vobis principem seruauerint, neque mentes vestras in diuersa partiti, sed vnum tantùm spectantes Imperatorem, vitam securi traducite: imperium autem Iupiter sicut ipse inter deos solus possidet, ita etiam vni tantùm mortalium adiudicat. Hæc loquutus magna voce, irarúmque plenus, ac truculento vultu illius amicos intuens, trementibus pallentibúsque plerisque, in regiam reuertitur. Continuò igitur cœpti occidi domestici omnes fratris atque amici, quique in ædibus habitabant quas ille incoluerat, ministríque item vniuersi, sic vt ne ætati quidem infantium parceretur. Porrò ipsa cadauera plaustris omnibus per contumeliam imposita, atque extra vrbem exportata, aceruatim aut temerè iniecta rogis comburebantur. nec quisquam superfuit ex iis qui leuem modò cum Geta notitiam habuisset. Athletæ etiam, & aurigæ atque omnifariam histriones, & quicquid denique vel oculis illius, vel auribus iucundum fuerat, passim occidebatur. Præterea senatorij ordinis quicunque aut nobilitate aut opibus excellerent, minima quaque de causa vel planè nulla, quantumlibet leui delatione, pro illius amicis interimebantur. Quin & Commodi sororem iam anum, atque ab omnibus imperatoribus, vt Marci filiam oportuit, magno in honore habitam, morte affecit, causatus quòd Getæ necem apud ipsius matrem defleuisset. Et coniugem quondam suam Plautiani filiam, quæ fuerat in Siciliam relegata, ac consobrinum Seuero cognominem, filiúmque Pertinacis & Lucillæ, item Commodi sororis

Parricidiorum comes impietas, & summa impudentia.

Crudelitas etiam in obnios quosque interfecti partes sequntos, vt etiã sequentib. seculis sæpissimè accidit: idque summa cũ ignominia, ad tẽporis nostri historias & lanienas apprimè conuenientibus nec sexus, vel dignitatis aut ætatis habita ratione.

toris filium: poſtremò quicquid ex cognatione imperatoria, aut in Senatu ex patritia nobilitate ſupererat, plane quaſi ab ſtirpe abſcidit. Ducéſq; prouinciarum vniuerſos ac procuratores, veluti Getæ amicos, neci dedidit. totęque noctes cędendis plurifariam mortalibus impendebantur. Sed & Veſtales virgines viuas obruit terræ, quaſi temerata virginitate. Denique, id quod nunquam alias factitatum, quum circenſes ſpectante eo populus Romanus in aurigam cui ſtudebat, neſcio quid cauillatus eſſet, ratus ſibi contumeliam illatam, repente omnem exercitum facere impetum iuſſit in populum, ac raptare & occidere quicunque in aurigam dixiſſent. At milites accepta ſemel violandi rapiendique poteſtate, quum diſcerni à reliquis nequirent qui fuerant proteruiùs loquuti: nullo ſcilicet in tanta multitudine verum fatente, paſſim vt in quemque inciderant, aut occidebant, aut omnibus ereptis, quaſi ſalute redempta, viuos ægre dimittebant.

Denique in ciues promiſcuè ſæuitũ, ne quid crudelitati numeris omnibus abſolutæ deſit.

4 His actis ſtimulante malorum facinorũ conſcientia, vitámque peroſus vrbanam, ſtatuit Roma ſecedere, vt & milites ordinaret & prouincias inuiſeret. Igitur Italia decedens, ad ripas Danubij peruenit, ac partes imperij Romani ſeptentrioni ſubiectas ordinauit. Ibi aut corpus exercebat aurigando, cædendiſque comminus omne genus beluis: aut ius dicebat (rariùs id tamen) ſtatimque ac promptè ſententiam ferens ac reſpondens, pauculis duntaxat auditis. Cæterùm Germanos illic ſibi omnes adiũxit atque in amicitiam conciliauit, ſic vt ex his ſocios bellorum, & cuſtodes corporis validiſſimum quemque & pulcherrimum ſibi adſciuerit. Sæpe etiam Romano cultu depoſito veſtem Germanicam induebat, atque in eorum ſagulis argento variegatis conſpiciebatur, etiam flauam capiti cæſariem imponens, ad modum Germanicę tonſuræ. Quibus

Nec ideo poteſt deleri cõſcientiæ color, impium & crudelem carnificẽ ſibi ipſi prodens, & ſeipſum, quantum poteſt, fugiens.

Artes malæ mentis. Nebulones sibi indecoris obsequiis conciliat: & naturæ vim quandã adferre pergit, qui sincero vis naturæ iampridẽ soluit leges.

læti barbari, mirificè eum diligere, gaudere etiam Romanus miles, quem scilicet ille amplissimis largitionibus prosequebatur. Ipse vtique nullum non militiæ munus promptè obire: & siue quid fodiendum foret, primus fodere: siue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, siue quod opus manuum faciendum, aut labor subeundus, primus omnia occupare: tenuique mensa, ac ligneolis poculis, vasisque esculentorum contentus esse, panémque etiam temerè factum comesse: quippe tritico quantum satis vni foret, sua manu molito, massáque inde facta atque in carbonibus decocta, vesci solitus, omnia denique elegantiora aspernari, & vilissimis quibusque, ac vel pauperrimo gregarióque militi facillimis vti. Tum commilitonem quam principem vocari se malle, ac plerunque iter facere perinde atque ipsi pedibus ambulãs, raróque vehiculum conscendere aut equum: sibi ipse portare arma: nõnunquam etiam signa militaria longissima, & multis aureis ornamentis prægrauia, ac ne robustissimis quidem militibus facilia, ipse humeris subire. Ob hæc igitur aliáque huiuscemodi, vt hominem militarem diligere eum suus exercitus, & vt virum fortem admirari: quippe instar miraculi videbatur, tantulæ hominem staturæ tantis esse laboribus parem. Sed vbi milites apud Danubium ordinauit, atque in Thraciam Macedonibus conterminam discessit, continuò Alexander alter euasit. Nam & memoriam regis eius omnibus modis renouauit, statuis imaginibúsque nulla non vrbe poni iussis, Romámque ipsam Capitoliúmque & templa vniuersa refersit Alexandri simulacris. Vidimus item imagines nonnullas ridiculè depictas, quæ vno corpore duas facies præferrent, Alexandri atque Antonini. Ipse prodibat Macedonico habitu, caussam supra caput gestans & crepidas indutus: ac lectissimam iuuenum manum

Parricidarum publico miseria. Bonis & nobilibus viris sublatis malorum & ignobilium beneuolentium turpiter captare coguntur.

in

in exercitu, phalangem Macedonicam appellabat, iussis ducibus nomina sibi ducum Alexandri imponere. Præterea iuuenes Sparta accitos, Laconicam & Pitanatem centuriam vocabat. His igitur actis, atque vrbibus prout quanque potuerat, ordinatis, Pergamum adit Asiæ ciuitatem, vt Aesculapij curationibus vteretur. Quò postquam peruenit, somniis quam diu voluit captatis, Ilium mox petiit, & cunctis vrbis reliquiis collustratis, ad Achillis tumulum processit. Eóque coronis floribúsque magnifice exornato, rursus imitari Achillem cœpit. Sed eo Patroclum desiderante aliquem, libertorum omnium charissimus Festus à memoria, dum ad Ilium moratur, vita defunctus est, veneno, vt quidam aiebant, extinctus, quo scilicet Patrocli more sepeliretur: vt alij affirmant, morbo interceptus. Huius igitur cadauer efferri iussit, compluribúsque lignis rogum strui. Dein imposito in medium, mactatisq; omne genus animalibus, subiecit ignem, phialámq; manu tenens vinúmque libans, ventos precabatur. Quúmq; esset raro capillo, & crinē quęreret vt imponeret ignibus, deridiculo erat omnib. cęterū quos habuit capillos, tamē totondit. Laudabat autem ex omnib. ducibus pręcipuè Syllam Rom. & Afrū Hānibalē, quibus etiā statuas atq; imagines excitauit.

Et ineptè omnia agentes, præsenti bus & posteris ingratā sui memoriā relinquunt.

Egregij scilicet Alexandri Achilles, Hannibales & Sylla, qui cadibus, latrocinis & periuriis omnia fœdant.

5 DECEDENS autem Ilio, Asiáque omni, & Bithynia, gentibúsque reliquis pertrāsitis, atque vbique rebus compositis, deuenit Antiochiam: ibiq; exceptus honorificentissime, atque aliquandiu moratus, Alexandriam contendit, prætexens huic itineri desiderium visendę vrbis ab Alexādro constructæ, simul consulendi patrij illorū numinis, quod egregiè incolæ venerātur. Ac simulās hęc duo, inprimis religionē dei & herois memoriā, iubet hecatombas cōparari ac parētationes omne genus. Quod vt primum est Alexandrinæ multitudini nuntiatū, le-

Tragœdias tragœdiis adtexūt, vt hoc pacto sibi ipsis theatrum erigētes, tandem non sine suo sanguine descendant ad Plutonem.

uissimę suapte natura & omnibus momentis expositæ, studium beneuolentiámque principis omnes, quasi animorum impotes accipiebant. Igitur ad excipiendum illum se comparabāt, quanto nunquam antea honore vllum Imperatorem excipere consueuerant: quippe omnifaria musica instrumenta disposita, vbique varium edebant sonitum. Pręterea aromatum ac suffimentorúm vapor omne genus aditus cunctos optimis replebat odoribus: tædis prætereа & florum sparsionibus Imperatorem honorabāt. Sed vbi in vrbem iam peruenit, primò quidem templum ingressus est, multisque victimis immolatis, ac thure cumulatis altaribus, ad Alexandri monimentū se contulit, paludamētúmque purpureum, & claris speciosisque gemmis anulos conspicuos, balteúmque & siqua alia gestabat elegātiora, dempta sibi, cum illius imposuit tumulo. Hæc cernentes Alexandrini, læti supramodū, noctibus totis ac diebus festum celebrabāt, ignari quid intra vlceratum pectus Imperator occuleret. Hæc enim omnia per simulationē faciebat, vt vniúersam illorum multitudinem contrucidaret. Latentis odij causa talis erat. Nuntiatum ei fuerat Romæ agenti, viuo adhuc patre, atque item pòst extincto, multa in ipsum dicere Alexandrinos. Sunt enim homines suapte natura dicaces, atque ad describendum illudendúmque maximè facti, iactantes in optimum quemque & potentissimum dicteria quædam, vt quidem ipsi putant, festiua, vt autem videntur iis in quos dicūtur, longè grauissima. quippe huiuscemodi iocorum, vel maximè illa permouēt quibus delicti veritas arguitur. Quare quū multa in eum dixissent, ne dissimulata quidē fraterna cæde, matrémq; etiam Iocastam vulgò appellarēt, irriderént q; ipsum, quòd tantulæ homo staturæ, Alexandrum atque Achillem maximos ac fortissimos heroas æmularetur: dum ludere se

Nescia mens Alexandrinorum fati sortísque futura hic pyrausta gaudio fruitur.

Effrenes linguæ, infelices.

Quàm periculosum est scurriliter ludere verbis aut scriptis aduer-

se putant, eò impulerunt Antoninum, hominem suapte natura iracundum atque valde sanguinarium; vt perniciem illis insidiásque moliretur. Igitur celebritate ac festo vna cum illis iam peracto, quum videret maximam hominum multitudinem ex vicinis regionibus confluxisse in vrbem, monuit edicto vt in planitiem quandam iuuentus vniuersa conueniret, velle affirmans, sicuti Macedonicam Spartanámque habebat, ita etiam in Alexandri honorem ipsius herois cognomento phalangem constituere. Iubet igitur consistere iuuenes vniuersos, relicto interuallo, vt singulorum ætatem staturámque, & corporis habitudinem militiæ idoneam consideraret. His creditis iuuenes omnes, ac verisimili spe ducti ob insignem honorem paulo antè exhibitum principi, conueniunt frequentes vnà cum parentibus atque germanis, lætis gratulátibúsque eorum spem. At verò Antoninus singulos inter se distantes circumiens contrectánsque, & aliud in alio laudans præteribat, donec illos, neque id animaduertentes neque expectantes, vniuersus circunueniret exercitus. vt verò coniecturam fecit iam esse omnes militum suorum armis inclusos, quasique retibus implicitos, ipse quum omnes circumiuisset, statim cum suo præsidio excessit, ac signũ militibus dedit. qui statim facto vndique impetu, deprehẽsam in medio inermem iuuentutem, cæterósque qui aderant, magna cæde contrucidant. atque è militibus alij cędem tantùm faciebant, alij foueis ingentibus cadauera obruebant, aggestáque desuper humo immanem tumulum excitarunt. Multi etiam in eas foueas semiuiui protrahebantur, multi adhuc integri detrudebantur. Sed & milites nonnulli simul perierũt. Nam qui reliquias adhuc aliquas spiritus retinebant, neque penitus defecti erant viribus, impliciti proruentibus se militibus, eos quoque secum

Fas eos qui non modò verba dare & proscribere, verùm etiam occidere & momento quodam luctuosis modis te tuósque tollere de medio!

Leoninã vulpinam assuunt tyranni: & iniuriarum vel leuissimarum sunt tenaces.

Horrenda laniena effigies.

V

trahebant in foueam. Tanta est autem facta cædes, vt riuis cruoris per planitiem decurrentibus, cum fauces ipsæ Nili ingentes, tum littus omne circa vrbem purpurasceret.

Crudelis animus, potentia fretus & dolis nihil nisi cædes & triumphos Sanguine partos molitur.

6 QVVM autem talia aduersus vrbem illã perpetrasset, inde mouit, atque Antiochiam venit. Sed non longo post tempore affectans Parthici cognomen famámque deuictæ ad orienté barbariæ, quanquam in altissima pace, tale quiddam machinatur: Dat literas ad regem Parthorum Artabanum, simúlque legatos cum muneribus mittit omnis materiæ & artis cõspicuæ. In eis literis fuerat scriptum velle se regis filiam ducere in matrimonium, principem se esse, & principe natũ, quare haud decorum priuati cuiusquam & tenuis fieri generum, sed reginam ducere potius filiámque magni regis. Duo maxima imperia esse, Romanum & Parthicum, quibus affinitate illa in vnum coeuntibus, ac nullo iam discriminante fluuio, vnam tantùm potentiam factum iri, nullis expugnabilem viribus. Nam reliquas barbaras nationes quæ nunc amborum imperiis subiectæ sunt, facilè iugum toleraturas, si proprias gens quæque & conuentus sit habitura rectores. Esse Romanis pedestrem exercitũ, qui hastis & stataria pugna cæteros antecellat: Parthis verò equitatum plurimum, peritissimósque sagittarios. His igitur concurrentibus & quę vsui ad bellum sunt in vnũ conspirantibus, facile ipsos sub vno diademate totius orbis terrarum imperium retenturos. pręterea odoramenta quę apud illos proueniant, telásque laudatissimas, contráque apud Romanos metalla ipsa, & quæcunque arte aliqua conspicua visuntur, nõ iam vix raróque & clanculum per mercatores importatum iri, sed in vna duntaxat terra vndique imperio, communémque foré vtrisque vsum rerũ omnium, miniméque impeditum. His eius literis Parthus acceptis

At pudore extincto, mẽdaciis honesti & vtilis specie velatis pascitur. atque incautos decipit.

Quanuis

ceptis, primo quidem abnuere, negare Romano conuenire barbarum matrimonium. quam enim fore concordiam, neque voce satis congruentibus, & victu habitúq; inter se distantibus? esse Romæ patritios permultos quorum sibi ille optare liberos in matrimonium possit, sicuti itidem apud se Arsacidas. Neque vllam sanè extare causam cur alterutrum genus adulteretur. Hęc igitur à principio rescribẽs, conditionem aspernabatur. Sed instanti Antonino, donísque & iureiurando fidem studij sui & charitatis vxoriæ facienti, credidit barbarus: ac pollicitus daturum filiam, generum iam ipsum appellitabat. Cuius rei vulgata mox fama, barbari scilicet omnes ad Romanum suscipiendum principem se comparabant, spe quadã sempiternæ pacis exultantes. Cæterùm Antoninus prohibente nullo fluuios transgressus, ac iam Parthicam regionem quasi propriam peragrãs, sacrificantibus passim vniuersis, supráque coronata altaria odores omnifarios incendentibus, lætum se honore illo barbarorum magnopere simulabat. Postea verò quàm magno itinere facto, ad ipsam Artabani regiam appropinquabat, occurrit, ei rex in quadam ante vrbem planitie, nouum nuptum excepturus, generúmque suum. Sed barbarorum magna multitudo, floribus indigenis coronati, atque induti vestes auro diuersísque coloribus varias, festum agitabant, ad tibiarum fistularúmque & tympanorum sonitus saltantes numerosè. quippe huiuscemodi tripudiis supra modũ delectantur, præsertim quum se temeto largius inuitarunt. Sed vbi omnis multitudo confluxit, ac relictis equis, pharetrísque & arcubus depositis, inter libamina & calices agitabant, collectique in vnum barbarorum quamplurimi, temere inordinatique constiterãt, nihil suspectantes mali, sed pro se quisque studentes videre nouum nuptum: tum signo

autem non prima vice fides illis adhibeatur, tamen in malitia pergunt, quam vt ad finem ducant, periurus homines, vt pueri pueros astragalis circumueniũt.

Nouorum fœderum fama inexpertis & stolido vulgo gratissima.

Coniugij nomen speciosum prudentiores decipit.

Et quid mali cogitare possunt qui ad epulas & gaudia publica inuitantur?

dato Antoninus militibus imperat, impetum cædémque in barbaros faciant. Illi re ſubita perterriti, cædentibus ſauciantibúſque Romanis terga obuertunt. Ipſe Artabanus a ſuis ſtipatoribus raptus, atque equo impoſitus, vis ægréque cum paucis fugiens elabitur. Reliqua verò multitudo barbarorum paſſim cædebatur: quippe neque equos habebant, quibus maximè vtuntur, (deſcenderant enim ex iis, paſtúmque dimiſerant) neque ipſi euadere fuga poterant, impediente curſum fluxa veſte, ad pedes vſque deducta. Porrò pharetras aut arcus omnino non attulerant: nam quid illis opus ad nuptias? Ita ingenti cæde barbarorum facta, Antoninus prædáque & hominibus magna copia captis diſcedit, reſiſtente nullo, vicíſque & vrbibus incenſis, data poteſtate militibus rapiendi quod quiſque poſſet aut vellet. Hãc igitur calamitatem haud opinatò barbari acceperunt. Antoninus autem regionem Parthicam penitus ingreſſus, defeſſis iam rapiendo cædendóque militibus, reuertitur in Meſopotamiam. Indéque ſenatui populóque Romano per literas ſignificat ſubactum à ſe orientem, cunctóſque illius regni mortales in ſuam ditionem conceſſiſſe. At ſenatus quanquam totius negotij gnarus (quippe principũ res latere nullo pacto poſſunt) metu tamen atque aſſentatione cunctos illi honores victoriæ decernunt. Subſtitit autem poſt id Antoninus in Meſopotamia, ſtudio aurigandi ac beluarum venationibus intentus.

Quàm execranda autem eſt proditio inſontes & imbelles ſine diſcrimine mactare, & lectis luctus, thalamíſque ſubſtituere tumulos. Eheu! infelicis huius noſtri ſeculi tabula!

Impudentia impietatis & iniuſtitiæ cumulus, de proditione, periurio & immaniſſima laniena gloriari.

7 Erant porro præfecti exercituum duo, Audentius & Macrinus. quorum alter ſenex iam rerúmque ciuilium planè rudis, haud tamen imperitus rei militaris habebatur: alter & in foro verſatus, & legum conſultiſſimus. In hunc igitur vt parum militarem minimèque fortem virum, publicè nonnunquã princeps cauillabatur, ne conuitiis quidem

At vigilat iuſtitiæ diuinæ oculus, qui parricidam, perfidum, impiũ tyrannum ad merita

turp

turpibus abstinens. Nam audito illum & victum vsurpare liberaliorẽ, & aspernari vilissima abiectissimáque cibaria quibus Antoninus militariter delectabatur, chlamydémque & vestem cæteram ad vrbanum modum gestare, quasi degenerem ipsum, morbóque muliebri laborantem calumniabatur, minitans etiam occisurum. Quorum impatiens Macrinus, vehementer exacerbatus est. Accidit autem res huiuscemodi. quippe habitura finem aliquando fuerat Antonini vita. Nam quum suapte natura curiosior esset, non hominum modò res cognoscere studebat, sed deorum dæmonúmque etiam rimari arcana: metúque semper insidiarum, nullis non oraculis incubabat, accitis vndique magis, astrologis, aruspicibus: ac nullo planè præterito qui huiuscemodi fallacias profiteretur. Sed eos quoque suspectans, vt parum vera loquentes omniáque ad assentationem vaticinantes, scribit ad Maternianum quẽdam, cui rerum suarum omnium curam in vrbe crediderat, & quem sibi ex amicis omnibus fidissimum putabat, consciúmque omnium secretorum solum habuerat, magos vndique optimos conquirat, atque euocatis manibus de fine ipsius vitæ consulat, & an quisquam imperio insidietur. At Maternianus nauata principi opera, siue id re vera manes significauerant, siue alioqui Macrinum perosus, rescribit Antonino, Macrinum esse qui insidietur imperio, eúmque è medio tollendum. Has igitur literas, vt mos est, cum reliquis obsignatas, dat ignaris quid ferrent tabellariis. Illi cõsueta vsi itineris celeritate, ad Antoninum perueniunt, quo ille potissimùm tempore ad aurigandum se parabat, ac iam currum conscendebat. Ita ei reddunt integrum epistolarũ fasciculũ, in quibus erant etiam literæ, quæ ad Macrinum pertinebãt. At verò Antoninus studio iam omni atque animo ad auri-

supplicia sensim pertrabit.

Crudeles & multiplici periurio fœdati non perducunt ad dimidium dies suos.

Sed malitia & impietatis suæ funibus pertracti, ad theatrum horrendi supplicij celeriter pergunt: nefandis artibus, impuris hominibus & geniis mancipati, aeternísque addicti cruciatibus.

Magia doctores dæmones, Materniano &

Antonino illudentes, quod præcipuum fuit, videlicet vt Macrinus consultationis Maternianæ nō esset cōscius, omittunt. Antoninus oscitantia sua luit pœnas. Macrinus Numinis iudicio arcano ad aliud supplicium reseruatur.

gandum intentus, imperat Macrino vt ipse literas seorsum inspiciat, ac siquid maioris momenti sit, renuntiet: sin minus, ipse de more, suum, hoc est præfecti officium exequatur: quippe talia identidem iniungere consueuerat. Ipse deinde ad suum studium perrexit. Macrinus seorsum epistolis omnibus solutis, etiam in eam incidit quæ ipsi perniciem afferebat. Cognito igitur quantum periculi impenderet, ac gnarus Antonini iracundiæ truculentiæque, præsertim tam specioso prætextu, subtrahit epistolam illam. Ceterarum verò (vt solebat) argumenta principi renuntiat. Sed metuens ne iterum super eiuscemodi rebus Maternianus rescriberet, malens facere ipse aliquid quàm expectādo pati, tale quiddam comminiscitur. Erat Martialis quidam centurio vnus e custodibus corporis Antonini, semper illum assectari solitus, cuius fratrem paucis ante diebus princeps delatum tantùm sed minime redargutum occiderat, ipsúmque Martialē per contumeliam timidum ac degenerem & Macrini amicum appellauerat. Hunc vehementer dolentem fratris nece propriisque incitatum cōtumeliis, gnarus omnium Macrinus ad se vocat, studiosum iampridem sui, ac multis obstrictum beneficiis: cui persuadet vt captato quamprimùm tēpore Antoninum obtruncet. Ille cum promissis adductus, tum proprio odio ac vindictæ fraternæ studio incitatus, libēter omnia se facturum pollicetur, quum primùm occasio euenisset. Euenit autem haud multo post, quippe agens Carrhis, quæ est Mesopotamiæ vrbs, Antoninus, deæ Lunæ inuisit templum, quod in ea regione distans aliquantum ab vrbe, præcipuo honore ab incolis colitur. Eò secum paucos equitum eduxit, relicto exercitu cætero, vt sacrificio facto in vrbem reuerteretur. Medio autem itinere, vētre vrgēte, vnó tantùm famulo comitatus, ac reliquis abs-

Martialis, quam potēs sit magnatū commonefactio, odium in crudelem principem, & iusti doloris telum ostendit.

Vias iudex iustus ape-

sistere

ſiſtere iuſſis receſſit ad requiſita naturæ. Quare aduerſis omnibus, & quàm longiſſimè recedentibus, honoris ac reuerentiæ cauſa, Martialis, qui omnes temporum captabat articulos, vt eum ſolum eſſe animaduertit, ceu nutu principis ad videndum aliquid, aut audiendum vocatus, accurrit ilicò, auerſúmque & ſubligacula ſibi deducentem pugione traiicit quem celatum manu attulerat: & quum in ipſam iuncturam ferrum incidiſſet, lethali ſcilicet vulnere de improuiſo Antoninus minimè defenſus occubuit. Quo facto, Martialis ſtatim equum inſcendit, ac fuga euadere conatur. Cæterùm Germani equites, quibus & delectabatur Antoninus, & cuſtodibus corporis vtebatur, propiores cæteris, priníque facinus conſpicati, Martialem conſequuti miſſilibus confodiunt. Quod vbi exercitus reliquis cognouit, omnes ſubitò concurrerunt: primúſque Macrinus ſupra cadauer conqueri, ac delamentari per ſimulationem cœpit. Grauis ea res, & moleſta quoque militibus incidit, commilitonem comiſtorémque aliquem amiſiſſe, non principem exiſtimantibus. Neque de Macrino quippiam illis adhuc ſuboleuerat, putantibus Martialem proprias inimicitias perſequutum. Ita in ſua quiſque tabernacula diſceſſere. At Macrinus tradito igni corpuſculo, reliquias intra vrnam coniectas matri ad ſepulturam remiſit. Ea tunc Antiochiæ morabatur. Móxq; ob ſimiles liberorum calamitates, incertum ſponè an imperio alicuius, abſtinentia mortem ſibi conſciuit. Hunc finem habuerunt Antoninus, & Iulia mater, quum quidem ad eum, quem diximus, modum vixiſſent, ac ſexennium tantùm ille ſine parente germanóque ſuo imperauiſſet.

rit, & mirando quodam modo theatrum erigit, ſuper quod tyrannos nihil tale cogitantes, cunctis obſtupeſcentibus, rapit & per ſuos carnifices obtruncat.

Latronibus luctuoſũ eſt ſodalium ſuorum ſupplicium.

Mater animi ægritudine obruta, vt miſera eſſe deſinat, æternæ miſeriæ porticum ingreſſa, filium ſubſequitur.

ÆLII SPARTIANI
Antoninus Caracallus.

BREVIARIVM.

1 *Baßianus, postea Antoninus, puer maximam spem de se præbet, Senatui & populo charus. Adolescens mutato ingenio Alexandri magni simia, crudedeles mores, præcipuè in parricidio Getæ, detegit, cuius familiares & amicos obtruncat.*

2 *Varia eius gesta per varias Imperii prouinias; tandem insidiis à Marino positis interemptus est.*

3 *De Deo Luno, de Papiniani nece, de Antonini filio Heliogabalo.*

4 *Opera Caracalli, ut illud cognomen accepit, de eiusdem nuptiis cum nouerca Iulia, variis item nominibus, & ridicula apotheosi.*

1 *Baßianus, postea Antoninus cognomine Caracallus.*

EX duobus liberis quos Septimius Seuerus reliquit, Getam & Baßianum, quorum vnum exercitus, alterum pater dixit, Geta hostis est iudicatus, Baßianum autem obtinuisse imperium constat: de cuius maioribus frustra putamus iterandum, quum omnia in Seueri vita satis dicta sint. Huius igitur pueritia blanda, ingeniosa, parentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, grata Senatui, ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. Non ille in litteris tardus, non in beneuolentiis segnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia, sed sub parentibus, visus. Denique, si quādo feris obiectos damnatos vidit, fleuit, aut oculos auertit: quod populo plusquam amabile fuit. Septennis puer quum collusorem suum

Puer maximæ spei.

Clemens, vt fuit etiam Nero. Exempla clementiæ puerilis.

ſuum puerum, ob Iudaicã religionem grauius verberatum audiſſet, neq; patrem ſuum neque patrem pueri vel autores verberum diu reſpexit. Antiochẽſibus & Byzantiis interuentu ſuo iura vetuſta reſtituit: quibus iratus fuit Seuerus quòd Nigrum iuuerant. Plautiani odium crudelitatis cauſa concepit. Quæ à parentibus gratia ſigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel magiſtris ſpõte donauit. Sed hæc puer. Egreſſus verò pueritiam, ſeu patris monitis, ſeu calliditate ingenij, ſiue quòd ſe Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, reſtrictior, grauior, vultu etiam truculentior factus eſt, prorſus vt eum quem puerum ſciret, multi eſſe non crederent. Alexandrum Magnum eiúſque geſta in ore ſemper habuit. Tiberium & Syllam in conuentu plerunque laudauit. Patre ſuperbior fuit: fratrem magna eius humilitate deſpexit. Poſt patris mortem in caſtra prætoria pergens, apud milites conqueſtus eſt, circumueniri ſe fratris inſidiis: atque ita fratrem in palatio fecit occidi. eius corpus ſtatim cremari præcepit. Dixit præterea in caſtris fratrem ſibi venenum paraſſe, matri eum irreuerentem fuiſſe: egítque publicè iis gratias qui eum occiderunt. Addidit denique iis qui fideliores erga ſe fuerant, ſtipendium. Pars militum apud Albam, Getam occiſum ægerrimè accepit, dicentibus cunctis, duobus ſe fidem promiſiſſe liberis Seueri duobus ſeruare debere. clauſíſque portis diu imperator non admiſſus, niſi delinitis animis, non ſolùm querelis de Geta & criminationibus editis, ſed enormitate ſtipendij militibus (vt ſolet) placatis: atque inde Romam rediit. Tunc ſub veſte ſenatoria loricam habens, cum armatis militibus curiam ingreſſus eſt. Hos in medio inter ſubſellia duplici ordine collocauit, & ſic verba fecit. Queſtus eſt de fratris inſidiis inuolutè & inconditè, ad illius accuſationem, ſui verò ex-

Qua obatatis imbecillitatem latebat feritas, temporis progreſſu foras erumpit.

Superbia tyrannidis mater.

Parricidiũ nefandiſſimum.

Quibus artibus tectũ.

Et qua ratione coram ſenatu excuſatum.

cusationem : quod quidem nec senatus libenter accepit, quum ille dixisset, fratri se omnia permisisse, fratrem ab insidiis liberasse : & illum tamen sibi grauissimas insidias fecisse, nec vicem amori reddidisse fraterno. Post hoc relegatis deportatisq; reditum in patriam restituit : inde ad prætorianos processit, & in castris mansit. Altera die capitolium petiit : & eos quos occidere parabat, affabiliter est alloquutus, inniténsque Papiniano & Chiloni, ad palatium rediit. Quum flentem matrem Getæ vidisset, aliásque mulieres, post necem fratris, mulieres occidere conatus est: sed ob hoc retentus ne augeretur fratris occisi crudelitas. Lætum ad mortem coegit, misso à se veneno : ipse enim inter suasores Getæ mortis primus fuerat, qui & primus interemptus est. Ipse mortem eius sæpissime fleuit. Multos qui cædis eius conscij fuerant, interemit, eúmque & imaginem eius honorauit. Post hoc fratrem patruelem Afrum, cui pridie partes de cœna miserat, iussit occidi. Qui quum se præcipitasset percussorum timore, & ad vxorem crure fracto erepsisset, tamen per ludibrium à percussoribus deprehensus est, & occisus. Occidit etiam Pompeianũ Marci nepotem ex filia natum & ex Pompeiano cui nupta fuerat Lucilla post mortem Veri imperatoris : quem & cõsulem bis fecerat, & omnibus bellis præposuerat, quæ grauissima tunc fuerunt: & ita quidem vt videretur à latronibus interemptus. Deinde in cõspectu eius Papinianus securi percussus est, & à militibus occisus : quo facto percussori dixit, *Gladio te exequi oportuit meum iussum.* Occisus est etiam eius iussu Petronius ante templum diui Pij, tractáque sunt eorum per plateam cadauera sine aliqua humanitatis reuerentia. Filium autem Papiniani, qui ante triduum quæstor opulentum munus ediderat, interemit. Iisdem diebus occisi sunt innumeri, qui fratris eius

Crudeli simulatione & tandem nouis cadibus veluti renouatum.

Tyrannidis horrenda effigies.

Nulli parcit ambitio saeua.

Et benemeritos homines ac Reipublicæ fulcra euertere gaudet.

eius partibus fauerant. Occisi etiam liberti qui Getæ administrauerant. Cædes deinde in omnibus locis & in balneis factæ. Occisique nonnulli etiam cœnantes, inter quos etiam Sammonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant. In summum discrimen etiam Chilo iterum præfectus & consul venit, ob hoc quòd concordiam inter fratres suaserat. Et quum idem Chilo sublata veste senatoria, nudis pedibus ab vrbanicianis raptus esset Antoninus seditionem compressit. Multas præterea postea cædes in vrbe fecit, passim raptis à militibus nonnullis hominibus & occisis, quasi seditionem vindicans. Heluium Pertinacem suffectum cos. ob hoc solùm quòd filius esset Imperatoris, occidit. Neque cessauit vnquam sub diuersis occasionibus eos interficere qui fratris amici fuissent. Sæpe in senatum, sæpe in populum superbè inuectus est, aut edictis propositis aut orationibus editis, Syllam se etiam ostendens futurum.

Sanguine humano promiscuè & abunde effuso pascitur.

Nec dignitatum, nominum, vel ætatum gradus inspicit, & sæuiendi quascunque potest capiat occasiones.

2 His gestis Galliam petiit: atque vt primùm in eam venit, Narbonensem proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis qui in Gallia res regebant, odium tyrannicum meruit, quanuis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus. Et quum multa contra homines, & contra iura ciuitatum fecisset, morbo implicitus grauiter laborauit. Circa eos qui eum curabant, crudelissimus fuit deinde ad orientem profectionem parans, omisso itinere in Dacia resedit. Circa Rhetiam non paucos barbaros interemit, militésque suos quasi Syllæ milites & cohortatus est & donauit. Deorum sanè se nominibus appellari vetuit, quod Commodus fecerat, quum illi eum, quòd leonem aliásque feras occidisset, Herculem dicerent. Et quum Germanos subegisset, *Germanicum* se appellauit: vel ioco vel serio, vt erat

In omnes sæuiens, omnibus metuendus, in omniū odia incurrit.

Vanâ superbiâ effertur Antoninus.

Naufragiũ euadit, crudeliori atque turpiori supplicio reseruatus.

ſtultus & demens, aſſerens ſi Lucanos viciſſet, Lucanicum ſe appellandum. Damnati ſunt eo tempore qui vrinam in eo loco fecerunt in quo ſtatuæ aut imagines erant principis: & qui coronas imaginibus eius detraxerant vt alias ponerent. Damnati ſunt & qui remedia quartanis tertianiſque collo annexa geſtarent. Per Thracias cum præf. præt. iter fecit, inde quum in Aſiam traiiceret, naufragij periculum adiit, antemna fracta, ita vt in ſcapham cum protectoribus deſcenderet. Vnde in triremem à præfecto claſſis receptus, euaſit. Excepit apros frequenter, contra leonem etiam ſtetit: quo etiam miſſis ad amicos literis gloriatus eſt: ſéque ad Herculis virtutem acceſſiſſe iactauit. 6 Poſt hoc ad bellũ Armeniacum Parthicúmque conuerſus, ducem bellicum qui ſuis competebat moribus fecit. Inde Alexandriam petiit: in gymnaſium populum conuocauit, eúmque obiurgauit: legi etiam validos ad militiam præcepit. Eos autem quos legerat, occidit exemplo Ptolemæi Euergetis, qui octauus hoc nomine appellatus eſt. Dato præterea ſigno militibus vt hoſpites ſuos occiderent, magnam cædem Alexandriæ fecit. Dehinc per Caduſios fines & Babylonios ingreſſus, tumultuariè cum Parthorum ſatrapis manum contulit, feris etiam beſtiis in hoſtes immiſſis. Datis ad ſenatum, quaſi poſt victoriam literis, *Parthicus* appellatus eſt: nam Germanici nomen patre viuo fuerat conſequutus. Deinde quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hybernare Edeſſæ, atque inde Carras Luni dei gratia veniſſet, die natalis ſui, VIII Idus Aprilis ipſis Megalenſibus quum ad requiſita naturæ diſceſſiſſet, inſidiis à Macrino præfecto præt. poſitis qui poſt eum inuaſit imperium, interemptus eſt. Conſcij cædis fuerunt Nemeſianus & frater eius Appollinaris Retianúſque qui præfect.

Alexandrinos & Parthos proditoriè mactat. Quid à crudeli & perfido tyranno aliud quàm lanienas expectes?

At ſupplicij grauitate pœnæ tarditatẽ patientia diuina compenſat.

fect. legionis secundæ Parthicæ militabat, & qui equitibus extraordinariis præerat, non ignorantibus Martio Agrippa qui classi præerat, & præterea plerisque officialium impulsu Martialis. Occisus est autem in medio itinere inter Carras & Edessam quum leuandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, atque inter protectores suos, coniuratos cædis, ageret. Denique quum illum in equum strator eius leuaret, pugione latus eius confodit conclamatúmque ab omnibus est id Martialem fecisse.

Quo modo, quo loco, qua manu interfectus Antoninus.

3 Et quoniam dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita tunc quoque à Carrenis præcipuè haberi, vt qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putauerit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inseruiat: at verò qui marem deum esse crediderit, is dominetur vxori, neque vllas muliebres patiatur insidias. Vnde quanuis Græci vel Aegyptij eo genere quo fœminam hominem etiam Lunam deam dicant, mysticè tamen deum dicunt.

De Deo Luno Spartiani sententia.

Scio de Papiniani nece multos ita in literas retulisse vt cædis non asciuerint causam, aliis alia referentibus: sed ego malui veritatem opinionũ edere quàm de tanti viri cæde reticere. Papinianum amicissimum fuisse imperatori Seuero, &, vt aliqui loquuntur, affinem etiam per secundam vxorem, memoriæ traditur: & huic præcipuè vtrunque filium à Seuero commendatum, eúmque cum Seuero professum, sub Scæuola & Seuero in aduocatione fisci successisse, atque ad hoc concordiam fratrum Antoninorum fouisse: egisse quinetiam ne occideretur, quum iam de insidiis eius Bassianus quereretur: atque ideo vnà cum iis qui fautores fuerant Getæ à militibus, non solùm permittente, verumetiam suadente Antonino, occisum. Multi dicunt Bassianum occiso fratre illi mandasse, vt & in senatu per

De Papiniani nece.

Quis ille fuerit.

Quare suasu Antonini sit occisus. Est autem Pap. animus optimi consiliarij imago: quod memorando a-

pophthegma te & inuictaeiusdem constantia probatur.

se & apud populum facinus dilueret: illum autem respondisse, *Nõ tã facilè parricidium excusari posse quàm fieri.* Est etiam hæc fabella quòd dictare noluerit orationem qua inuehendum erat in fratrem vt causa eius melior fieret qui occideret: illum autem negantem respondisse, *Aliud est parricidium, accusare innocentem occisum.* Sed hoc omnino non conuenit: nam neque præfectus poterat dictare orationem. & constat eum quasi fautorem Getæ occisum. Et fertur quidem, Papinianum, quum raptus à militibus ad palatium traheretur occidendus, prædiuinasse, dicentem, *Stultissimum fore qui in suum subrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret.* Quod factum est: nam Macrinus occidit, vt suprà exposuimus: qui cum filio factus in castris Imperator, filium suum qui Diadumenus vocabatur, Antoninum vocauit, idcirco quòd à prætorianis multùm Antoninus desideratus est. Bassianus vixit annis XLIII. Imperauit annis VI. Publico funere elatus est. Filium reliquit qui postea & ipse M. Antoninus Heliogabalus est dictus: ita enim nomen Antoninorum inoleuerat vt velli ex animis hominum non posset: quòd omnium pectora velut Augusti nomen obsederat. Fuit malè moratus, & patre duro crudelior. Auidus cibi, vini etiam appetés, suis odiosus & præter milites prætorianos omnibus castris exosus: prorsus nihil inter fratres simile. Opera Romæ reliquit, thermas nominis sui eximias: quarum cellam solearem architecti negant posse vlla imitatione qua facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est: & tantum est spatium vt idipsum fieri negent potuisse docti mechanici. Reliquit & porticũ patris nomine, quæ gesta illius contineret, & triumphos & bella. Ipse Caracalli nomen

Macrinus Bassiano succedit.

Bassiani ætas, & imperij curriculum.

Mores.

Opera.

Cognomen Caracalli.

acc

accepit à veſtimento quod populo dederat demiſſo vſque ad talos: (quod ante non fuerat) vnde hodiéque *Antoninianæ* dicuntur caracallæ huiuſmodi, in vſu maximè Romanæ plebis frequentatæ. Idem viam nouam muniuit, quæ eſt ſub eius thermis, Antoninianis ſcilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facilè quicquam inuenias. Sacra Iſidis Romam deportauit, & templa vbique magnifica eidem deæ fecit. Sacra etiam maiore reuerentia celebrauit quàm ante celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quem ad modum ſacra Iſidis primùm per hunc Romam veniſſe dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebrauerit vt & Anubin portaret, & Pauſa ſederet: niſi fortè iſte addidit celebritati, non eam primus inuexit. Corpus eius Antoninorum ſepulchro illatum eſt, vt ea ſedes reliquias eius acciperet quæ nomẽ addiderat. Intereſt ſcire quemadmodum nouercam ſuam Iuliam vxorem duxiſſe dicatur. Quæ quum eſſet pulcherrima, & quaſi per negligentiam ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſſétque Antoninus, *Vellem, ſi liceret*: reſpondiſſe fertur, *Si libet, licet. An neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare non accipere?* Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus eſt nuptiáſque eas celebrauit quas ſi ſciret ſe leges dare, vere ſolus prohibere debuiſſet. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit vxorem, ad parricidium iunxit inceſtum: ſiquidem eam matrimonio ſociauit cuius filium nuper occiderat. Non ab re eſt etiam diaſyrticum quiddam in eum dictum addere. Nam quum Germanici & Parthici & Arabici & Alemannici nomen aſcriberet (nam Alemannorum gentem deuicerat) Heluius Pertinax filius Pertinacis dicitur ioco dixiſſe, *Adde ſi placet etiam Geticus Maximus*, quòd Getam occiderat fratrem,

Superſtitiones Aegyptiacæ.

Funus & ſepultura.

Inceſtus nefandus.

Exleges omnium hominum ſunt iniuſtiſſimi.

Quum ſtricto gladio ferreo tyranni non impetunt linguarum acutos mucrones perſentiunt.

& Gotti Getæ dicerētur: quos ille dum ad orientem transiit, tumultuariis præliis deuicerat. Occidendi Getæ multa prodigia extiterunt, vt in vita eius exponemus. Nam quanuis prior ille è vita excesserit, nos tamen ordinem sequuti sumus, vt, qui & prior natus est. & prior imperare cœperat, prior scriberetur. Eo sane tempore quo ab exercitu appellatus est Augustus viuo patre, quòd ille pedibus æger gubernare non posse videretur imperium, contusis animis militum & tribunorum, Seuerus dicitur animo volutasse, vt & hunc occideret, nisi repugnassent præfecti eius graues viri. Aliqui contra dicunt, præfect. voluisse id fieri, sed Septimium noluisse, ne & seueritas illius crudelitatis nomine inquinaretur: & quum autores criminis milites fuerint, adolescens stultæ temeritatis pœnas lueret tam grauis supplicij titulo vt à patre videretur occisus. Hic tamen omnium durissimus, & vt vno complectamur verbo, parricida & incestus, patris & matris & fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum, ac maximè prætorianorum, inter deos relatus est. Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos, qui Faustinæ templum & diuale nomen eripuit: certè templum quod ei sub Tauri radicibus fundauerat olim maritus Antoninus, in quo postea filius Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi, vel Ioui Syrio, vel soli (incertum enim id est) templum fecit.

Caracalli audacia intempestiua à Seuero patre repressa, non omnino autem cōtusa: quod cùm prætermissum fuit, Seuero ipsi & aliis inclemens ista clementia peperit exitium.

Execranda sacra Caracalli parricida, & prodigiosa aulicorum adulatio.

AELII

ÆLII SPARTIANI
Antoninus Geta.

BREVIARIVM.

1 *Geta cur cognominatus Antoninus: quid de eo Seuerus pater senserit.*

2 *Natales Getæ variáque omina cædis eiusdem, ac scitè dicta quæ indolem clementem arguunt.*

3 *Mores, viuendi ratio, & mors Getæ, vnde militum indignatio atque seditio Baßiani artibus sopita Baßiani ad Getæ fratris interfecti mentionem lachrymæ.*

Ad Constantinum Augustum.

SCIO Constantine Auguste, & multos & clementiam tuam quæstionem mouere posse cur etiam Geta Antoninus à me tradatur. de cuius priusquam vel vita vel nece dicam, dissseram cur & ipsi *Antonini* a Seuero patre sit nomen appositum. Neque enim multa in eius vita dici possunt, qui prius rebus humanis exemptus est quàm cum fratre teneret imperium. Septimius Seuerus quodam tempore quum consuluisset ac petiisset vt sibi indicaretur quo esset successore moriturus, in somnis vidit Antoninum sibi successurum. Quare statim ad milites processit, & Bassianum filium maiorem natu, M. Aurelium Antoninum appellauit. Quod quum fecisset, paterna cogitatione (vel vt quidam dicunt) à Iulia vxore commonitus, quæ gnara erat somnij, quòd minori filio hoc facto ipse interclusisset aditum imperandi, etiam Getam minorem filium, *Antoninum* vocari iussit. Itaque sem-

1 Cur Geta vitã & necem descripserit Spartianus.

Seueri curiositas castigata.

Futuris rebus humana solertia planè prouidere nequit.

Getæ nomen vnde. per ab eo in epiſtolis familiaribus dictus eſt Antoninus, quum, ſi forte abeſſet, ſcriberet, *Salutate Antoninos filios & ſucceſſores meos.* Sed nihil valuit patris matriſve cautio: nam ſolus ille ſucceſſit qui primus Antonini nomen accepit. Et hæc de Antonini nomine.] Geta autem dictus eſt, vel a patrui nomine, vel aui paterni: de cuius vita & moribus in vita Seueri Marius Maximus primo ſeptenario ſatis copiose retulit. Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quòd in animo habuit Seuerus vt omnes deinceps principes quemadmodum *Augusti*, ita etiam *Antonini* dicerentur: atque amore Marci quem fuiſſe vel fratrem ſuum dicebat, & cuius philoſophiam literarúmque inſtitutionem ſemper imitatus eſt. Dicunt aliqui, non in Marci honorem tantum Antonini nomini delatum, quum id Marcus adoptiuus habuerit, ſed in eius qui Pius cognominatus, Adriani ſcilicet ſucceſſoris: & quidem ob hoc quòd Seuerum ille ad fiſci aduocationem delegerat ex formula forenſi, quum ad tantos proceſſus ei patuiſſet dati ab Antonino primi gradus vel honoris auſpicium: ſimul quod nemo ei videretur felicior Imperator ad commodandum nomen, eo principe cuius proprium nomen iam per quatuor principes cucurriſſet. De hoc eodem Seuerus gnarus genituræ illius, cuius, vt plerique Afrorum, peritiſſimus fuit, dixiſſe fertur, *Mirum mihi videtur, Iuuenalis amantiſſime, Geta noſter diuus futurus, cuius nihil imperiale in genitura video.* Erat enim Iuuenalis præf. eius præt. Nec eum fefellit. Nam Baſſianus quum eum occidiſſet, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audirétque poſſe mitigari facinus ſi diuum fratrem appellaret, dixiſſe fertur, *Sit diuus dum non ſit viuus.* Denique eum inter diuos retulit, atque ideo vtcunque rediit cum fama in gratiam parricida.

Cur Antonini cognomen geſſit. Affectata autem illa nominis Antoninorum perennitas durauit, quamdiu ſummo rerũ arbitro viſum eſt. Et fallũtur qui nomina ſua ſcribunt in terris.

Aliud Seueriana curioſitatis exemplum.

Baſſiani impietas.

2 NATVS

2 NATVS est Geta Seuero & Vitellio coss. Mediolani, etsi aliter alij prodiderunt, VI. Calend. Iunias ex Iulia: quam idcirco Seuerus vxorem duxerat quòd eam in genitura habere compererat vt regis vxor esset, ísque priuatus, sed iam optimi in repub.loci. Statim vt natus est, nuntiatum est ouum gallinã in aula peperisse purpureum. Quod quum allatum Bassianus frater eius accepisset, & quasi paruulus applosum ad terram fregisset, Iulia dixisse fertur ioco, *Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti.* Idque ioco dictum, Seuerus altius quam quisquam præsentium accepit: à circumstantibus autem posteà velut diuinitus effusum approbatum est. Fuit etiam aliud omen. Nam quum in villa cuiusdam Antonini plebei hominis agnus natus esset qui vellus in fronte purpureum haberet, eadem die atque hora qua Geta natus est, audissétque ille ab aruspice, post Seuerum Antoninum imperaturum, ac de se ille auguraretur, sed tamen tale fati timeret indicium, ferro eum adegit: quod & ipsum signo fuit, Getam ab Antonino interimendum, vt postea satis claruit. Fuit etiam aliud omen ingens postea, vt exitus docuit huius facinoris quod euenit. Nam quum infantis Getę natalem Seuerus commendare vellet, hostiam popa nomine Antoninus percussit: quod tunc nec quæsitum nec animaduersum, pòst verò intellectum est. Fuit adolescens moribus asperis, sed non impiis, à natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum & vini varie conditi. Huius illud pueri fertur insigne, quòd quum vellet partium diuersarum viros Seuerus occidere, & inter suos diceret, *hostes vobis eripio*: consentirétque adeo vsque Bassianus vt eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos, Geta interrogasse fertur, quantus esset interficiendorum numerus: quúmque dixisset pater, ille interrogauit, *Isti habent parentes pa-*

Locus & tẽpus nataliũ Getæ, Iuliæ filii.

Mortis eius omen, matris ioco & patris silentio subtristi cõprobatum.

Omẽ aliud.

Aliud.

Mores Getæ.

Scitẽ dicta quibus patris nimiam seueritatem compescere studet.

bent propinquos? quum responsum esset, habere complures: *Plures ergo in ciuitate tristes erunt quàm læti quòd vicimus.* Et obtinuisset eius sententia, nisi Plautianus præfectus vel Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt. His accedebat Bassiani fratris nimia crudelitas: qui quum contenderet & diceret quasi ioco quasi serio, omnes cum liberis occidendos partium diuersarum, Geta ei dixisse dicitur, *Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere.* Quod dictum eius tunc nihil, pòst verò pro præsagio fuit. Fuit in literis assequendis & tenax veterum scriptorum, paternarum etiam sententiarum memor, fratri semper inuisus, matri amabilior quàm frater, subbalbè tamen canorus. Vestitus nitidi cupidissimus, ita vt patri doleret: siquid accepit à præsentibus, ad suum contulit cultum, neque quicquam cuipiam dedit.

Aliud omē ipsiusmet Getæ de nece sua.

Cultus eius.

3 POST Parthicum bellum quum Seuerus ingenti gloria floreret, Bassiano participe imperij appellato, Geta quoque Cæsaris & Antonini, vt quidam dicunt, nomen accepit. Familiare illi fuit has quæstiones grammaticis proponere, vt dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt,* eásque de veteribus approbare. Sereni Sammonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit. Habebat etiam istam consuetudinem, vt conuiuia & maximè prandia per singulas literas iuberet scientibus seruis, velut in quo erat anser, aprugna, anos: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam literam genera edulium caderent: & item fasianus, farta, ficus, & talia. Quare comis etiam habebatur in adolescentia. Occiso eo, pars militum quæ incorrupta erat,

Geta Cæsaris & Antonini nomen accipit.

Minutis quæstionib. grāmaticos exercet.

Et in conuiuiis idem ingenium ostentat.

par

parricidium ægerrimè accepit, dicentibus cunctis, duobus se liberis fidem promisisse, duobus seruare debere: clausísque portis diu non est imperator admissus. Denique nisi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendiis datis, Romam Bassianus redire non potuit. Post hæc denique & Papinianus, & multi alij interempti sunt, qui vel concordiæ fauerant, vel qui partium Getæ fuerant: ita vt vtriusque ordinis viri & in balneo cœnantes, & in publico percuterentur: Papinianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano quòd non gladio res peracta sit. Ventum denique est vsque ad seditionem vrbanicianorum militum: quos quidem non leui autoritate Bassianus compressit, tribuno eorum, vt alij dicunt, interfecto: vt alij, relegato. Ipse autem tantum timuit vt loricam sublato habens clauo, etiam curiam sit ingressus, atque ita rationem facti sui & necis Geticæ reddiderit. Quo quidem tempore Heluius Pertinax, filius Pertinacis, qui postea est ab eodem Bassiano interemptus, recitanti Faustino prætori & dicenti, *Sarmaticus maximus & Parthicus maximus*, dixisse dicitur, *Adde & Geticus maximus*, quasi Gotticus: quod dictum altius in pectus Bassiani descendit, vt postea nece Pertinacis est approbatum: nec solùm Pertinacis, sed & aliorum, vt suprà dictum est, passim & iniquè. Heluium autem etiam suspectum habuit affectatæ tyrannidis, quòd esset in amore omnium, & filius Pertinacis imperatoris: quæ res nulli facilè priuato satis tuta est. Funus Getæ accuratius fuisse dicitur quàm eius qui à fratre videretur occisus. Illatúsque est maiorum sepulchro, hoc est Seueri, quod est in Appia via euntibus ad portam dextrum, specie septizonij extructum, quod sibi ille viuus ornauerat. Occidere voluit & matrem Getæ, nouercam suam,

Desiderium sui militibus relinquit.

Amicis & familiarib. suis creat exitium.

Adeo charus multis, vt Bassianus frater non sine periculo sibi consuluerit.

Post Getæ mortẽ, Bassianus parricida sarcassimo perstringitur. Dicacitas autem hæc Heluio autori suo necẽ creat. vt innumeris aliis, quorũ exempla passim extant. Silentij merces tutissima.

Perfida Bassiani immanitas. Parricidium autem nec in animo ipsius parricidæ obliterari potest: sed manet alta mẽte repostum, & in lacrymas impium erumpere cogit.

quòd fratrem lugeret, & mulieres quas post reditum de curia flentes reperit. Fuit præterea eius immanitatis Antoninus, vt iis præcipue blandiretur quos ad necem destinabat, vt eius magis blandimentum timeretur quam iracundia. Mirum sanè omnibus videbatur quòd mortem Getæ toties ipse etiam fleret quoties nominis eius mentio fieret, quoties imago videretur aut statua. Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, imò tanta sitis cædis, vt modò fautores Getæ, modò inimicos occideret, quos fors obtulisset. quo facto magis Geta desiderabatur.

HERODIANI
Macrinus.

BREVIARIVM.

1 *Macrinus Antonino Caracallæ succedit, & exercitum, accedentibus Parthis, ad prælium accendit.*

2 *Post repetitas pugnas Artabanus Parthorum rex de Antonini morte certior factus, pace cum Macrino inita discedit.*

3 *Literæ Macrini ad Senatum populúmque Romanum optimi principis indolem spirantes.*

4 *De morte Antonini & Macrini electione publica lætitia. In limine principatus grauiter impingit Macrinus, vnde conspiratio & excidium.*

5 *Baßianus Elæagabalus, Solis sacerdos, filius Antonini ex Sæmi Mæsæ filia, militibus Romanis placens, ab iis Imperator designatur.*

6 *Macrinus serò sibi prouidens cum Elæagabalo manus conferens, à suis desertus, fugit, & latebras captat, vbi repertus & interfectus est cum filio Diadumeno.*

EXTIN

EXTINCTO Antonino, incerti ignarique quid agerent milites, biduo sine Imperatore fuerunt, quærentes inter se quem potissimum principem deligerent. Siquidem aduentare magnis copiis Artabanus nuntiabatur, pœnas exacturus, & cæsis inter pacem ac libationes missurus inferias. Igitur principem deligunt, primò quidem Audentium, militarem scilicet virum, præfectúmque non improbum. sed ille senectutem excusans, abnuit imperium. dein verò Macrinum, suadentibus potissimùm tribunis, quos etiam conscios insidiarum Antonini, ac Macrino participes consilij fuisse, post illius mortem suspicio extitit, quemadmodum in sequentibus dicemus. Suscepit autem Macrinus imperium, non tam beneuolentia & fide militum fretus quàm necessitate impulsus vsúque præsenti. His actis, iam scilicet Artabanus multis copiis ac viribus aderat, equitatum ingentem, & sagittariorum multitudinem adducens, præterea cataphractos camelis insidentes, qui prælongis contis præliarentur. Quo cognito Macrinus conuocato exercitu, ita loquutus perhibetur, *Dolere vos omnes principis huiuscemodi, vel vt verius loquar, commilitonis interitu, minimè mirandum: sed calamitates casúsque humanos modicè ferre, id verò est prudentium. Cæterùm illius memoria vestris æternùm præcordiis insidebit, atque ad posteritatem propagabitur, rerum fortiter ac magnificè gestarum: præterea amoris beneuolentiæque & communicatorum vobiscum laborum laudem secum deferens sempiternam. Nunc autem postulat tempus honore habito illius memoriæ, iustísque omnibus persolutis, occurrere imminenti periculo. Videtis Barbarum instantem cum totius orientis multitudine, ac iustas (vt videtur) belli causas præferentem: siquidem nos illum priores lacessiuimus violato fœdere, atque in altissima pace bellum excitauimus. Nunc omne Roma-*

I *Corpus sine capite, exercitus duce suo priuatus*

Scopulos ad quos tot nautæ fecerunt naufragiū, prudens nauclerus Audentius declinat: Macrinus necessitate quadam raptus superare conatur.

Prudenti oratione, qua si secundis ventis, cursum dirigit. Argumenta autem proponit petita ab impossibili.

A iusto.

A necessario.

num imperium in virtutem vestram recumbit & fidem. Neque enim de finibus imperii, aut de fluminibus dimicatio nobis aduersus magnum regem, sed de omnibus fortunis est: quum scilicet liberos atque consanguineos suos vltum veniat, quos iniustè à nobis contraque fœdera occisos arbitratur. Igitur arma capiamus, atque (vt mos Romano est) ordines in prælio seruemus. quippe in acie barbarorum incomposita multitudo ac tumultuaria, ipsa se fortasse impediet. Vester autem ordo atque consensus, pugnandique peritia, sicuti vobis salutem, ita hostibus perniciem attulerit. Quapropter sic velim benè sperantes dimicetis, vt Romanos decet, vtque hactenus consuestis. Ita enim & barbaros ipsos fuderitis, & gloriam insignem adepti, fidem Romanis cæterisque omnibus feceritis, non dolo aut fraude vlla, sed virtute & armis superiorem victoriam à vobis partam.

Ab officio. *Ab vtili & honesto.* *A facili.* *A fine certaminis.* *A fructu victoriæ.*

2 QVAE postquam loquutus est, cognita necessitate, milites in ordines se recepere, atque in armis agitabant. Sole autem oriente conspiciunt Artabanum maximas secum copias adducentem. Vt autem solem barbari de more propitiarunt, confestim edito ingenti clamore concurrunt in Romanos, iisque adequitantes sagittas ingerunt. At Romani, decenti ordine & magna cum cautione acie instructa, Maurorúmque equitatu per latera disposito, ac receptis per interualla expeditis militibus quibus facilis esset excursio, fortiter resistentes, impetum barbarorum sustinebant, qui scilicet & sagittarum multitudine, & prælongis contis quibus cataphracti ex equis aut camelis depugnabant, pessimè Romanos accipiebant. Contra Romani quoties pedem conferebant, facilè scilicet aduersarios superabant. Postea verò quàm ab equitatu & camelorum multitudine premebantur, fuga simulata tribolos aliáq; machinamenta ferrea acuminata proiiciebant, quæ sub arenis latentia, neque cuiquam conspecta, perniciem equitibus & camelorum insessor

Necessitas, acutum telum.

Superstitio Parthorum damnat impietatem eorum quivero deo contempto prosiliunt ad arma.

Atrox prælium, in quo Romani non vi sed prudentia militari præcipuè consistunt.

ſeſſoribus afferebant. quippe illis calcatis, equi, potiſſimùm verò cameli (quoniam huic generi molliſſimæ ſunt vngulæ) ſuccidua claudicabant, excuſſis tergo inſeſſoribus. Cæterùm barbari illi quandiu equis aut camelis inuehuntur, acerrimè ſcilicet confligunt: vbi autem vel deſcendêre iam vel excidêre, faciles ſunt captu, neque prælium in manibus gerere audent, & ſi fugiendus aut inſequendus ſit hoſtis, crura ſcilicet fluxa veſte præpediuntur. Vno igitur, alteróque die à mane ad veſperam pugnatum: nox prælium diremit, reuersíque ſunt in caſtra vtrique quaſi victores. Tertia die in eandem planitiem pugnaturi conuenere. Tentante autem Barbaro (vtpote qui numero præſtabat) circunuenire Romanum, quaſique indagine concludere: contrà non iam profundiorem, ſed in frontem productam cõſtituebant Romani aciem, ac ſe circumueniri prohibebant. Tanta autem virorum iumentorúmque multitudo cecidit, vt omnis compleretur campus, maximíque cadauerum acerui in altum attollerentur, præſertim verò camelorum, quæ aliæ ſuper alias procubuerunt. Ergo nec liber pugnantibus curſus erat, nec inter ſe cernendi copia, velut ingenti quodam ac vix peruio aggere cadauerum in medium extructo; quo ſcilicet prohibente tranſitum ad reliquos, ſinguli ſe in ſua caſtra receperunt. At Macrinus cognito non alia de cauſa tam acriter ac pertinaciter pugnare Artabanum, niſi quia ſe pugnare contra Antoninum arbitrabatur (ſolent enim barbari paulo negotio quaſi fatiſcere, velutique oneri cedere, ſi modò primis congreſſibus parum ex ſententia res geſſerint. tunc autem perſtabant, prælium integraturi, quumprimùm cadauera ſuſtuliſſent atque concremaſſent, ignari periiſſe qui has inimicitias concitauerat) mittit Parthis legatos cum literis, quæ declararent occidiſſe Imperatorem, ac debitum

Parthi imbelles pedites.

Iuſtus dolor Parthos indignis modis læſos acuit ad vindictam.

Vnius Antonini ira iniuſta quot cædes parit!

Macrini, bellum tempeſtiuè à ſe remouentis, prudentia.

Sapientia est instrumentis bellicis præstantior.

supplicium luisse qui fœdera & iusiurandum temerauerat: sibi esse a Romanis, quorum ipsum tandem imperium sit, summam rerum traditam: non placere verò quæ acta forent. Itaque captiuos quicunque superessent, raptáque omnia redditurum. cupere se illum ex inimico amicum facere, pacémque iureiurando ac libaminibus sancire. Quibus lectis Artabanus, edoctúsque à legatis de Antonini cæde, satis dedisse supplicij violatorem fœderis arbitratus, morte tam acerba, contentúsque reddi sibi citra vllum cruorem captiuos prædámque omnem, fœdus cum Macrino ferit, atque in proprias sedes reuertitur. Sed & Romanus Imperator, deducto ex Mesopotamia exercitu, Antiochiam profectus est.

Artabani temperãtia, in Antonini morte indignationis iustissimæ satisfactionem accipiens.

Epistolæ Macrini ad S. P. Q. R. exordiũ breue beneuolentiam conciliãs à vita prioris, transacta vt fortem & nobilem virũ decuit, consideratione.

3 CAETERVM Macrinus vbi Antiochiam peruenit, literas senatui populóque Romano misit in hanc sententiam, *Quum satis ipsi cognitum habeatis quódnam fuerit meum iam inde à principio totius vitæ institutum, quámque ad benignitatem propensi mores, quæ mansuetudo in ea potestate explicata, quæ non multum abest à principatu (siquidem ipse quoque Imperator fidei se præfecti cohortis credit) superuacuum esse arbitror multis verbis vti apud vos. Nostis enim & ipsi parum me lætum fuisse iis rebus quæ ab illo gerebantur, ac sæpe vestri causa periclitatum, dum ille nulli non calumniæ fidem habens, velut effrænus contra vos irrueret. Itaque identidem mihi obtrectare solitus, etiam publicè modestiam in me atque humanitatem erga mihi subiectos vituperabat, segnem & fluxis moribus vocitans. Quippe homo assentationibus gaudens, quicunque ipsum ad crudelitatem exacuebant, rabiémque insitam quasi signo dato prouocabant, & calumniis iram excitabant, eos sibi denique beneuolos fidósque imprimis amicos arbitrabatur. Mihi autem iam inde à principio nihil lenitate antiquius modestiáque fuit. Igitur Parthicum bellum longè maximum, & in quo omne Romanum imperium fluctuauerit, ita confecimus vt nec in acie fortiter*

Pars præcipua, in seuera & iusta Antonini, pacis publicæ, Senatus item, populique Rom. infensissimi hostis, accusatione consistens.

dimic

dimicando hostibus cesserimus, & regem maximas secum trahentem copias, ictu fœdere ex inimico non facilè expugnabili amicum reddiderimus. Porrò me principe, liberi incruentique omnes agitabunt, magisque optimatium conspiratio hæc erit quàm principatus. Neque tamen est quod quisquam indignum imperio censeat, aut fortunæ crimen putet esse, quòd ex equestri ordine ad imperium peruenerim. Nam quo obsecro nobilitas ipsa, nisi morum benignitas adsit & humanitas? Siquidem fortunæ munera etiam parum dignos exornant, animi virtus propriam cuique gloriam conciliat. & claritas quidem generis diuitiæque, atque id genus reliqua, etsi beatorum propria putantur, minime in ipsis, vtpote ab aliis tradita laudantur: lenitas autem ac benignitas, etsi ipsæ quoque admirationi sunt, attamen habenti quoque laudem accumulant. Quid enim vobis profuit Commodi nobilitas, aut Antonini paterna successio? Scilicet eiusmodi homines quasi ipsis debitam hæreditatem adepti, veluti proprio patrimonio per contumeliam abutuntur. Qui autem à vobis imperium acceperunt, velut in perpetuum obstricti, etiam referre gratiam pro meritis enituntur. Ad hæc patritia principum nobilitas sæpenumero in superbiam vertit, despectis omnibus velut multo inferioribus. At qui modestiæ experimento ad imperium asciscuntur, quasi partum labore tuentur semper, verenturq; & colunt quos consiteuerāt. Mihi sanè decretū est, nihil sine autoritate vestra gerere, ac vos participes consiliariósq; habere reip gerēdę. Viuetisq; pro arbitrio vestro in libertate illa quā vobis antehac à patritiis Imperatorib. ereptā Marcus dein Pertinaxq; restituere conati sunt, ambo ad imperiū priuatis cunabulis innutriti. quippe generis initia clara posteris relinquere ipsum præstat quàm accepta à maioribus fœdis moribus contaminare.

Altera, quæ spes de Macrini principatu concipienda sit, explicat: & simul respondet iis qui Macrinum temutoris fortunæ hominem esse existimabant quàm qui ad tantæ dignitatis fastigium eueh i deberet.

Argumentatur à contrario, nobilitatem euectā sine virtute, maximè esse formidandam, quod recentib. exemplis confirmat: & oppositis Marci ac Pertinacis, virorum nō adeo nobiliū præclaris institutis, & intētione sua, claudit epistolam.

4 Hac lecta epistola, conclamatum a senatu vniuerso, nullique non honores Augustorum Macrino decreti. Neque verò tantopere lætus senatus Macrini successione fuit, quàm vulgò vniuersi gratulabantur extinctum Antoninum. Nam vt quis-

Tyranno sublato, mediocris princeps etiam

cordatis & prudentibus gratus est.

que autoritate aliqua aut dignitate præcellebat, ita maximè imminentem ſuis ceruicibus depuliſſe gladium arbitrabatur. Delatores autem & ſerui omnes quicunque dominos detulerant, patibulo ſuffixi, totáque vrbs atque adeo Romanum imperium ſceleratis hominibus perpurgatum, partim ſupplicio affectis, partim exilio mulctatis. Quòd ſiqui tamen latuerunt, metu quieſcentium, etiam ipſi libertatis quandam imaginem præferebant, anno duntaxat vno quo Macrinus imperium obtinuit. Quippe hoc tantùm peccauit, quòd non exercitum ilico dimiſit, atque vnoquoque domum reuerti iuſſo, ipſe Romam ſui cupidam ſtatim non petiit, vocante populo quotidie ſe ac Macrinum vociferante. ſed Antiochiæ morabatur, barbam nutriens & incedens quàm ſolebat lèntius, tardiſſiméque ac vix adeuntibus ſe reſpondens, adeóque interdum ſubmiſſa voce vt ne exaudiri quidem poſſet. Hæc enim demum ſibi de Marci moribus imitanda propoſuerat, quum ad illius reliquam vitam nullo pacto aſpiraret. Quippe delicioſius indies agitans, hiſtrionibúſque & ſaltatoribus intentus, & gubernandi negligens, incedebat cum fibulis ac balteo auratis gemmatíſque. Qui luxus minime Romano gratus erat exercitui, certè quem barbaris putant fœminíſque congruentiorem quàm principi. Talia igitur intuentes, magnopere improbare omnes, vitámque planè hominis aſpernari molliorem, quàm vt militari viro conueniret: ſimul comparare inuicem Antonini vitæ exemplum, ſolertis imprimis ac planè militaris viri, & Macrini luxuriem. Præterea grauiter indignari quòd ipſi adhuc in tabernaculis agerent, procul à patria, ac nonnunquam rerum quoque neceſſariarum indigerent, neque domum dimitterentur etiam pace facta, quum ſcilicet ille contrà molliſſimè ac delicioſiſſimè vitã coleret. Igitur excuſſis velut

Tunc etiam vigent aliquantum bona leges.

Macrini peccatum, idq. duplex. Exercitus magna parte ex perditis nebulonibus conflati conſeruatio. has quiſquilias autẽ pacis verriculo diſſipare debuit. Alterum, apud Antiochenos ocioſa & voluptuoſa cõmoratio, prope hoſtem tunc tẽporis dormientem ſed à Macrini ſulta-

velut habenis quotidie in hominem cauillabantur, ac leuissimam quanque occidendi eius occasionem aucupabantur. Sed ita scilicet fato datum fuerat, vt vno duntaxat anno princeps Macrinus in deliciis absumpto, simul cum vita imperium amitteret, exiguam tenuémque fortuna occasionem militibus ostentante ad ea quæ concupierant patranda.

toribꝰ. excitatum. Luxus & negotiorũ publicorũ incuria innumeros principes pessumdedit.

5 MAESA erat quædã nomine, Phœnissa mulier, ab Emesa vrbe Phœniciæ, cui soror Iulia fuerat Seueri coniunx, ac mater Antonini, ea viuente sorore multos annos in aula imperatoria vixerat, Seuero & Antonino principib. Hanc igitur Mesam post sororis obitum atq; Antonini cædẽ, iusserat Macrinus in patriam cum omnibus bonis reuerti, & domi suę reliquum vitæ traducere. Abundabat autem grandi pecunia, vtpote lõgissimo tẽpore inter principalem potentiam enutrita. Reuersa igitur anus, domi agitabat. Erãt verò ei filiæ duę, quarũ natu maior Soæmis, minor Mãmæa vocabatur. Illi filius Bassianus, huic Alexianus, ambóq; sub matribus auiáq; educabãtur. Et quidem Bassianus annos natus erat circiter quatuordecim, Alexianus autẽ decimum iam annũ attigerat, sacerdotes ambo Solis, quem maximè indigenæ colunt, Phœnicũ lingua Helæagabalũ vocitantes: templúmq; illi maximũ cõstructum habent, auro argentóq; plurimo, ac lapidũ elegãti magnificentia exornatum. Neq; solùm indigenæ deum illum venerãtur, sed vicini quoq; satrapæ regésque barbari, certatim quotannis splendida offerũt munera. Simulacrũ verò nullũ Græco aut Romano more manu factũ ad eius dei similitudinẽ: sed lapis est maximus, ab imò rotundus, & sensim fastigatus propemodũ ad coni figurã. Niger lapidi color, quẽ etiam iactant cælitus decidisse. Eminẽt in lapide quędam, formæq; nonnullæ visuntur, ac Solis imaginẽ illam esse affirmant, minimè humano artificio fabrefactã:

Tragœdiæ Macrinianæ personæ, anus, mater, effeminatus iuuenis. Tales pædagogos oportuit imperatorẽ otiosum & luxuriosum nancisci.

Elæagabalus, siue Alegabalus, aut Elagabalus, i. Sol, à Phœnicibus & aliis Græcis pro Deo cultus.

Bassianus Soæmisfilius ex Antonino Caracalla, solis Sacerdos.

ita cernentes. Huic igitur deo sacer erat Bassianus; quippe natu maior, & ipse potissimũ sacerdotio fungebatur, incedens barbarico cultu, tunicas indutus purpureas intextas auro ac manuleatas, & ad pedes vsq; demissas, cruráq; tota cõuelans ab vnguibus ad femora, vestibus similiter auro purpuráq; variis, capite coronã gestans pretiosorum lapidum coloribus florentẽ. Præterea integer æui cunctorúmq; eius ætatis adolescentium formosissimus. Quare cõgruentibus in vnũ forma corporis atq; ætatis flore, simul habitu illo mollissimo, facilè eũ Dionysi pulcherrimis imaginibus assimilabãt. Hunc igitur sacra celebrãtem, chorúmq; circa altaria barbarũ in morẽ ad tibias fistulásq; & omnifariam organa instaurãtem, curiosius inspectabãt cum mortales alij, tum imprimis Rom. milites, vel quod genere imperatorio editum sciebant, vel quod formæ viribus omnium in se oculos conuertebat. quippe tũ vicinus vrbi illi exercitus erat, tuendæ Phœniciæ præpositus, deductus inde mox, vt in sequentib. exponemus. Quum itaq; quotidie religionis nomine milites in vrbẽ & ad tẽplum itarent, libenter scilicet adolescentem intuebãtur. Erant autẽ ex iis nonnulli Roma profugi Mæsæ familiares: quib. illa formam pueri admirãtibus, incertũ mentita an verũ professa, filium vtriq; esse ait Antonini, quãuis alterius putaretur. quippe cũ suis natabus adolescẽtulis adhuc & formosis rem illum habuisse, quo tẽpore ipsa in palatio simul cum sorore agitabat. Ea res audita ab illis, ac sensim cõmunicata reliquis cõmilitonibus, per vniuersum denique exercitum vulgata est. Porrò etiam aceruos habere nummorũ Mæsa dicebatur, faciléq; omnes militib. elargituram, si modò imperium suæ soboli restitueretur. Pollicentibus autem se eam cum suis, si noctu clanculum in castra venisset, patentibus portis excepturos, atque Antonini filium Imperatorem declaraturos

Gratus Romanis militib. propter formæ præstantiam, & generis nobilitatẽ. Eiusmodi enim homines vt plurimũ nihil nisi externum respiciunt.

Esca autem quibus alliciuntur turbones publici est nummorum numerãdorum pollicitatio.

raturos, nihil ſcilicet recuſauit anus, decreta periculum quoduis adire quam vitam colere priuatam atque abiectam. Quapropter noctu clanculum vrbe egreſſa cum liberis nepotibúſque ſuis, deducente ipſos profugorum militum agmine, facile in caſtra admittitur: ibique puerum confeſtim milites vniuerſi Antoninum appellatum, atque inductum purpura cuſtodiebāt. Tum commeatu omni ſimul cum ſuis natis & coniugibus, cæteriſque adeo rebus importatis quas in vicis agriſque propinquis habebant, clauſis portis ita ſe intus comparabant, vt etiam ſi opus foret, caſtrorum obſidionem exciperent.

Nihil nō audet pecunia & domuationis amor.

6 QVAE vbi nunciata Macrino ſunt Antiochiæ moranti, dedito per ceteros exercitus rumore repertum Antonini filium, pecunias militibus elargiri Iuliæ ſororem, quum omnia quæcunque dicerentur aut eſſe vllo modo poterant, pro veris acciperentur, pendebant animis omnes, atque eos ad res nouas moliēdas, cùm proprium Macrini odium, tum Antonini memoriæ quædam quaſi commiſeratio ſubigebat, ſed imprimis pecuniarum ſpes, vt multi iam ex iis ad nouum Antoninum transfugerent. At Macrinus rem totam quaſi puerilem contemnens, conſuetámque obtinens animi alacritatem, domi ipſe ſedens, vnum e ſuis ducibus mittit, traditis copiis, quantæ ad rebelles facillime expugnandos viderentur ſuffecturæ. Vt autem eò peruenit Iulianus (id enim nomen præfecto fuit) ac iam mœnibus ſuccedebat, ſtatim incluſi milites puerum exercitui infeſto de turribus pinniſque oſtentare, vociferari Antonini filium, ſacculos quoq; nummorū plenos, eſcam ſcilicet proditionis, attollere. At illi credito Antonini eſſe filiū & (quoniam ſic videre volebāt) facie quoque & lineamētis quamſimillimū exiſtimantes, caput amputant Iuliano, mittúntque

Rumor de pecunia diſtribuēda ne bulones pagis aduerſarios & tyrānidis adhuc recentis ſatellites ad noua probra ſáq;ue conſilia facilè pertrahit. Macrinus autem ſtolidi & ignaui Principis gerit imaginē.

Vide quid pecunia proditionis esca efficiat.

ad Macrinum. Ipsi reseratis portis, vniuersi in castra accipiuntur. Ita scilicet adauctæ copiæ, nõ modò ad excipiendam obsidionem, sed ad conferendã quoq; manum dimicandúmque instructa acie satis futuræ, transfugarum etiam magna vi paulatim quotidie se aggregante. Quibus auditis Macrinus cum omni exercitu ad castra illa oppugnanda contendit. Antoninus autem militibus oppugnationem haud expectantibus, sed congredi audentibus, & obuiam Macrino ad dimicandum instructa acie, prodire, copias omnes educit. Cõcurrerunt autem inter se exercitus vterque, in Phœniciæ Syriæq; finibus, acriùs dimicante Antonini milite, conscientia metúque pœnæ, si victus foret: cõtrà autem Macrini exercitu languidius remissiúsque prælium capessente, multisque subinde ad Antoninũ transfugientibus. Quo animaduerso Macrinus, metu ne plane omnib. exutus copiis captiuus ageretur, nihil nõ passurus contumelię, stante adhuc acie, vespera iam adueniente, chlamydem sibi cæterúmq; imperatorium detrahit ornatum: paucisque è fidissimis commilitonum comitatus, clàm fugam occupat: detonsáque barba, ne agnosceretur, sumpto etiam itinerario vestimento, capitéque semper conuelato, noctẽ diémque accelerabat, famã quoque suæ fortunæ præueniens: quippe ingenti studio commilitones vehicula vrgebant, quasi Macrino adhuc rerum potiente, magnis de rebus mitterentur. Ille igitur fuga euaserat, quẽadmodũ diximus. Interea verò milites vtrinq; pugnabãt: atq; à Macrino quidẽ corporis custodes ac stipatores, quos prætorianos vocant, fortiter stãtes, reliquũ omnem exercitum soli sustinebãt, videlicet proceri homines atque ex omni numero delecti. Cætera omnis multitudo pro Antonino præliabatur. Sed vbi diu neque Macrinum iam ipsum neq; imperij signa conspiciebãt, qui pro illo certamẽ subierant, ignari vbinam

Seditiosorũ aduersus imprudentẽ & cunctabundum principem pugna.

Ignauiæ suæ dat pœnas Macrinus, principibus omnibus exẽplum, ne per duellium quamleuissimos conatus negligant: alioqui suæ stoliditatis pœnas daturi.

vbinam foret, iaceret inter mortuorum multitudinem, an aufugisset, haud satis constitutum habentes quod sibi capiendum consilium foret, neque periclitari diutius pro eo decreuerant qui iam nusquam compareret, & se permittere hostium potestati, quasi dedititios captiuósq; verebantur. Vt autem à captiuis audiuit Antoninus aufugisse è prælio Macrinum, mittit statim nuntios qui doceant frustra illos pro homine pauidissimo ac fugitiuo decertare, veniántque & obliuionem omnium iure iurando pollicetur, stipatorésque iam tum sibi illos adsciscit. Igitur omnes re credita cesserunt. At verò Antoninus mittit ilico qui Macrinum consequantur, quum iam plurimum viæ præcepisset. Inuentus autem est in Chalcedone Bithyniæ vrbe, grauissime ægrotans, ac perpetuo itinere attritus, latitans in suburbano quodam, vbi illi caput abscissum. Dicebatur autem Romam properare, fretus popularibus studiis: sed transgredientem in Europam, angusto Propontidos freto, iámque Byzantio appropinquantem, vento aduerso vsum perhibent, quasi flatu ipso ad supplicium retrudente. Tantum igitur abfuit Macrinus quo minus persequutores effugerit, finem vitæ sortitus fœdissimum, qui Romam reuerti pòst voluerit, quod statim à principio facere oportuerat. Offendit autem consilio pariter atque fortuna.

Ita scilicet occisus est Macrinus cum filio Diadumeno, quem iam Cæsarem fecerat.

Fuga intempestiua pauitantē Macrinum prorsus euertit.

Nec terga vertentibus mors seua parcit.

Immo tunc vitæ sortiuntur fœdißimum finem, vt qui fortunam & consilium despexerint.

IVLII CAPITOLINI
Opilius Macrinus.

BREVIARIVM.

1 *Odio Antonini Caracalli Opilius Macrinus Imperator à Senatu acceptus est, cum filio Diadumeno, qui Antoninus voluit nuncupari.*

2 *Macrini conditio & mores ab Aurelio Victore & Capitolino descripti.*

3 *Fragmenta orationis seu literarum Macrini & Diadumeni ad Senatum post Antonini necem. Quos honores Senatus Macrino detulerit.*

4 *Res gestæ Macrini, qui audita exercituum ad Baßianum defectione negligenter sibi cauet, ideo fugatus & tandem cum Diadumeno filio interfectus est.*

5 *Vitæ & morum Macrini atque Diadumeni accuratior consideratio.*

Ad Diocletianum Augustum.

1 *Præfatio Capitolini ad Macrini vitam.*

VITAE illorum principum, seu tyrannorum, siue Cæsarum, qui non diu imperauerunt, in obscuro latent, idcirco quòd neque de priuata eorum vita digna sunt quæ dicantur, quum omnino nescirentur quidem, nisi aspirassent ad imperium: & de imperio quod non diu tenuerunt, non multa dici possunt: nos tamen ex diuersis historiis erutam lucem proferemus, & ea quidem quæ memoratu digna erunt. Non enim est quisquam in vita qui non ad diem quodcunque fecerit: sed eius qui vitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Et Iunio quidem Cordo studium fuit eorum Imperatorum vitas edere quos obscuriores videbat: qui non multùm profecit. Nam &

Historici munus.

A Iunio Cordo minimè obseruatum.

& pauca reperit & indigna memoratu, asserens se minima quæque persequuturum, quasi vel de Trajano, aut Pio, aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos variauerit, & quando vestem mutauerit, & quos quando promouerit, quæ ille omnia exequendo libros mythistoriis repleuit talia scribendo: quum omnino rerum vilium aut nulla scribenda sint, aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animaduerti, qui reuera sciendi sunt: sed ex parte, vt ex ea cætera colligantur. Occiso ergo Antonino Bassiano, Opilius Macrinus præfectus prætorio eius, qui antea priuatas curabat, imperium arripuit, humili natus loco, & animi atque oris inuerecundi: séque nunc *Seuerum*, nunc *Antoninum*, quum in odio esset omnium & hominũ & militum, nuncupauit. Statimque ad bellum Parthicum profectus, & vindicandi se de militibus, & rumoribus quibus premebatur adolescendi potestatem dempsit: quanuis senatus eum Imperatorem odio Antonini Bassiani libenter acceperit, quum in senatu omnibus vna vox esset, *quemuis magis quàm parricidam, quemuis magis quàm incestum, quemuis magis quàm impurum, quemuis magis quàm interfectorem & senatus & populi.* Et mirum omnibus fortasse videatur cur *Diadumenus* filius Macrini, *Antoninus* voluerit nuncupari, quum autor necis Antoninianæ fuisse dicatur. De ipso quæ in annales relata sunt, proferam. Vates Cælestis apud Carthaginem quæ deo repleta solebat vera canere, sub Antonino Pio, quum sciscitante proconsule de statu, vt solebat, publico, & de suo imperio, futura prædiceret, vbi ad principes ventum est, clara voce numerari iussit, quoties diceret *Antoninum.* Túncque atentis omnibus, *Antonini* nomen *Augusti* octauò edidit. Sed credentibus cunctis quòd VIII. annis Antoninus Pius imperaturus esset, & ille transcendit hunc an-

Modus quis in historia scribenda sequendus.

Macrinus malis artibus ad imperium euectus, sub vitiorum suorum mole fatiscens, in tanto dignitatis fastigio diu subsistere non potuit.

Odium tyrannidis ad alia extrema sapientes viros sæpissimè rapit, videlicet vt quemuis principẽ non recusent.

Antonini nomen quibus datum, & cur adeo cupidè à Diadumeno Macrini filio vsurpatum.

norum numerum, & constitit apud credentes vel tunc vel postea per vatem aliud designatum. Denique adnumeratis omnibus qui Antonini appellati sunt, is Antoninorum numerus inuenitur. Enimuero Pius primus, Marcus secundus, Verus tertius, Commodus quartus, quintus Caracallus, sextus Geta, septimus Diadumenus, octauus Heliogabalus, Antonini fuere. Nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani: qui aut prænomen tantùm Antoninorum habuerunt, aut etiam Antonij dicti sunt, non Antonini. Inde est quòd se & Seuerus Antoninum vocauit, & plurimi fuerunt, & Pertinax & Iulianus, & idem Macrinus. Et ab ipsis Antoninis qui veri successores Antonini fuerunt, hoc nomen magis quàm proprium retentum est. Hęc alij. Sed alij idcirco Antoninum Diadumenum à Macrino patre appellatum ferunt, vt suspicio à Macrino interfecti Antonini militibus tolleretur. Alij verò tantum desiderium nominis huius fuisse dicunt vt nisi populus & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent.

Indignum principem tolerant, qui à tyranno prius fuerāt oppressi. Mutatio quantumuis exigua, modò non in deterius, gratissima.

2 Et de Macrino quidem in senatu à multis quando nuntiatum est Varium Heliogabalum Imperatorem, quum iam Cæsarem Alexandrum senatus dixisset, ea dicta sunt, vt appareat ignobilem, sordidum, spurcum fuisse. Verba denique Aurelij Victoris, cui Primo cognomen erat, hæc fuerunt: *Macrinum libertinum hominem prostibulum, seruilibus officiis occupatum in domo imperatoria, venali fide, vita sordida sub Commodo, à Seuero remotum etiam à miserrimis officiis, relegatúmque in Africam: vbi vt infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse causulas, declamasse, eius postremò dixisse. Donatum autem anulis aureis, patrocinante sibi liberto suo Festo, aduocatum fisci factum sub Vero Antonino.* Sed & hęc dubia ponuntur, & alia dicuntur ab aliis quæ ipsa quoque non tacebimus. Nam

Conditio vitæ & mores Macrini Satyrico stilo descripti.

pler

plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt: & accepta rudi, ad Africam isse venatorem primò, pòst etiam tabellionem fuisse, deinceps aduocatum fuisse fisci: ex quo officio ad amplissima quæque peruenit. Deinde quum esset præf. præt. collega ablegato, Antoninum Caracallũ imperatorem suum interemit tanta fictione vt ab eo non videretur occisus. Nam stratore eius redempto, & spe ingenti proposita, id egit vt quasi militaribus insidiis, quòd vel ob parricidium vel incestum displiceret, interemptus diceretur. Statim denique arripuit imperium, filio Diadumeno in participatum ascito: quem continuò (vt diximus) Antoninum appellari à militibus iussit. Deinde corpus Antonini Romam remisit sepulchris maiorum inferendum. Mandauit collegæ dudum suo præfecto prætorij, vt munus suum curaret, ac præcipuè Antoninum honorabiliter sepeliret ducto funere regio: quòd sciebat ob vestimenta populo & congiaria data, multùm Antoninum a plebe dilectum. Accedebat etiam illud quòd militarem motum timebat, ne eo interueniente, suum impediretur imperium quod raptum ierat, sed quasi inuitus acceperat, *vt sunt homines qui ad ea se cogi dicunt quæ vel sceleribus comparant.* Timuit autem etiam collegam ne & ipse imperare cuperet, sperantibus cunctis quòd si vnius numeri consensus accederet, neque ille recusaret, & omnes cupidissimè id facerent odio Macrini, vel propter vitam improbam, vel propter ignobilitatem, quum omnes superiores, nobiles fuissent imperatores. Insulsit præterea nomen Seueri quum illius nulla cognatione tangeretur: vnde iocus extitit, *Sic Macrinus est Seuerus, quomodo Diadumenus Antoninus.* Statim tamen ad delendum militum motum, stipendium & legionariis & prętorianis dedit solito vberius, vtpote qui extenuare cuperet imperatoris

Macrinus (teste Herodiano) vt vita sua consuleret, Antoninum Caracallum per Martialem interemit. Multiplicis autem iniustitiæ crimine in eo laborauit, læsæ maiestatis videlicet, periurij, proditionis, vsurpationis iniustæ, &c. quæ scelera horrendum iudicium in caput eius & filij Diadumeni accelerarunt.

Militum motus vberiore stipendio sedatus.

occisi crimen: *profuitque pecunia, vt solet, cui innocentia prodesse non poterat.* Retentus est enim aliquanto tempore in imperio homo vitiorum omnium. Ad senatum deinde literas misit de morte Antonini, diuum illum appellans, excusánsque se, & iurans quòd de cæde illius nescierit. Ita sceleri suo, more hominum perditorum, iūxit periurium à quo incipere decuit hominem improbum, quum ad senatum scriberet.

Grauis censura scelerum Macrini. Qui quæ non decet committit, æternam ignominia notam sibi inurit.

3 INTEREST scire cuiusmodi oratio fuerit qua se excusauit, vt & impudentia hominis noscatur & sacrilegium à quo initium sumpsit improbus Imperator. Capita ex oratione Macrini & Diadumeni Imperatorum. *Vellemus P.C. & incolumi Antonino nostro, & reuecto cum triumpho, vestram clementiam videre. Tunc demum enim florente rep. & omnes felices essemus, & sub eo principe viueremus, quem nobis Antoninorum loco dii dederant. Verùm quia id euenire per tumultum militarem non potuit, nuntiamus primùm quid de nobis exercitus fecerit: deinde honores diuinos (quod primùm faciēdum est) decernimus ei viro in cuius verba iurauimus, quum exercitus vltorem cædis Baßiani neminem digniorem præfecto eius putauit, cui & ipse vtique vindicandam factionem mandasset si viuus deprendere potuisset.* Et infrà: *Detulerunt ad me imperium, cuius ego P.C. interim tutelam recepi, tenebo regimen, si & vobis placuerit quod militibus placuit: quibus & stipēdium dedi, & omnia imperatorio more iußi.* Item infrà: *Diadumenū filium meum vobis notum, & imperio miles donauit, & nomine, Antoninum videlicet appellās, vt cohonestaretur prius nomine, sic etiam regni honore: quod vos P.C. bono faustóque omine approbetis petimus, ne vobis desit Antoninorum nomen quod maximè diligitis.* Item infrà: *Antonino autem diuinos honores & miles decreuit: & nos decreuimus: & vos P.C. vt decernatis, quum possimus imperatorio iure præcipere, tamen rogamus, dicantes & duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedētes ciuili habitu duas: itē diuo Seuero duas triumphales.*

Diuum voluit quem viuum esse noluit. Idem Antoninus ille Caracallus parricida. Olim de fratre suo Geta dixerat. Quod de altero dixeris, qui dam postea de te dicet.

Quæ

Quæ omnia P.C. vos impleri iubebitis, nobis religiosè pro prioribus ambientibus.) Lectis igitur in senatu literis contra opinionem omnium & mortem Antonini senatus gratanter accepit, & Opilium Macrinum libertatem publicam curaturum sperans, primùm in patritios allegit, nouum hominem, & qui paulo ante procurator priuatæ rei fuisset. Eundem, quum scriba pontificum esset (quos hodie *pontifices minores* vocant) Pontificem Max. appellauit, Pij nomine decreto. Diu tamen lectis literis quum omnino nemo crederet de Antonini morte, silentium fuit. Sed posteaquam constitit occisum senatus in eum velut in tyrannum inuectus est. Denique statim Macrino & proconsulare imperium, & potestaté tribunitiam detulerunt. Filium sane suum quum ipse *Felicis* nomen recepisset, vt suspicionem occisi à se Antonini remoueret, *Antoninum* vocauit, *Diadumenum* antea dictum. Quod quidem etiam Varius Heliogabalus, qui se Bassiani filium diceret, homo sordidissimus, & ex meretrice conceptus, idem postea nomen accepit. Denique versus extant cuiusdam poetæ, quibus ostenditur, Antonini nomen cœpisse à Pio, & paulatim per Antoninos vsque ad sordes vltimas peruenisse: siquidem Marcus nomen illud sanctũ vitæ genere auxisse videtur, Verus autem degenerasse, Commodus verò etiam posuisse sacrati nominis reuerentiam. Iam quid de Caracallo Antonino, quidve de hoc potest dici? Postremò etiam quid de Heliogabalo, qui Antoninorum vltimus in summa impuritate vixisse memoratur?

Violenti principatus deletio grata: & de futura dominatione spes non mediocris concipitur.

Specioso nomine sceleris memoria non oblitteratur.

Nobilitas illa externa, virtute spoliata, sordium omniũ sordidissima.

4 APPELLATVS igitur imperator suscepto bello contra Parthos, profectus est magno apparatu, studens sordes generis & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere. Sed conflictu habito contra Parthos, defectu legionum quæ ad Varium

Res fortiter gesta sorde vita prioris abolere possunt, si modo perseueran-

Heliogabalum confugerant, interemptus est. Sed anno amplius imperauit. Sanè quum esset inferior in eo bello quod Antoninus gesserat, Artabane grauiter necem suorum ciuium vindicante, primo Macrinus repugnauit: postea verò missis legatis petiit pacem, quam libenti animo interfecto Antonino Parthus concessit. Inde quum se Antiochiam recepisset ac luxuriæ operam daret, iustam causam interficiendi sui præbuit exercitui, ac Bassiani (vt putabatur) filium sequendi, id est *Heliogabalum Bassianum Varium*, qui postea & *Bassianus* & *Antoninus* appellatus est. Fuit quædam mulier Mœsa, siue Varia, ex Emissena vrbe, soror Iuliæ vxoris Seueri Pertinacis Afri, quæ post mortem Antonini Bassiani ex aulica domo fuerat expulsa per Macrini superbiam: cui quidem omnia concessit Macrinus quæ diu illa collegerat. Huic erant duæ filiæ, Semiamira & Mammæa, quarum maiori filius erat Heliogabalus, qui & Bassiani & Antonini nomen accepit. Nam Heliogabalum Phœnices vocant solem. Sed Heliogabalus pulchritudine ac statura & sacerdotio conspicuus erat, ac notus omnibus hominibus qui ad templum veniebant, militibus præcipuè. His Mœsa, siue Varia dixit, Bassianum filium esse Antonini, quod paulatim omnibus militibus innotuit. Erat præterea Mœsa ipsa ditissima, ex quo etiam Heliogabalus luxuriosissimus: qua promittente militibus, legiones abductæ sunt à Macrino. Suscepta enim illa noctu in oppidum cum suis, nepos eius *Antoninus* est appellatus, imperij delatis insignibus. Hæc vbi sunt Macrino apud Antiochiam posito nuntiata, miratus audaciam muliebrem, simul etiam contemnens, Iulianum præfectum ad obsidendos eos cum legionibus misit. Quibus quum Antoninus ostenderetur, miro amore in eum omnibus inclinatis,

tia in officio princeps dignitatem suam conseruet. At Macrinus ocio & luxui paulò post indulgens & nouas sordes veteribus addens prioris vitæ infamiam turpissima fuga & morte multiplicauit.

Leuia maximarum mutationum sæpius sunt initia.

Pecunia corrupti homines facilè obediunt.

10

Hostium contemptus superbis sæpius exitium peperit.

occiso

occiso Iuliano præfecto ad eum omnes transierunt. Deinde parte exercitus coniuncta, venit contra Macrinum Antoninus contra se festinantem: commissóque prælio, Macrinus est victus proditione militum eius & amore Antonini. fugiens sanè Macrinus cum paucis & filio, in vico quodam Bithyniæ occisus est cum Diadumeno: ablatúmque eius caput est, & ad Antoninum perlatum. Sciendum præterea quòd Cæsar fuisse dicatur, non Augustus, Diadumenus puer, quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradiderunt. Occisus est etiam filius, cui hoc solum attulit Imperium vt interficeretur a milite. Non enim aliquid dignum in eius vita erat quod dicatur, præter hoc quòd Antoninorum nomini est velut nothus appositus.

Tandem Macrinus malis artibus imperiũ adeptus, malè perit. Con filia mala consultori pessima. Gladio perit qui gladium malè sumpserat.

5 FVIT Macrinus in vita imperatoria paulo rigidior & austerior, sperans se anteacta omnia posse obliuioni dare, quum ipsa seueritas illius occasionem reprehendendi & lacerandi eius aperiret. Nam & *Seuerum* se & *Pertinacem* voluerat nuncupari: quæ duo illi asperitatis nomina videbantur. Et quum illum senatus Pium ac Felicem nuncupasset, Felicis nomen recepit, Pij habere noluit. Vnde in eum epigramma illatum Græci cuiusdam poetæ videtur extare, quod Latinè hac sententia continetur,

Miserum Diadema.

Vitia Macrini.

Seuera quadam superbia.

Histrio iam senior turpis, grauis, asper, iniquus,
Impius, & felix sic simul esse cupit,
Vt nolit pius esse, velit tamen esse beatus:
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius & felix poterat dici atque videri,
Cui imperium infelix est, erit ille sibi.

Lepido epigrammate perstricta.

Hos versus nescio quis de Latinis, iuxta eos qui Græci erant propositi, in foro posuit: quibus acceptis Macrinus his versibus respondisse fertur,

Si talem Graium retulissent fata poetam,
Qualis Latinus Gabalus iste fuit,

Inepto responso defensa.

Nil populus nosset, nil nosset curia, magno
Nullus scripsisset carmina tetra mihi.

His versibus Macrinus longè peioribus quàm illi Latini sunt, respondisse se credidit, sed non minus est risui habitus quàm poeta ille qui de Græco Latinè coactus est scribere. Fuit igitur superbus & sanguinarius, & volens militariter imperare, incusans quinetiam superiorum temporum disciplinam, ac solum Seuerum præ cæteris laudans. Nam & in crucem milites tulit, & seruilibus suppliciis semper affecit: & quum seditiones militares pateretur, multos sæpius decumauit, aliquando etiam centesimauit: quod verbum proprium ipsius est, quum se clementem diceret, quando eos centesimaret qui digni essent decumatione atque vicesimatione. Longum est eius crudelitates omnes aperire, attamen vnam ostendam non magnam, vt ipse credebat, sed omnibus tyrannicis immanitatibus tristiorem. Quum quidam milites ancillæ hospitis pudorem deprauasse suspecti essent, atque per quendam frumentarium ille didicisset, adduci eos iussit, interrogauitque vtrum esset factum: quod quum constitisset, duos boues miræ magnitudinis viuos subitò aperiri iussit, atque his singulos milites inseri, capitibus, vt secum colloqui possent, exertis. Itáque pœna hos affecit, quum ne adulteris quidẽ talia apud maiores sui temporis essent constituta supplicia. Pugnauit tamen & cõtra Parthos & contra Armenios, & contra Arabas quos Eudæmonas vocant, non minus fortiter quàm feliciter. Tribunum qui excubias deseri passus est, carpento rotali superadnexum per totum iter viuum atque exanimem traxit. Reddidit etiam Mezentij supplicium, quod ille viuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Vnde etiam in circo, quum fauor publicus in Diadumenum semper fuisset acclamatum.

Crudelitas superbia comes. cuius exempla in suppliciis seruilibus militum.

In supplicio militum qui ancillæ hospitis pudorẽ deprauarant.

In aliis crudelibus suppliciis.

Egreg

Egregius forma iuuenis, cui pater haud Mezentius
esset.

Viuos etiam homines parietibus inclusit, & struxit. Adulterij reos semper viuos simul incendit, iunctis corporibus. Seruos qui à dominis fugissent, repertos ad gladium ludi deputabat. Delatores, si non probarent, capite affecit: si probarent, delato pecuniæ præmio, infames dimisit. Fuit in iure non incallidus, adeo vt statuisset omnia rescripta veterum principum tollere; vt iure non rescriptis ageretur, nefas esse dicens leges videri Cõmodi & Caracalli & hominum imperitorum volũtates, quum Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur. In annonis tribuendis largissimus fuit: in auro parcissimus. In vernaculis vel aulicis tam impius, tam pertinax, tam asper, vt serui illum sui non Macrinum dicerent; sed *macellinum*, quòd macelli specie domus eius cruentaretur sanguine vernularum. Vini cibíque auidissimus, nonnunquam vsque ad ebrietatem: sed vespertinis horis. Nam si prandisset vel priuatim parcissimus, in cœna effusissimus. Adhibuit conuiuio literatos, vt loquens de studiis liberalibus necessariò abstineret. Sed quum eius vilitatem homines antiquam cogitarent, crudelitatem nimiam viderent, hominem putidulum in imperio ferre non possent, & maximè milites, qui multa eius meminerant funestissima, & aliquando turpissima, inita factione illum occiderunt cum puero suo Diadumeno, scilicet Antonino cognomine, de quo dictum est quòd in somnis Antoninus fuisset. Vnde etiam versus extant huiusmodi,

In punitione adulterorũ, seruorum fugitiuorum, delatorum.

Eruditionis præsumptio nimia.

Feritas immanis in domesticos & seruos.

Intemperantia in cibo & potu.

Causa defectionis exercitus à Macrino & Diadumeno. Clementia, vera nobilitas, temperãtia, principum solia stabiliunt.

Vidimus in somnis ciues (nisi fallor) & istud:
Antoninorum nomen puer ille gerebat.
Qui patre venali genitus sed matre pudica:

Centum nam mœchos passa est centúmque rogauit.
Ipse etiam caluus mœchus fuit, inde maritus:
En pius, en Marcus: Verus nam non fuit ille.

Et isti versus ex Græco translati sunt in Latinum. Nam Græcè sunt disertissimi. videntur autem mihi ab aliquo poeta vulgari translati esse. Quod quum Macrinus audisset, fecit iambos qui non extant: iucundissimi autem fuisse dicuntur. qui quidem perierunt in eo tumultu in quo ipse occisus est, quando & omnia eius a militibus peruersa sunt. Genus mortis (vt diximus) tale fuit. Quum in Antoninum Heliogabalum exercitus inclinasset, ille fugit, bellóque victus est & occisus in suburbano Bithyniæ, suis partim deditis, partim occisis, partim fugatis. Ita Heliogabalus clarus redditus est quòd videretur patris vindicasse mortem: atque inde in imperium venit, quod dedecorauit vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abliguritione, superbia, immanitate: qui & ipse similem exitum vitæ suæ sortitus est. Hæc de Macrino nobis sunt cognita, multis aliqua variantibus, vt se habet omnis historia: quæ de plurimis collecta, serenitati tuæ Diocletiane Auguste, detulimus, quia te cupidum veterum imperatorum esse perspeximus.

Genus mortis Macrini, de quo plura in Herodiano. Sed malo pessimus & impurissimus omnium successit.

ÆLII LAMPRIDII
Antoninus Diadumenus.

BREVIARIVM.

I *Diadumenum filium Macrinus Antoninum appellari curat, vt Augusto illo nomine, omnibus accepto, imperii adepti dignitatem firmius retineret. Acclam*

clamationes exercitus, & Imperatorum munera atque gratiarum actiones. Literæ Macrini ad Senatum, statuæ Caracallo erectæ, & Diadumeno speciosissima forma.

2 *Omina imperii Diadumeniani, stupenda. De amabili nomine Antoninorum, dissertatio Lampridii, & literæ Macrini.*

3 *Cum patre Macrino interfectus Diadumenus, cuius sæui mores ex quibusdam epistolis proponuntur.*

ANTONINI Diadumeni pueri, quem cum patre Opilio Macrino Imperatorem dixit exercitus, occiso Bassiano factione Macriniana, nihil habet vita memorabile, nisi quòd Antoninus est dictus, & quòd ei stupenda omina sunt facta imperij non diuturni: vt euenit. Nam quum primùm innotuit per legiones, occisum esse Bassianum, ingens mœror obsedit omnium pectora quòd Antoninum in rep. non haberent, existimantium quòd cum eo Romanum esset imperium periturum. Id vbi Macrino iam Imperatori nuntiatum est, veritus ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pij erant inter duces, exercitus inclinaret, statim concionē parari iussit, filiúmque suum hunc puerum Antoninum appellauit. Concionis verba eiusdem: *Videtis commilitones, & me ætatis prouectæ, & Diadumenum puerum: quem diu principem, si dii faueant, habebitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere: quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis autoribus nuncupo, diu vobis Antoninum repræsentaturum.* Acclamatum, *Macrine Imperator, dii te seruent. Antonine Diadumene, dii te seruent. Antoninum diuum omnes rogamus, Iupiter optime maxime Macrino & Antonino vitam. Tu scis Iupiter, Macrinus vinci non potest:*

1 *Summa vitæ Diadumeni à Lampridio scripta.*

Cur Antoninus cognominatus sit.

In eam sententiam Macrinus habet orationem ad milites.

Qui faustis & consuetis acclamationibus vtrumque impera

terem excipiunt. *tu scis Iupiter. Macrinus vinci nō potest. Antoninū habemus, omnia habemus. Antoninū nobis dii dederunt patrē. Antoninus dignus imperio.* Macrinus Imperator dixit: *Habete igitur, commilitones, pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: dii faciāt vt hæc sæpius fiant. Dabimus autē per cuncta quinquennia id quod hodie deputauimus.* Post hoc ipse puerulus Diadumenus Antoninus Imperator dixit, *Gratias ago vobis, cōmilitones, quòd me imperio donastis & nomine, siquidem dignos & me & patrē meum duxistis quos Imperatores Romanos diceretis, & quibus cōmitteretis rempub. Et pater quidē meus curabit ne desit Imperio: ego autem elaborabo ne desim nomini Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est. Interim tamen causa imperii, causa nominis id omne quod pater, & tantundem promitto, honoribus, vt venerandus Macrinus pater præsens promisit duplicatis.* Herodianus Græcus scriptor hæc præteriens, Diadumenum tantùm Cæsarem dicit puerum à militibus nuncupatum, & cum patre occisum. Hac habita concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est: Macrini vsque ad iussum senatus dilata est. Missæ etiam ad senatum literæ quibus nomen Antonini indicatum est. Quare etiam senatus Imperium id libenter dicitur recepisse, quanuis alij Antonini Caracalli odio id factum putent. Parauerat sanè penulas populo coloris rosei dare Macrinus imperator in honorem Antonini filij sui, quæ vocarentur Antoninianæ, vt Caracallæ Bassiani dictæ sunt, asserens filium suum *penuleum* vel *penularium* dicendum, quia *Caracallus* esset dictus Bassianus. Congiarium etiam prædictum Antoninianum promisit, vt ipsum edictum poterit indicare. Verba edicti: *Vellem Quirites iam præsentes essemus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret præterea & pueros Anton*

Macrinus autem eos ingentibus donis & promissis demulcet.

Diadumenus, gratiarum actione & honorum duplicatorū pollicitatione.

Moneta noua percussa dignitatem & nomen nouū Diadumeni confirmans: & Macrini patris ambitiosum pro filio institutum.

Promissa ad senatum & populum.

toninianos & puellas Antoninianas, quæ tam grati nominis gloriam propagarent, & reliqua. His ita gestis, signa in castris & vexilla fieri Antoniniana iussit. Fecitque Bassiani simulacra ex auro atque argento, atque dies septem supplicatio pro Antonini nomine celebrata est. Puer fuit omnium speciosissimus, statura longiuscula, crine flauo, nigris oculis, naso deducto ad omnem decorem, mento composito; ore ad oscula parato, fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic vbi primùm indumenta coccea & purpurea cæteráque castrensia imperij insignia accepit, quasi sidereus & cælestis emicuit, vt amaretur ab omnibus gratia venustatis. Hæc sunt quæ de imperio pueri dicenda putaui.

Simulacra Bassiano erigit, vt se & Diadumenum conseruet.

Forma sine virtute, caput cerebro vacuum.

2 NVNC veniamus ad omina imperij quæ cum in aliis tum in hoc præcipue sunt stupenda. Die qua natus est, pater eius purpuras tum forte procurator iam ærarij maioris inspexit, & quas claras probauit, in id conclaue redigi præcepit, in quo post duas horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo insigniri naturali quod obstetrices rapiunt & aduocatis credulis vendunt, siquidem causidici hoc iuuari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte vt rumpi non potuerit, venis intercedentibus specie nerui sagittarij: Ferũt denique *Diadematum* puerum appellatum. Sed vbi adoleuit, aui sui nomine materni *Diadumenum* vocatum, quanuis non multùm abhorruerit ab illo signo diadematis nomen Diadumeni. In agro patris eius oues purpureas XII. ferunt natas, quarum vna tantùm varia fuerit. Eadem die qua hic natus est, aquilam ei constat sensim palumbum regium paruulum attulisse, & posuisse in cunis dormienti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris eius nidum posuerunt. His diebus quibus ille natus est, mathematici accepta genitura eius exclamauerunt &

Stupenda imperij Diadumeniani omina.

Purpuræ.

Diadema.

Oues purpureæ.

Palumbus regius allatus per aquilam.

Genethliacorum praedictio.

ipsum filium Imperatoris esse & ipsum Imperatorem: quasi mater eius adulterata esset, quod fama retinebat. Hinc eidem aquila pileum in agro ambulanti tulit. Et quum comitum infantis clamor esset factus, in monumento regio quod iuxta villam esset, in qua tunc pater agebat, supra statuam regis posuit, ita vt capiti eius aptaret, quod multi ominosum putarunt & morti accommodum. Clarum autem euentus ostendit. Natus est praeterea natali Antonini, & ea hora & signis prope continentibus quibus & Antoninus Pius: quare dixerunt mathematici, & Imperatoris illum filium futurum, & Imperatorem, sed non diu. Die qua natus est (quod Antonini esset natalis) mulier quaedam propinqua dicitur exclamasse, *Antoninus vocetur*, sed Macrinum timuisse quòd nullus ex eius genere hoc nomine censeretur, abstinuisséque nomine imperatorio simul quòd iam rumor de vi geniturae illius emanasset. Haec atque alia omnia fuisse multi in literas retulerunt: sed illud praecipuè quòd quum in cunis esset Diadumenus, & leo ruptis vinculis, & quidem ferus, effugisset atque ad incunabula eius venisset, puerum delinxit, & inuiolatum reliquit, quum nutrix se in leonem misisset, atque eius morsu affecta periisset, quae sola forte in areola inuenta erat, in qua infans iacebat. Haec sunt quae digna memoratu in Antonino Diadumeno esse videantur: cuius vitam iunxissem patris gestis, nisi Antoninorum nomen me ad edendam puerilis specialem expositionem vitae coegisset. Et fuit quidem tam amabile illis temporibus nomen Antoninorum, vt qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium. Vnde etiam quidam & Seuerum, & Pertinacem, & Iulianum, Antoninorum praenominibus honorandos putant: vnde postea duos Gordianos, patrem & filium,

Pileus ab aquila ablatus & supra statuam regiam positus.

Natalis dies celebris.

Vox fatidica mulieris.

Leo puerulum delingens & inuiolatum in cunis relinquens.

6.

Antoninorũ nomẽ admodum amabile propter Antonini pii & philosophi virtutes.

filium, Antoninos cognominatos putent. Sed aliud est quum prænomen adſciſcitur, aliud quum ipſum nomen imponitur. Nam Pius verum nomen, Antonini habuit, cognomen Pij: Marcus verum nomen Veriſſimi habuit, ſed hoc ſublato atque abolito, nō prænomen Antonini, ſed nomen accepit. Verus autem Commodi nomen habuit, quo abolito Antonini non prænomen, ſed nomen accepit. Commodum autem Marcus Antoninum appellauit, atque ita in publicum edidit diem natalis ſui. Iam Caracallum Baſſianum ſatis conſtat vel ſomnij cauſa, quod Seuerus viderat quum ſibi Antoninum ſucceſſorem prædictum ſenſiſſet, anno demum XIII Antoninum dixiſſe quando ei etiam imperatoriam addidiſſe dicitur poteſtatem. Getam verò, quem multi Antoninum negant dictum, eadem ratione qua Baſſianum appellatum ſatis cōſtat, vt patri Seuero ſuccederet, quod minimè factum eſt. Poſt hoc ipſe Diadumenus vt commendaretur exercitui, Senatui populóque Romano, eſſétque ingens deſiderium Baſſiani Caracallæ, Antoninum appellatum ſatis conſtat. Extat epiſtola Opilij Macrini patris Diadumeni, qua gloriatur non tam ſe ad imperium perueniſſe, qui eſſet ſecundus imperij, quàm quòd Antoniniani nominis eſſet pater factus, quo clarius illis temporibus non fuerat vel deorum. Quam epiſtolam priuſquam interſeram, libet verſus inſerere in Commodum dictos, qui ſe Herculem appellauerat, vt intelligant omnes tam clarum fuiſſe Antoninorum nomen, vt illi nec deorum nomen commodè videretur adiungi. Verſus in Commodum Antoninum dicti,

Macrinus gloriatur maximè de Antonini nomine quod Diadumeno tributū eſt.

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat eſſe bonum:
Expers humani iuris & imperii:
Sperans quinetiam clarius eſſe deum,

Antonini nomen Herculeo præfertur.

Quàm si sit princeps nominis egregii.
Non erit iste deus, nec tamen vllus homo.

Idque propter pietatē, bonitatē & sapientiam, quæ in tribus priorib. Antoninis eluxit: quarum virtutum recordatione Macrinus videtur affectus.

Hi versus à Græco nescio quo compositi, à malo poeta in Latinum translati sunt: quos ego idcirco inserendos putaui, vt scirent omnes, Antoninos pluris fuisse quam deos: ac trium principum amorem, quo sapientia, bonitas, pietas consecrata sit: in Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco sapientia. Redeo nunc ad epistolam Macrini Opilij. *Opilius Macrinus Noniæ Celsæ coniugi. Quid boni adepti sumus mea vxor, caret æstimatione, & fortaßis de imperio me putes dicere. Non magnum istud quod etiam indignis fortuna conceßit. Antonini pater factus sum: Antonini mater es facta. O nos beatos, ô fortunatam domum, præclaram laudem nunc demum felicis imperii. Dii faxint & bona Iuno quam colis, vt & ille Antonini meritum effingat: & ego qui sum pater Antonini, dignus omnibus videar.*) Hæc epistola indicat quantum gloriæ adeptus sibi videretur quòd vocatus est filius Antoninus.

Diadumenus ob asperum principatum interfectus.

3 Hic tamen XIIII. mense imperij ob inciuilem patris atque asperum principatum interfectus est cum patre, non suo nomine. Quanuis etiam istum vltra ætatem sæuisse, in plerosque reperiam, vt docent literæ ab hoc eodem ad patrem missæ. Nam quum quidam defectionis suspicioné incurrissent, & eos Macrinus sæuissimè punisset, filio forte absente, atque hic audisset autores quidem defectionis occisos, quorum tamen vnus, dux Armeniæ erat, & itē legatos Asiæ atque Arabiæ ob antiquam familiaritatem dimissos, his literis conuenisse patrem dicitur, paribus missis etiam ad matrem: quarum exemplum historiæ causa inserendum putaui.

Sæuitia Diadumeni testimonium ex epistolis ad patrē & matrem exceptum.

Patri Augusto filius Augustus: Non satis mi pater videris in amore nostro tenuisse tuos mores qui tyrannidis affectatæ conscios reseruasti, sperans eos vel amiciores tibi futuros si iis parceres, vel ob antiquam familiaritatem dimitten-

iendos: quod nec debuit fieri, nec potuit. Nam primum omnium iam te exulceratis suspicionibus amare non possunt, denique crudeliores inimici sunt, qui obliti veteris familiaritatis se inimicissimis tuis iunxerunt. Adde quod exercitus adhuc habent,

Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli
Respice cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debetur. *Feriendi sunt isti, si vis esse securus. Nam vitio generis humani alii non sunt defuturi quum isti seruantur.* Hanc epistolam quidam ipsius, quidam magistri eius Celiani ferunt, Afri quondam rhetoris. ex qua apparet, quam asper futurus iuuenis, si vixisset. Extat alia epistola ad matrem ab eodem destinata talis: *Dominus noster & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Age igitur vt Arabianus, & Thuscus, & Gellius, ad palum deligentur: ne, si occasio fuerit, nos interimant.* Et, quantum Lollius Vrbicus in historia sui temporis dicit, istæ literæ per notarium proditæ, illi puero multum apud milites obfuisse dicuntur. Nam, quum patrem occidissent, quidam hunc seruare voluerunt: sed extitit cubicularius qui has epistolas concioni militum legit. Interfectis igitur ambobus, & capitibus pilo circumlatis, in Marcum Aurelium Antoninum, charitate nominis, inclinauit exercitus. Is filius Bassiani Caracallæ ferebatur. Erat autem templi Heliogabali sacerdos, homo omnium impurissimus, & qui fato quodam Romanum deformauerit imperium. De quo quidem, quia multa sunt dicenda, loco suo differam.

Infida custos regnorũ crudelitas.

Quod aliis procurauerat, ipse expecta.

Litera scripta perniciẽ suo domino adferunt.

Romanũ imperium innumeris flagitiis contaminatum corpus, impurissimo capite dignissimũ.

HERODIANI
Antoninus Elæagabalus.

BREVIARIVM.

1 *Antoninus Elæagabalus Nicomediæ hyemãs, circa patrii idoli sui cultum debacchatur, propriámque imaginem ac Dei sui figuram Romam præmisit, ac idolum istud coli iussit.*

2 *Spectaculis Romæ editis, templum, sacrificia, sacerdotes, choreas, dies festos deo suo instituit. Eius triplex coniugium & duplex diuortium.*

3 *Deo suo quærit vxorem, Carthaginensem videlicet Vraniam, quam ei locat cũ solenni pompa, & celebritate toti Italiæ indicta.*

4 *Turpia Elæagabali flagitia. Mæsa curat Alexandrum, Elæagabali consobrinum Cæsarem creari, qui prorsus diuersum iter sequitur, bonarum literarum & temperantiæ studiis addictus.*

5 *Alexandrum Elæagabalus tollere de medio conatur, quos quum milites ferre nollent, & ab impuro illo seditionis accusaretur, alii impetu facto Elæagabalum matrémque Soamidem trucidant, vna cum scelerum ministris. Cadauera per vrbem raptata ac dilaniata in cloacas abiecta sunt. Alexander, Imperator salutatus in aulam palatinam deductus est.*

1 *Princeps iuuenis, literarum & rerũ imperitus, luxui addictus magnum malum.*

POSTEA quàm exercitus vniuersus Antoninum ad quem transierat, Imperatorem consalutauit, atque ille summam rerum suscepit, rebus iam in oriente, vt quæque maximè vrgebant, ordinatis, ab auia scilicet atque amicis, qui cum eo versabantur (nam ipse adolescens admod

modum ac rerum literarúmque erat imperitus) haud diu moratus, profectionem edicit, festinante imprimis Mæsa ad Romanam aulam, cui tam diu insueuisset. Sed vt Senatui populóque Romano res innotuit, omnes eum nuntium grauiter accepêre. Sed parendum necessitati fuit, electo à militibus principe. Cæterùm incusantes Macrini negligens ingenium fluxósque mores, neminé vtique alium, sed ipsum sibi fuisse mali causam dictitabant. At verò Antoninus è Syria profectus, Nicomediæ hyemauit, ita postulante anni tempore. Statim igitur debacchari supra modum cœpit, cultúmque patrij numinis, cui dicatus fuerat, celebrare superuacuis saltationibus, vestitum vsurpans luxuriosum, purpura intextum atque auro, monilibúsque & armillis redimitus, coronas etiam sustinens ad tiaræ modum auro lapillísque pretiosis insignitas. Forma habitus inter Phœnissam stolam, sacram, ac mollem Medorum amictum. nam Romanam vestem, aut Græcanicam, planè aspernabatur è lana (vt ipse aiebat) hoc est è re vilissima confectam. Neque nisi sericas telas dignabatur, procedens identidem ad tibias & tympana, velut orgia numinis concelebraret. Hæc cernens Mæsa ac ferens iniquo animo supplex illi persuadere conabatur, vt Romanum assumeret cultum, eo quo vtebatur relicto, ne vrbem mox curiámque ingrediens, peregrino illo barbaricóque habitu spectantium oculos perstringeret, insolentes eiuscemodi munditiarum, ac reputantes mulierculis quàm viris congruentiores. Sed ille verbis aniculæ contemptis, nec cuiquam præterea credendum putans (quippe neminem circa se nisi moribus consimilem suisque obsecundantem vitiis habebat) quum retinendum sibi quemcunque illum cultum animo obstinasset, decreuit absens periculum facere, quonam animo Senatus populúsque

Quod sapiẽtibus (necessitati parentibus) meritò metũ incutit.

Stultus princeps, onus reipublicæ ferre impotens, friuolis ludicris, indignis & turpibus exercitiis vacat.

Anicula lasciuum & ferocem leonẽ frænare quũ cupit non potest, quem nõ educauit, vt decebat.

Romanus laturi forēt. Quare imaginem propriam maximis lineamentis, qua ipse pbire sacerdotis munia videbatur, simúlque figuram numinis cuius sacerdotium gerebat, depictam in tabula prēmisit Romam, iussis qui eam ferrent, in media curia loco edito supra Victoriæ caput collocare, vt quum senatus haberetur, thura vnusquisque adoleret merúmque libaret. Edixit item vt omnes Romani magistratus, quique publice sacra facerent, ante alios deos quorum meminisse inter sacrificandum solent, nouum illum deum Helęagabalū nuncuparēt.

Victi sanè sunt, nō victores, qui turpissimi nebulonis dominatui parent.

Occupationes stulto principi & populo conuenientes.

2 QVAPROPTER vt in vrbem peruenit, nihil scilicet nouum Romani viderunt, insueti iam picturæ. Diuiso igitur congiario in populum (vt mos est imperium suscipientibus) spectacula omnifariam edebat magnificentissima, templúmque item maximum pulcherrimúmque deo erexit, plurimásque circa templum constituit aras, ad quas quotidię manè taurorum hecatombas & ouium magnam multitudinē immolabat. Coaceruatisq; supra aras omne genus odoribus, etiam veterrimi cuiusq; optimique vini plurimas amphoras ante aras profūdebat, sic vt riui passim vini sanguinisq; promiscuè defluerent. Chorósq; circū aras agitabat, nullis non organis consonātibus, vnáq; mulieribus Phœnissis cursitantibus in orbē, cymbaláque inter manus habētibus aut tympana, omni circūstante senatu atque equestri ordine ad theatri formam. Exta porrò victimarū atque aromata intra lances aureas, capitibus imposita gestabāt, nō quidē famuli aliqui aut humiles personæ, sed prēfecti exercitibus, & quicūq; maximas dignitates obtinebant, induti tunicas talares ac manuleatas, Phœnicū more vnámque in medio purpuram ferentes, sed & linteis calciamentis vtebantur, quemadmodum vates in eis regionibus consueuerunt. Porrò ingētem se honorem tribuere putabat

Bonus sacrificulus idolorum, pessimus Reipub. administrator. Quid enim cani & balneo?

Aulica mancipia.

tabat, quibus eiuscemodi sacrificia participaret. Sed quanuis instaurare choros & sacra facere perpetuò videretur, plurimos tamen ex illustribus viris atque opulentis interfecit, delatos sibi quòd parum læti illiusmodi vita etiam in ipsum quandoque cauillarentur. Duxit præterea vxorem illustrissimam Romanam fœminam, quam etiam Augustam appellauit, cúmque ea tamen paulo pòst diuortium fecit, ademptisque honoribus priuatam colere vitam iussit. Post illam verò captum se amore simulans, (vt aliquid virile saltem facere videretur) Vestalem sacerdotem, quam sacræ leges castam esse & virginem manere perpetuò volunt, abreptam è templo pro vxore habuit. Ita mœstum tanto flagitio ac piaculo senatum per epistolam consolatus, humanum esse id peccatum, captum se illius puellæ amore: cæterùm sacerdoti congruere sacerdotis nuptias, ob idque etiam augustiores futuras. Sed eam quoque paulo pòst dimisit, tertia vxore ducta, quæ referre suum genus ad Commodum dicebatur.

Crudelitas superstitionis comes.

Scurra nunquam fit bonus pater familias: & ab impuro nihil nisi impurum expertes.

3 NEQVE verò humana tantùm matrimonia ludebat, sed etiam deo suo quærebat vxorem. Itaque Palladis simulacrum, quod occultum Romani, neminique videndum colunt, in cubiculum suum transtulit: immotúmque ad eam diem, ex quo Ilio auectum fuerat, præterquam quum templum conflagrauit, ipse emouit sedibus, eámque deam sui dei coniugem in aulam imperatoriam adduxit. Dein cordi esse negans deo belligeram vxorem atque armatam, simulacrum Vraniæ iussit afferri: quod scilicet Carthaginiensibus omnique Africæ incredibilem in modum venerabile, positum fuisse à Phœnissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificauit. Hanc Afri Vraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes. Congruere igitur aiebat Antoninus

Superstitio modis omnibus ridicula & cæcitate ipsa cæcior.

Egregia scilicet principis occupatio, circa muta idola versari, & sacrificum ac morionē agere. Iusta summi iudicis vindicta. His temporibus Roma Christum persequebatur: digna fuit igitur quæ idola coleret & sacrificulum impurissimũ principem haberet.

matrimonium Solis & Lunæ. Itaque & simulacrum afferri iussit, & auri quicquid in templo erat, pecuniámque quam plurimam deo suo dotis nomine dari præcepit. Quod vbi allatum est, ac prope Helæagabalum constitutum, iussit vrbe tota Italiáque festos dies celebrésque & lætitiæ plenos, publicè priuatimque, quasi diis nubentibus, agitari. Fecit & in suburbano templum maximum ac magnificentissimum, in quod anno vertente deum suum adulta iam ætate deducebat, ludísque curulibus & scenicis, epulísque & peruigiliis populum à se oblectari arbitrabatur. Ipsum porrò dei simulacrum impositum vehiculo quod esset auro pretiosísque lapidibus exornatum, deducebat ex vrbe in suburbanum, trahentibus equis seiugibus, emaculato candore ac magnitudine præcellentibus, auróque multo & phalerarum varietate conspiciendis, ac tenebat habenas. Neque enim quisquam mortalium eum inscenderat currum, sed circunstabant omnes, quasi aurigantem, deum. Antoninus autem retrorsus currens, ac simulacrum ipsum aspectans, currum antecedebat: frenos manibus retinens, totúmque iter ita retrorsum currens, ac deum semper aduersus aspectans, confecit. Ac ne caderet laberetúrque ignarus quò tenderet, aurosam substrauerant harenam plurimam, militésque eum vtrinque retentabant, quo tutius retrocederet, discurrente etiam cum fascibus vtrinque populo, & coronas florésque iaciente. tum deorum omnium simulacra, & quicquid conspicuum in templis, principatúsque insignia & pretiosissima supellex, equites item & exercitus vniuersus pompam illiusmodi comitabantur. Vbi autem deduxerat atque in templo constituerat, sacris iam celebritatibúsque quas diximus peractis, maximas altissimásque turres ad idipsum extructas conscendebat: inde scilicet in plebem missilia sparsurus, aurea

En imperij Romani, orbē sibi subiicientis metuenda maiestas!

rea videlicet argenteáque pocula, veſtéſque & lintea omne genus, beſtias præterea cicures & non cicures omnes, exceptis ſubus, quibus ipſe (vt mos eſt Phœnicibus) abſtinebat. Multi igitur inter rapiendum periere, partim inuicem proculcati, partim militum contis transfixi, ſic vt ea celebritas calamitatem quamplurimis attulerit.

Stultorum principum munera non munera.

4 IPSE identidem aurigans aut ſaltans conſpiciebatur, quippe ne latere quidem ſua patiebatur flagitia, procedens etiam in publicum pictis oculis geniſque purpuriſſatis, faciémque ſuapte natura formoſam indecoris coloribus inficiens. Quod animaduertens Mæſa, ac ſuſpectans militum ob talem Imperatoris vitam indignationem, metuénſq; ne ſi illi quid accidiſſet, ipſa rurſus in priuatam vitam relaberetur, perſuadet leui alioqui ſtolidóque adoleſcenti, vt ſibi conſobrinum ſuum nepotémque ipſius ex altera filiarum Mammæa prognotum, adoptaret, & Cæſarem declararet: ita ad gratiam loquuta, oportere iam ipſum ſacerdotio, religionique numinis vacantem bacchari, ac deûm celebrare orgia: ſufficiendum autem alterum qui res curaret humanas, quique illi principatum vacuum ab omni moleſtia curáque præſtaret. Neque tamen peregrinum aliquem aut alienum hominem requirendum, ſed cōſobrino potiſſimùm id honoris tribuendum. Is erat *Alexianus*, qui tum nuncupabatur *Alexander*, auito ipſo nomine in Macedonis regis nomen commutato. Nam eum regem fama per ſe celebrem, etiam magnopere coluerat Antoninus Seueri filius, quem fuiſſe amborum parentem perſuadere anus conabatur, iactato filiarum inceſto, quo illi magis magiſque à militibus diligerentur. Quare Cæſar declaratus Alexander, conſúlque factus cum Antonino eſt, deſcendénſque in Senatum hæc rata fecit, ſenatu ſcilicet per ridiculum decernente quod ille

Summa turpiſſima vita Elaagabali, à Lampridio minutatim deſcripta.

Maſa leuē & ſtolidum ſacrificulum deludens, iuſta in eum ſupplicia maturat.

Alexandri enim, nobiliſſimi iuuenis

Præsentia, Elaagabali moribus turpissimis pollutum magis ac magis exosum reddidit.

voluerat, hoc est, videri ipsum patrem, qui natus annos foret circiter quatuordecim: Alexandrum verò filium, qui tum duodecimum attigisset. Postea igitur quàm Alexander Cæsar est appellatus, volebat eum statim Antoninus suis illis institutis imbuere, vt scilicet choros agitans saltánsque, & sacerdotij particeps, vestitu eodem atque artibus vteretur: quem tamen mater Mammæa ab omni illa fœditate vindicabat, summissis clàm doctoribus omnium disciplinarum, modestiámque edocens, ac palæstra virilibúsque gymnasiis insuefaciens, Græcísque eum pariter & Latinis literis instituens. Quibus rebus magnopere Antoninus indignabatur, iámque adoptionis imperiique participati pœnitebat. Quapropter omnes illius doctores aula exegit, quosdámque illustriores partim morte, partim exilio affecit, ridiculas allegans causas, quòd filium ipsius corrumperent, neque agitare eum choros atque ebacchari sinerent, sed ad modestiam componerent, & virilia officia edocerent. Eóque vecordiæ prouectus est, vt omnes scenicos artifices ac theatricos ad maximas imperij dignitates promoueret. Quippe exercitibus saltatorem quendam præfecit, qui olim iuuenis publicè in theatro operas dederat. Alium item è scena iuuentuti, alium senatui, alium etiam equestri ordini præposuit. Aurigis item & comœdis mimorúmque histrionibus, maxima imperij munia demandabat. Seruísque suis, aut libertis (vt quisque turpitudine reliquos anteibat) procurationes tradebat prouinciarum.

Ornamenta principi necessaria, eruditio, modestia, exercitia virilia.

Virtutem ferre nequit turpis & crudelis inuidia: sed fœdissimis gaudet exercitiis.

5 ITA rebus omnibus, quæ grauia olim honestáque censebantur, per omnem contumeliam ac temulentiam debacchantibus, cum cæteri omnes, tum imprimis Romani milites indignabantur, contemnebántque eum, vtpote vultum componentem elegantius quàm fœminam probam deceret. Insuper

Infamis stultorum principum vita, etiam ipsis turpitudinis & scelerum conscijs sér-

per

per aureis monilibus mollisſimóque veſtitu haudquaquam viriliter ornatum, ſaltantémque in conſpectu omnium. Quare propenſiores animos in Alexandrum habebant, ſpémque meliorem in puero modeſtè & continenter educato, ſeruabántque eum diligenter omnes ab inſidiis Antonini. Mater autem Mammæa neque poculentum aliquid, neque eſculentum guſtare puerum ſinebat quod ab illo mitteretur. Cocis autem & pincernis vtebatur puer non quidem imperatoriis aut communibus, ſed quos mater tantùm delegerat, ac ſpectatæ fidei futuros arbitrabatur. Dabat item furtim pecunias mater, quas ille inter milites clanculum diuideret, vt eorum beneuolentiam etiàm pecuniæ pignore (hanc enim illi potisſimùm ſpectant) haberet autoratam. Quæ intelligens Antoninus, nihil non inſidiarum Alexandro matríque intendebat. Quas tamen omnes arcebat prohibebátque communis auia Mæſa, mulier alioqui acerrima, multóſque annos in aula cum ſorore ſua Iulia Seueri coniuge commorata. Nihil itaque eam latebat quod Antoninus moliretur, homo ſuapte natura futilis, & qui omnia quæ placerent, propalam loqueretur atque ageret. Poſtea vero quam inſidiæ parum procedebant, detrahere puero Cæſaris honorem decreuit. Itaque neque ſalutari, neque iam foras procedere patiebatur. Milites autem magnopere illum requirebant, indignantes ſi quidem imperium quoque illi adimeretur. Sed Antoninus famam vulgauit, quaſi iam obiiſſet Alexander, vt ſcilicet periclitaretur quonam id animo laturi milites forent. At illi nuſquam com parente puero, præterea animis rumore illo exulceratis indignabundi, neque ſolitam cuſtodiam miſerunt Antonino, & incluſi caſtris videre Alexandrum velle in ipſo templo dictitabant. Eo metu vehementer ictus Antoninus, Alexandro ſecum in

uis displicere eóſq. virtutis gratos cultores indagare ac diligere cogit.

Mammææ prudentia, clam ſacrificuli aras & haras euertens.

Futilitas Elaagabalo exitioſa. Nocuit eſſe loquutum.

Periculum facere ſtudens, periculũ ſibi creat turpis vulpecula.

vehiculo imperatorio confidente, quod erat auro multo gemmisque exornatum, contendit in castra. Cæterùm portis reseratis accepere vtrunque milites, atque in templum castrorum deduxerunt, salutantes supra modum, & lætis clamoribus prosequentes Alexandrum, spreto propemodum Antonino. Quæ ille ægrè ferens, quum in templo castrorum pernoctasset, iratus militibus, notatis qui Alexandro acclamauerant, quasi seditionis & tumultus autoribus, arripi omnes ad supplicium imperauit. Quod illi ægrè ferentes, atque Antoninum iam antea quoque perosi, quum tollere è medio principem fœdissimum optarent, suisque commilitonibus ferre suppetias, rati hoc esse tempus & iustam occasionem, ipsum statim Antoninum matrémque Soæmidem (quæ fortè illic aderat, vtpote & Augusta & mater) interfecerunt, cúmque eis seruos ministrósque omnes scelerum, quicunque tum in ea castra conuenerant. Cæterùm Antonini & Soæmidis cadauera trahenda per contumeliam plebi tradiderunt: quæ diu per totam vrbem raptata ac dilaniata, postremò in cloacas abiecta sunt, vt inde scilicet in Tyberim deferrentur. Sic Antoninus sexennium imperio occupato, vitáque (vt diximus) acta, simul cum matre occisus est. Milites autem Alexandrum Imperatorem consalutatum, in aulam palatinam deduxerunt, adolescentulum admodum, atque adhuc matris & auiæ, tanquam pædagogorum, præceptis obtemperantem.

Restituto enim quē opprimere cupiebat Alexandro, eiusque dignitatem ægrè ferens Elaagabalus quē aduersus alios acuebat gladium, in seipsum & matrē strinxit.

Vita turpiter exacta finis conueniens.

AELII

ÆLII LAMPRIDII
Antoninus Heliogabalus.

BREVIARIVM.

1 *Cur imperium Heliogabalo commiſſum, & vnde nomina adeptus ſit, Heliogabali, Antonini, Varii.*

2 *Heliogabali ſuperſtitio, Senatus irriſio, vita turpiſſimè acta Nicomediæ & Romæ.*

3 *Inceſtus, impietas multiplex, crudelitas in famam Macrini, nefaria turpitudo.*

4 *De bello Marcomanis inferendo cogitat, exoſus eſt omnibus, Zoticum inſignem nebulonem aulicum fouet. Nubit: verbis & geſtibus ſummam oſtentat impudicitiam: functiones publicas & conuiuia polluit.*

5 *Alexandrum conſobrinum & ſucceſſorem euertere conatus, ſibiipſi maximum creat periculum.*

6 *Dolos iterum nectens aduerſus Alexandrum, & in magnos viros ſæuiens, iram militum accendit, qui inita cōſpiratione impurum illum & eius matrem ac ſocios interficiunt.*

7 *Luxuriæ Heliogabali aliquot exempla per Lampridium ſelecta, nempe circa conuiuiorum apparatum.*

8 *Sumptus immodici priuatorum conuiuiorum, ſpectaculorum publicorum & veſtimentorum.*

9 *Cœnæ ſumptuoſiſſimæ, paraſitorum & conuiuarum ſupplicia, luxus perpetuus, ſodalitium turpiſſimum, vanitas monſtroſa, prodigalitas immenſa, pompa naturā ipſam conſpuens.*

10 *Rerum vices inuertere ſtudet: eius turpitudo, ridicula conuiuia, furioſa magnificentia, prodigioſa conuiuiorum impenſa.*

11 *Hæres ſibi eſſe ſtudens, multitudine impurorum gaudet: nihilque præ-*

ter sumptus immensos somniat; ditat meretrices: pretiosa mortis instrumenta sibi parat: at sordidissimè per cloacas ductus in Tiberim submittitur.

12 *Conclusio excusatoria Lampridii, ad Constantinum, & sequentium vitarum pollicitatio.*

Ad Constantinum Augustum.

1 Necessaria Lampridij excusatio, apposita similitudine, exemplis, & iudiciorum dei consideratione confirmata.

VITAM Heliogabali Antonini impurissimam, qui Varius etiam dictus est, nunquam in literas misissem, ne quis fuisse Romanorum principem sciret: nisi ante Caligulas, & Nerones, & Vitellios, hoc idem habuisset imperium. Sed quum eadem terra & venena ferat & frumentum, atque alia salutaria, alia contraria, eadem serpentes & ciconias; compensationem sibi lector diligens faciet, quum legerit Augustum, Vespasianum, Titum, Trajanum, Adrianum, Pium, Marcum, contra hos prodigiosos tyrannos: simul intelliget Romanorum iudicia, quod illi & diu imperarunt, & exitu naturali functi sunt, hi verò interfecti, tracti, tyranni etiam appellati, quorum nec nomina libet dicere. Igitur occiso Macrino, eiúsque filio Diadumeno, qui pari potestate imperij Antonini etiam nomen acceperat, in Varium Heliogabalum imperium collatum est, idcirco quod Bassiani filius diceretur. Fuit autem Heliogabali, vel Iouis, vel Solis Sacerdos, atque Antonini sibi nomen asciuerat, vel in argumentum generis, vel quòd id nomen vsqueadeo charum esse cognouerat gentibus, vt etiam parricida Bassianus causa nominis amaretur. Et hic quidem prius dictus est *Varius*, pòst *Heliogabalus* à sacerdotio dei Heliogabali, cui templum Romæ in eo loco constituit in quo prius ædes Horci fuit, quem e Syria secum adduxit. Postremò quum accepit imperium, *Antoninus* appellatus est: atque ipse in Romano imperio vltimus Antonin

Causa nullius momenti: tunc temporis autem Antoninorũ nomen fuit Romanis venerabile.

Idolum Heliogabali Horco substituitur non sine omine.

toninorum fuit. Hic tantum Semiamiræ matri deditus fuit vt sine illius voluntate nihil in rep. faceret, quum ipsa meretricio more viuens, in aula omnia turpia exerceret: Antonino autem Caracallo stupro cognita, ita vt hinc vel Varius vel Heliogabalus vulgò conceptus putaretur. Et aiunt quidam, *Varii* etiam nomen idcirco eidem inditum a condiscipulis, quòd vario semine, de meretrice vtpote, conceptus videretur. Hic fertur occiso Macrini factione patre, vt dicebatur, Antonino, in templum dei Heliogabali confugisse velut in asylum, ne interficeretur a Macrino, qui sæuissime cum filio luxurioso & crudeli exercuit imperium. Sed de nomine hactenus, quanuis sanctum illud Antoninorum nomen polluerit: quod tu Constantine sacratissime ita veneraris, vt Marcum & Pium inter Constantios Claudiósque velut maiores tuos aureos formaueris, adoptans virtutes veterum tuis moribus congruentes, & tibi amicas charásque. Sed vt ad Antoninum Varium reuertamur, nactus imperium, Romam nuntios misit: excitatísque omnibus ordinibus, omni etiam populo ad nomen Antoninum, quod non solùm titulo, vt in Diadumeno fuerat, sed etiam in sanguine redditum videbatur, quum se Antoninum Bassiani filium scripsisset, ingens eius desiderium factum est. Erat præterea etiam rumor qui nouis post tyrannos solet donari principibus: qui nisi ex summis virtutibus non permanet, & quem multi mediocres principes amiserunt. Denique vbi in senatu lectæ sunt literæ Heliogabali, statim fausta in Antoninum, & dira in Macrinum eiúsque filium dicta sunt: appellatúsque Antoninus princeps, volentibus cunctis, & studiosè credentibus, vt sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, quum quod optant, verum esse desiderant.

Heliogabali ortus, vita respondens.

Meretricis filius meretriciis moribus gaudet.

Constantini laus.

Maiorum virtutes successoribus vtiles.

Post tyranni cædem noui principis nomen gratissimum.

Superstitiosi idola sua aliis omnibus præferunt. Süntque inter illos maiores & minores dij.

2 SED vbi primùm ingressus est vrbem, omissis iis quæ in prouincia gerebantur, Heliogabalum in palatino monte iuxta ædes imperatorias consecrauit, eique templum fecit, studens & Matris typum, & Vestæ ignem, & Palladium, & ancylia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens nequis Romæ deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudæorum & Samaritanorum religiones, & Christianam deuotionem illuc transferendam, vt omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret.

Superstitioni omnium ordinum irrisio facilè adhæret.

4 Deinde vbi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari iussit. Quæ quum venisset vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, id est, senatusconsulti conficiendi testis: solúsque omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco viri senatum ingressa est. Fecit & in colle Quirinali senatulum, id est mulierum senatum, in quo ante fuerat conuentus matronalis, solennibus duntaxat diebus; & si vnquam aliqua matrona consularis, coniugij ornamentis esset donata: quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maximè quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ remanerent. Sed semiamirica facta sunt senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum veniret: quæ pilento, quæ equo saginario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum: quæ sella veheretur, & vtrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata: & quæ aurum vel gemmas in calciamentis haberent.

Mulierum Senatus sub muliere Imperatore. Quid enim virilis in impuro illo preciso reperias?

5 Ergo quum hybernasset Nicomediæ, atque omnia sordide ageret, inireturque à viris & subaret, statim milites facti sui pœnituit quòd in Macrinum conspirauerant vt hunc principem facerent: atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem

Turpissima vita, etiam nefariis & sceleratis hominib. (quales fuerunt isti milites) exosa.

quem Cæsarem senatus Macrino interempto appellauerat, inclinauere animos. *Quis enim ferre posset principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem; quum ne beluam quidem talem quisquam ferat?* Romæ denique nihil egit aliud, nisi vt emissarios haberet qui ei bene vasatos perquirerent, eósque ad aulam perducerent, vt eorum conditionibus frui posset. Agebat præterea domi fabulam Paridis, ipse Veneris personam subiens, ita vt subitò vestes ad pedes defluerent: nudúsque vna manu ad mammam, altera pudendis adhibita ingenicularet, posterioribus eminentibus in subactorem reiectis & oppositis. Vultum præterea eodem quo Venus pingitur, schemate figurabat, corpore toto expolitus: eum fructum vitæ præcipuum existimans si dignus atque aptus libidini plurimorum videretur. Vendidit & honores & dignitates & potestatem, tam per se quàm per omnes seruos ac libidinum ministros. In senatum legit sine discrimine ætatis, censùs, generis, pecuniæ merito, militaribus etiam præposituris & tribunatibus, & legationibus & ducatibus venditis, etiam procurationibus & palatinis officiis. Aurigas Protogenem & Gordium, primò in certamine curuli socios, pòst in omni vita & actu participes habuit. Multos quorum corpora placuerant, de scena & circo & harena in aulam traduxit. Herodem verò sic amauit vt eidem inguina oscularetur, quod dictu etiam verecundum est, Floralia sacra se asserens celebrare.

Infames emissarii.

Horrenda fabula.

Et sub tam spurco monstro latentes gemebant Christi Ecclesiæ, pietatis iustitiæ, temperantia & castitatis laudibus illustres.

Spurcissimum dominum, infames serui decent.

3 In virginem Vestalem incestum admisit Sacra P. R. sublatis penetralibus profanauit. Ignem perpetuum extinguere voluit. Nec Romanas tantùm extinguere voluit religiones, sed per orbem terræ vnum studens vt Heliogabalus deus vnus vbique coleretur: & in penum Vestæ, quod solæ virgines solíque pontifices adeunt, irrupit

Quid sacrum profanis canibus?

Nulla religio iis qui

Se & alios indesinenter polluunt.

pollutus ipse omni contagione morum, cum iis qui se polluerant. Et penetrale sacrum est auferre conatus: quúmq; seriam quasi veram rapuisset, quanuis virgo maxima falsam monstrauerat, atque in ea nihil reperisset, applosam fregit: nec tamen quicquam religioni dempsit, quia plures similes factæ dicuntur esse, nequis veram vnquam possit auferre. Hæc quum ita essent, signum tamen quod Palladium esse credebat, abstulit: & auro fictum, in sui dei templo locauit. Matris etiam deûm sacra accepit, & adeo debacchatus est vt typum eriperet. & alia sacra quæ penitus habentur condita. Iactauit autem caput inter præcisos phanaticos, genitalia sibi deuinxit, & omnia fecit quæ Galli facere solent. ablatúmque sanctum nomen in penetrale dei sui transtulit. Salambonem etiam omni planctu & iactatione Syriaci cultus exhibuit, omen sibi faciens imminentis exitij. Omnes sane deos sui dei ministros esse aiebat, quum alios eius cubicularios appellaret, alios seruos, alios diuersarum rerum ministros. Lapides qui diui dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto suo in quo id Orestes posuerat, afferre voluit. Et Orestem quidem ferunt non vnum simulachrum Dianæ, nec vno in loco posuisse, sed multa in multis. Posteaquam se apud tria flumina circa Hebrum ex responso purificauit, etiam Orestam condidit ciuitatem, quam sæpe cruentari hominum sanguine necesse est. Et Orestam quidem vrbem Adrianus suo nomine vindicari iussit, eo tẽpore quo furore cœperat laborare, vt ex responso quum ei dictum esset vt in furiosi alicuius domum vel nomen irreperet. Nam ex eo emollitam insaniam ferunt, per quam multos senatores occidi iusserat: quibus seruatis, Antoninus Pij nomẽ meruit, quòd eos post ad senatum adduxit, quos omnes iussu principis

Palladium ablatum.

Cybeles sacra.

Eiusdem sacerdotes Galli; præcisi, & phanatici: id est castrati & furentium more ceremoniis execrandis deæ suæ intenti.

Variæ Varii Heliogabali impietates.

Humanus sanguis in sacrificiis ethnicorum. Superstitionis, crudelitas filia.

cipis interfectos credebant. Cædit & humanas hostias, lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam patrimis & matrimis, credo vt maior esset vtrique parenti dolor. Omne denique magorum genus aderat illi operabatúrque quotidie, hortante illo & gratias diis agente quòd amicos eorum inuenisset quum inspiceret exta puerilia & excuteret hostias ad ritum gentilem suum. Quum collatum misisset in populum non nummos vel argenteos vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, sed boues opimos & camelos, & asinos, & seruos populo diripiendos abiecit, Imperatorium id esse dictitans. Insectatus est famam Macrini crudeliter, sed multo magis Diadumeni quòd Antoninus dictus est, Pseudoantoninum & Pseudophilippum eum appellans, simul quòd quum luxuriosissimus extitisset, vir fortissimus, optimus, grauissimus, seuerissimus diceretur. Coegit deniq; scriptores nonnullos nefanda, imò potius non ferenda eius dicta de luxuria disputare, vt in vita eius. Lauacrum publicum in ædibus aulicis fecit, simul & palam populo exhibuit vt ex eo conditiones bene vasatorum hominum colligeret. Idque diligenter curatum est vt ex tota penitus vrbe atque ex nauticis monobelos quærerent: sic eos appellabant qui viriliores videbantur.

Nobiles hostia humanæ: sit furor, superstitio.

Magia & extispicina. Nihil nõ audet potens impietas.

Alterum famam libenter lacerat.

Nefaria turpitudo.

4 QVVM Marcomannis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligauerat, dictum est à quibusdam, per Chaldæos & magos Antoninum Marcum id egisse, vt Marcomanni P. R. semper deuoti essent atque amici, ídque factis carminibus & consecratione: quum quæreret quæ illa essent, vel vbi essent, suppressum est. Constabat enim illum ob hoc consecrationem quærere vt eam dissiparet spe belli concitandi: & idcirco maxime quòd audierat responsum fuisse ab An-

Malè agendi & bella non necessaria mouendi occasiones principibus auferenda.

tonino bellum Marcomannicum finiendum, quum hic Varius, & Heliogabalus, & ludibrium publicum diceretur: nomen autem Antonini pollueret in quod inuaserat. Prodebatur autem per eos maximè qui dolebant sibi homines ad exerçendas libidines bene vasatos & maioris peculij opponi. Vnde etiam de nece eius cogitari cœpit: Et hæc quidem domi. Sed milites pestem illam velari Imperatoris nomine pati nequiuerunt, ac primùm inter sese, deinde per coronas iecere sermones in Alexandrum omnes inclinantes, qui iam Cæsar erat à senatu dictus eo tempore quo Macrinus, consobrinus huius Antonini. Nam Varia vna his erat auia: vnde Heliogabalus *Varius* dicebatur, Zoticus sub eo tantum valuit vt ab omnibus officiorum principibus sic haberetur quasi domini maritus esset. Erat præterea eidem Zoticus, qui hoc familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta venderet fumis, quam maximè diuitias enormes sperans, quum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret: egrediénsque ab illo singulos adiret, dicens, *De te hoc loquutus sum, de te hoc audiui, de te hoc futurum est*, vt sunt homines huiusmodi, qui si admissi fuerint ad nimiam familiaritatem principum, famam non solùm malorum, sed & bonorum principum vendunt, & qui, stultitia vel innocentia imperatorum qui hoc non perspiciunt, infami rumigeratione pascuntur. Nupsit & coiit vt & pronubum haberet, clamarétque, *Concide magire*: & eo quidem tempore quo Zoticus ægrotabat, quærebat deinde à philosophis & grauissimis viris, an & ipsi in adolescētia perpessi essent quæ ipse pateretur, & quidem impudentissimè: neque enim vnquam verbis pepercit infamibus, quum & digitis impudicitiam ostentaret, nec vllus in conuētu & audiente populo esset

Stulti & luxuriosi principes sapientibus consiliariis exosi, & militaribus viris intolerabiles.

Sycophanta aulicus depictus.

Aulicorum ingenium.

Neronianũ scelus ab Heliogabalo renouatum.

esset pudor. Fecit libertos præsides, legatos, consules, duces, omnésque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Quum ad vindemias vocasset amicos nobiles & ad corbes sedisset, grauissimum quenque percunctari cœpit an promptus esset in venerem, erubescentibúsque senibus exclamabat, *Erubuit, salua res est*, silentium ac ruborem pro consensu ducens. Addidit præterea ipse quæ faceret sine vllius pudoris velamento. Postea quam senes vidit erubescere ac tacere, vel quia ætas vel quia dignitas talia refutabat, contulit se ad iuuenes, & ab his cœpit omnia exquirere. à quibus quum audiret ætati congrua, gaudere cœpit & dicere, verè liberam vindemiam esse quam sic celebrarent. Ferunt multi ab ipso primum repertum, vt in vindemiarum festiuo multa in dominos iocularia & audientibus dominis dicerentur, quæ ipse composuerat & Græca maximè. Horum pleraque Marius Maximus dicit in vita ipsius Heliogabali. Erant amici improbi, & senes quidam & specie philosophi, qui caput reticulo componerent, qui improba quædam pati se dicerent, qui maritos se habere iactarent. Quos quidam finxisse dicunt vt illi fierent vitiorum imitatione clariores. Ad præfecturam prætorij saltatorem qui histrionicam Romæ fecerat, asciuit: præfectum vigilum Gordium aurigam fecit: præfectum annonæ Claudium censorem. ad honores reliquos promouit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum. ad vicesimam hæreditatum mulionem curare iussit. iussit & cursorem, iussit & cocum & claustrarium artificem. Quum ingressus est vel castra vel curiam, auiam suam Variam nomine, de qua superius dictum est, secum induxit, vt eius autoritate honestior fieret, quia per se non poterat: nec ante eum (quod iam diximus) senatum mulier ingressa est,

Impudicitia ostentata.

Dignitatum pollutio.

Honestatis publicæ profanatio.

Vindemiarum turpissimus abusus.

Adulatores, amici inimicissimi.

Histrio histriones cooptat.

Quid à turpissimo, nisi turpissima?

Stolidus gubernator, mulierem sibi substituit.

Fœdißima conuiuia. ita vt ad scribendũ rogaretur & sententiam diceret. In conuiuiis exoletos maxime iuxta se ponebat, eorúmque attrectatione & tactu præcipue gaudebat. nec quisquã ei magis poculum quum bibisset, dabat.

Turpißimus nebulo collegam virtute preditũ amouere dolis & vi molitur. 5 INTER hæc mala vitæ impudicissimę, Alexandrum quem sibi adoptauerat, a se amoueri iussit, dicens se pœnitere adoptionis, mandauitque ad senatum vt Cæsaris ei nomen abrogaretur. Sed in senatu hoc prodito ingens silentium fuit. Siquidem erat optimus iuuenis Alexander, postea comprobatus genere imperij eius, quum ideo displiceret patri quòd impudicus non esset. Erat autem idem consobrinus, & vt quidam dicunt, a militibus etiam amabatur, & senatui acceptus erat & equestri ordini. Nec defuit tamen furor vsque ad exitium voti pessimi. nãm ei percussores immisit. *Nec tyranno desunt carnifices.* Et hoc quidem modo ipse secessit ad hortos Spei veteris, quasi contra nouum iuuenem vota concipiens, relicta in palatio matre & auia & consobrino suo: iussitque vt trucidaretur iuuenis optimus & reip. necessarius. Misit & ad milites literas quibus iussit vt abrogaretur nomen Cæsaris Alexandro. Misit qui in castris statuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri solet de tyrannis. *Tabellarij item & iniustorũ mandatorũ executores.* Misit & ad nutritores eius quibus imperauit sub præmiorum spe atque honorum, vt eum occiderent quo vellent modo, vel in balneis, vel veneno, vel ferro. *Sed nihil agunt improbi contra innocentes.* *At impiorum desideriũ periti in eósque conuertũtur tela quæ parãt aliis.* Nam nulla vi quis adduci potuit vt tantum facinus impleret, quum in ipsum magis conuersa sint tela quæ parabat aliis, ab iisque sit interfectus quibus alios appetebat. Sed vbi primùm lutati sunt tituli statuarum, milites omnes exarserunt: & pars in palatium, pars in hortos in quibus erat Varius, ire tendunt vt Alexandrum vindicarẽt, hominémque impurum eundémque parricidialis animi tandem à rep. depellerent. Et quum in pala-

tium

tium venissent, Alexandrum cum matre atque auia custoditum diligentissimè postea in castra duxerunt. Sequuta autem erat illos Semiamira mater Heliogabali pedibus, solicita filio. Inde itum est in hortos: vbi Varius inuenitur certamen aurigandi parans, expectans tamen intentissime quando eidem nuntiaretur consobrinus occisus. Qui subito militum strepitu exterritus in angulum se condidit: obiectúque, veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit. Misit ex prefectis alios ad compescendos milites in castra: alios verò ad eos placandos qui iam in hortos venissent. Antiochianus igitur ex præfectis vnus, milites qui in hortos venerant, & sacramenti admonitione exorauit ne illum occiderent, quia nec multi venerant, & plerique cum vexillo, quod Aristomachus tribunus retinuerat, remanserant. hæc in hortis. In castris verò milites præfecto dixerunt se parsuros esse Heliogabalo, si & impuros homines & aurigas & histriones a se demoueret, atque ad bonam frugem rediret: his maximè submotis qui cum omnium dolore apud eum plurimum poterant, & qui omnia eius vendebant, vel vanitate vel fumis. Remoti sunt denique ab eo Herodes, Gordus, & Murissimus, & duo improbi familiares qui eum ex stulto stultiorem faciebant. Mandatum præterea à militibus præfectis ne paterentur illum ita diutius viuere: & vt Alexander custodiretur, ne vel illi aliqua vis afferretur, simul ne Cæsar quempiam amicum augusti videret, ne vlla fieret imitatio turpitudinis. Sed Heliogabalus & ingenti prece Herodẽ roposcebat impudicissimum hominem, & insidias indies Cesari propagabat. Denique Cal. Ianuariis, quum simul tum designati essent consules, noluit cum consobrino procedere. Ad extremum quum ei auia & mater dicerent, imminere milites ad eius exitium, nisi concordiam

Tyranni turpissimi omnium hominum meticulosissimi, in Heliogabalo graphicè depicti.

Ferendi, si aliam mentem induũt.

Censura & castigatio tyrannis durissima, improbis & impuris familiaribus priuari.

Infamis scurra virtutis umbram refugit.

viderent inter se consobrinorum, sumpta prætexta hora diei sexta processit ad senatum, auia sua ad senatum vocata,& ad sellam producta. Deinde in capitolium ad vota concipienda,& perficienda solennia ire noluit: omnia per præfectum vrbanum facta sunt, quasi consules illic non essent.

Ad ingeniū reuertitur, & aduersarij cædem persequitur.

6 NEC distulit cædem consobrini, sed timens ne senatus ad aliquem se inclinaret si ille consobrinum occidisset, iussit subitò senatum vrbe decedere: omnésque etiam quibus aut vehicula aut serui deerant, subitò proficisci iussi sunt: quum alij per baiulos, alij per fortuita animalia & mercede conducta veherentur. Sabinum consularem virum, ad quem libros Vlpianus scripsit, quòd in vrbe remansisset, vocato centurione mollioribus verbis, iussit occidi. Sed centurio aure surdior imperari sibi credidit vt vrbe pelleretur: itáque fecit. sic vitium centurionis Sabino saluti fuit. Remouit & Vlpianum iurisconsultum, vt bonum virum: & Siluinum rhetorem, quem magistrum Cæsaris fecerat. Et Siluinus quidem occisus est, Vlpianus verò reseruatus. Sed milites,& maxime prætoriani, vel scientes quæ mala in Heliogabalum pararent, vel quòd sibi viderent inuidiam, facta conspiratione ad liberandam remp. primùm in conscios vario genere mortis, quum alios vitalibus exemptis necarent, alios ab ima parte perfoderent, vt mors esset vitæ consentiens. Post hoc in eum impetus factus est, atque in latrina ad quam confugerat, occisus. Tractus deinde per publicum, additáque iniuria cadaueri est, vt id in cloaculam milites mitterent. Sed quum non cepisset cloacula fortuitò, per pontem Aemilium annexo pondere ne fluitaret, in Tiberim abiectum est ne vnquam sepeliri posset. Tractum est cadauer eius etiam per circi spatia, priusquā in Tiberim præcipitaretur. Nomen eius, id est Antonini, erasum

Senatum expellit, & viros dignitate conspicuos vita priuat.

Tot nefaria dicta & gesta, Heliogabalo eiusque sodalitio mortem turpissimā vitæ conuenientem creant.

Et iussis supplicijs ac tumultis cadauer, imagines, & infamis scurra,

est

est senatu iubente, remansitque Varij Heliogabali: siquidem illud affectatò retinuerat, quum vult videri filius Antonini. Appellatus est post mortem *Tiberinus*, & *Tractitius*, & *Impurus*, & multa, siquando ea erant designanda quæ sub eo facta videbantur: solúsque omnium principum tractus est, & in cloacam missus, & in Tiberim præcipitatus. Quod odio communi omnium contigit, a quo speciatim cauere debent Imperatores: siquidem nec sepulchra mereantur qui amorem senatus, populi, ac militum non merentur. Opera publica ipsius præter ædem Heliogabali dei, quem solem alij, alij Iouem dicunt: & amphitheatri instauratio post exustionem, & lauacrum in vico Sulpitio, quod Antoninus Seueri filius cœperat, nulla extant. & lauacrum quod Antoninus Caracallus dedicauerat, & lauando & populum admittendo. Sed porticus defuerant, quę postea ob hoc sub Decio Antonino extructæ sunt, & ab Alexandro perfectæ. Hic vltimus Antoninorum fuit, quanuis cognomine postea Gordianos multi Antoninos putent, qui Antonij dicti sunt, non Antonini. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, vt eius nomen senatus eraserit. quem nec ego Antoninum vocassem, nisi causa cognitionis, quæ cogit plerunque dici ea etiam nomina quæ sunt abolita. Occisa est cum eo & mater Semiamira probrosissima mulier & digna filio. Cautúmque ante omnia post Antoninum Heliogabalum, ne vnquam mulier senatum ingrederetur, vtque inferis eius caput dicaretur deuoueretúrque per quem id esset factum.

non principis, famam afficiunt.

Quid obseruandũ Principibus.

Vltimus Antoninorũ Heliogabalus. Heroum filij, plerique pestes.

Mater digna filio eũ sequitur.

7 De huius vita multa in literas missa sunt obscœna: quæ quia digna memoratu non sunt, ea solùm prodenda censui quę ad luxuriam pertinebant: quorum aliqua priuatus, aliqua iam Imperator fecisse perhibetur: quum ipse priuatus diceret se Api-

Heliogabali luxuria incredibilis.

cium, Imperator verò, Neronem, Othonem, & Vitellium imitari. Nam primus omnium, priuatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci autoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum imperatorium publice vendiderat. Deinde æstiua conuiuia coloribus exhibuit, vt hodie prasinum vitreum, alia die venetum deinceps exhiberet, semper variè per dies omnes æstiuos. Primus deinde mensas & capsas argenteas habuit: primus etiam cacabos. Vasa deinde centenaria argentea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata. Et masticatum, & puleiatum, & omnia hæc quæ nunc luxuria retinet, primus inuenit. Nam rosatum ab aliis acceptum, pinearum etiam attritione odoratius reddidit. Denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur. Nec erat ei vlla vita nisi exquirere nouas voluptates. Primus fecit de piscibus isitia, primus de ostreis, & leiostreis, & aliis huiusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis. Strauit & triclinia de rosa, & lectos & porticus, ac sic per ea deambulauit, idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis & narcissis. Hic non nisi vnguento nobili aut croco piscinis infectis natauit. Nec cubuit in accubitis facilè, nisi iis quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, subalares sæpe culcitras mutans. Senatum nonnunquam ita contempsit vt mancipia togata appellaret: populum verò Rom. vnius fundi cultorem: equestrem ordinem in nullo loco habens. Præfectum vrbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis præt. ita vt si recusarent, magistri horum eos cogerent. Voluit & per singulas vrbes lenones præfectos vrbi facere, & vt essent in vrbe XIIII. & fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos & vltimæ professionis homines. Hic

Magistri. *Aurea toralia.* *Conuiuia æstiua.* *Suppellex argentea.* *Odores.* *Ciborum exquisitiss. apparatus.* *Flores omnis generis in tricliniis, lectis & porticis.* *Et meritò, vt qui libidinosissimum monstrum per tot annos ferrent.*

Hic solido argento factos habuit lectos, & tricliniares & cubiculares. Comedit sæpius ad imitationem Apicij calcanea camelorum, & cristas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & lusciniarum: quòd qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ouis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum & fasianorum & pauonum. Barbas sanè mullorum tantas iubebat exhiberi, vt pro nasturtiis, apiastris, & facelaribus, & fœnogræco exhiberet plenis fabatariis & discis: quod præcipuè stupendum est. Canes iecinoribus anserum pauit.

Lecti ex solido argēto.

Ingeniosus venter sumptibus nullo modo parcens: denique pretiosarum escarum barathrum.

8 HABVIT leones & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per mansuetarios subitò ad secundam & tertiam mensam iubebat accumbere, ignorantibus cunctis quòd exarmati essent, ad pauorem & ridiculum excitandum. Misit & vuas apamenas in præsepia equis suis: & psittacis atque fasianis leones pauit & alia animalia: exhibuit & sumina aprugna per dies decem tricena quotidie cum suis bulbis: pisum cum aureis, lentem cum ceraunniis, fabam cum electris, & orizam cum albis exhibens. Albas præterea in vicem piperis piscibus & tuberibus consperfit. Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus, sic vt animam aliqui efflauerint, quum eripi ad summum non possent. condito piscinas & solia temperauit, & rosato atque absinthiato vulgus ad bibendum inuitauit: & ipse cum populo tantùm bibit vt in piscina eum bibisse intelligeretur, viso quòd vnus bibisset. Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas & rhedas: dedit & aureos millenos, & centena pondo argenti. Sortes sanè conuiuales scriptas in cochlea-

Gulonis turpissimi conuiuas decuit hæc intemperies.

Et palpones aulicos oportuit eo modo extingui, qui fœditatem impuri domini non fugiebant.

Tyranni de Reip. & populi corio luxuriosè ludunt.

ribus habuit tales vt alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem struthiones, alius decem oua pullina, vt veræ sortes essent & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & vrsos decem, & decem grillos, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit. Primúsque hunc morem sortis instituit quem nunc videmus. Sed verè ad sortem scenicos vocauit, quum & canes mortuos, & libram bubulæ carnis haberet in sorte: & item centum aureos, & mille argenteos, & centum folles æris, & alia talia quæ populus tam libenter accepit vt eum postea imperare gratularetur. Fertur in euripis vino plenis nauales circenses exhibuisse, pallia de œnanthio fudisse, & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulchris quæ obsistebant: iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo priuato spectaculo. Serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eósque subitò ante lucem, vt solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse, multósque afflictos morsu & fuga. Vsus est aurea omni tunica, vsus & purpurea, vsus & de gemmis Persica, quum grauari se diceret onere voluptatis. Habuit & in calceamentis gemmas, & quidem sculptas: quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis quæ pedibus adhærebant. Voluit vti & diademate gemmato, quia pulchrior fieret, & magis ad fœminarum vultum aptus: quo & vsus est domi. Fertur & promisisse phœnicem conuiuis, vel pro ea libras auri mille, vt in prætorio eas dimitteret. Marinæ aquæ colymbos exhibuit, in mediterraneis locis maximè eosdem & singulis amicis natatibus dimisit, & iterum piscibus impleuit. Montem niuium in viridario domus æstate fecit aduectis niuibus

Sortes conuiuales.

Scenici ad sortem vocati.

Populi stultitia.

Immensus sumptus.

Spectacula tyrannorum mores referentia.

Vestimentorum luxus.

Nihil gulæ & stultæ ambitioni impausum.

uibus. Ad mare piſcem nunquam comedit: in longiſſimis a mari locis omnia marina ſemper exhibuit: murænarum lactibus & luporum in locis mediterraneis ruſticos pauit. Piſces ſemper quaſi in marina aqua cum colore ſuo coctos conditura veneta comedit: momentarias de roſato, & roſis piſcinas exhibuit, & bibit cum omnibus ſuis caldaria de nardo exhibens. Idem in lucernis balſamum exhibuit. Idem mulieres nunquam iterauit, præter vxorem. Lupanaria domi amicis, clientibus & ſeruis exhibuit.

Nihil moderatum in luxuria, qua tandem mole ruit ſua, nec aliter ſcripſit.

9 Idem nunquam minus C. H-S. cœnauit, hoc eſt argenti libris triginta. Aliquando autem tribus millibus H-S. cœnauit, omnibus ſupputatis quæ impendit. Cœnas verò & Vitellij & Apicij vicit. Piſces ex viuariis ſuis bubus traxit: per macellum tranſiens mendicitatem publicam fleuit. Paraſitos ad rotam aquariam ligabat, & cum vertigine ſub aquas mittebat, ruſúſque in ſummum reuoluebat: eóſque *Ixionios amicos* vocauit. Strauit & ſaxis Lacedæmoniis ac Porphyreticis plateas in palatio: quas *Antoninianas* vocauit: quæ ſaxa vſque ad noſtram memoriam manſerunt, ſed nuper eruta & execta ſunt. Conſtituerat & columnam vnam dare ingentem, ad quam aſcenderetur intrinſecus, ita vt in ſummo Heliogabalum deum collocaret: ſed tantum ſaxum non inuenit, quum id de Thebaide afferre cogitaret. Ebrios amicos plerunque claudebat, & ſubitò nocte leones, & leopardos, & vrſos exarmatos immittebat, ita vt experfacti in cubiculo eodem, leones, vrſos, pardos, cum luce, vel quod eſt grauius, nocte inuenirent, ex quo plerique exanimati ſunt. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis ſternebat, eóſque reflabat prandentibus illis, ita vt plerunque ſubitò ſub menſis inuenirentur prandentes. Primus denique inuenit ſigma in

Cœna omnium ſumptuoſiſſima.

Gula ſemper ſicca eſt; nec ebrietas vnquam ſatis madida. In eo autem iniuſtus ille videtur iudicium exercuiſſe, quod Paraſitos apto ſupplicio puniuit, & ebrios familiares metu exanimauit. Qui enim furioſi hominis ſodales eſſe cupiunt, ſuæ dementiæ citò luunt pœnas.

terra ſternere, non in lectulis, vt a pedibus vtres per pueros ad reflandum ſpiritum ſoluerentur. Mimicis adulteris ea quæ ſolent ſimulato fieri, effici ad verum iuſſit. Meretrices à lenonibus cunctis redemit ſæpe, & manumiſit. Quum inter fabulas priuatas ſermo eſſet ortus quanti hernioſi eſſe poſſent in vrbe Roma, iuſſit omnes notari, eóſque ad balneas ſuas exhibere, & cum iiſdem lauit, nonnullis etiam honeſtis. Gladiatores ante conuiuium pugnantes ſibi frequenter exhibuit. Strauit ſibi triclinium in ſummo luſorio. Et dum pranderet, noxios & venationes ſibi exhibuit. Paraſitis in ſecunda menſa ſæpe ceream cœnam, ſæpe ligneam, ſæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream etiam vel lapideam exhibuit: ita vt omnia illis exhiberentur videnda de diuerſa materia, quæ ipſe cœnabat, quum tantùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lauarent. Primus Romanorum holoſerica veſte vſus fertur, quum iam ſubſerica in vſu eſſent. Linteamen lotum nunquam attigit, mendicos dicens qui linteis lotis vterentur. Dalmaticatus in publico poſt cœnam ſæpe viſus eſt, Gurgitem Fabium & Scipionem ſe appellans, quòd cum ea veſte eſſet cum qua Fabius & Cornelius à parentibus ad corrigendos mores adoleſcentis in publicum eſſent producti. Omnes de circo, de Theatro, de ſtadio, & omnibus locis, & balneis meretrices collegit in ædes publicas, & apud eas concionem habuit quaſi militarem, dicens eas commilitones: diſputauítque de generibus ſchematum & voluptatum. Adhibuit in tali concione poſtea lenones, exoletos vndique collectos, & luxurioſiſſimos puerulos & iuuenes. Et quum ad meretrices muliebri ornatu proceſſiſſet, papilla eiecta exoletos habitu puerorũ qui proſtituuntur, pòſt concionem pronuntiauit his quaſi

Cupidini nihil turpe videtur.

Appoſitum conuiuium menſis aulicis.

Luxuria in ſuperuacuis & immodicis ſumptibus quieſcit.

Concio ad meretrices tali Imperatore digna.

quaſi militibus ternos aureos donatiuum.Petiítque ab his vt à diis peterent vt alios haberet ipſis commendandos. Iocabatur ſanè ita cum ſeruis vt eos iuberet millena pondo ſibi aranearum deferre propoſito præmio, collegiſſéque dicitur decem millia pondo aranearum, dicens, & hinc intelligendum quam magna eſſet Roma. Mittebat paraſitis per cellarios ſalaria annua vaſa cum ranis & ſcorpiis, & cum ſerpentibus, & huiuſmodi monſtris. Claudebat in eiuſcemodi vaſis infinitum muſcarum, *apes manſuetas* eas appellans. Quadrigas circenſium in tricliniis & in porticibus ſibi ſemper exhibuit pranſitans & cœnitans, conuiuas ſenes agitare cogens, nonnullos honoratos iam Imperatori. iubebat ſibi & decem millia murium exhiberi, mille muſtellas, mille ſorices.Dulciarios & lactarios tales habuit vt quæcũque coqui de diuerſis edulibus exhibuiſſent, vel ſtructores vel pomarij, illi modò de dulciis,modò de lactariis exhiberent.Exhibuit paraſitis cœnas & de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in menſam mittebat his edulibus picta quæ apponerentur,quot miſſus eſſet habiturus,ita vt de acu aut de textili pictura exhiberentur. Nonnunquã tamen & tabulæ illis pictæ exhibebãtur,ita vt quaſi omnia illis exhiberẽtur,& tamen fame macerarentur.Miſcuit gẽmas pomis ac floribus, iecit & per feneſtram cibos totidem quot exhibuit amicis. Iuſſerat & canonẽ P.R. vnius anni meretricibus,lenonibus, exoletis intramuranis dari extramuranis alio promiſſo, quum eo tempore iuxta prouiſionẽ Seueri & Traiani ſeptem annorũ canon frumentarius Romæ eſſet. Canes quaternos ingentes iunxit ad currum, & ſic eſt vectatus intra domum regiam:idque priuatus in agris ſuis fecit. Proceſſit in publicũ & quatuor ceruis iunctis ingentibus.Iunxit ſibi & leones,Matrem magnam ſe appellãs. Iunxit & tigres. Liberum ſeſe

Innumerus numerus araneanarum à nocentiſſima omnium aranea collectus. Paraſitis autem ſalaria annua conuenientiſſima mittuntur. In eos tantum ſceleſtus nebulo ingenioſus & iuſtus fuiſſe videtur.

Prodigioſa prodigalitas.

Pompa naturæ ipſi maledicens. Luxuriæ monſtra rerum omnium or-

dinem & gemmam turbare solem.

vocans, eodémque habitu agens quo dij pinguntur quos imitabatur. Aegyptios dracûculos Romæ habuit quos illi *agathodæmonas* vocant. Habuit & hippopotamos & crocodilum & rhinocerotem, & omnia Aegyptia quę per naturam sui exhiberi poterat. Struthiones & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudęis vt ederent. Illud sanè mirû videtur quod dicitur ab eo factum, vt de croco sigma strauerit quum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate se dicens fœnû exhibere.

Quibus vita & mens subuersa est, nox & dies inseruire vt aliis, verè hominibus, minimè debent.

10 TRAIECIT & diurum actus noctibus & nocturnos diebus æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ ita vt sero de somno surgeret & salutari inciperet, manè autem dormire inceptaret. Amicis quotidie nec quenquam facilè indonatum relinquebat, nisi quem frugi quasi perditum reperisset. Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis & æratis. Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad papillam, vel ternas & amplius, & sic vectatus est: sed plerunque nudus quum illum nudæ traherent. Habuit & hanc consuetudinem vt octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, quum capi non possent vno sigmate, vt de his omnibus risus citaret. Donauit & argentum omne conuiuis quod habuit in conuiuio, & omnem apparatum poculorum, ídque sæpius. Hydrogarum Romanorû ducum primus publicè exhibuit, quum antea militaris mensa esset, quam postea statim Alexander reddidit. Proponebat præterea his quasi themata, vt iura noua dapibus condiendis inuenirent: cuius placuisset commentum, ei dabat maximum præmium, ita vt sericam vestem donaret, quæ tûc & in raritate videbatur, & in honore. Si aliquis autem displicuisset, iubebat vt semper id comesset,

Nihil ridiculum magis quàm luxuriosus tyrannus.

Gula periti magistri premio donati: imperitiores lepidè mulctati.

quam

quamdiu tamen meliùs inueniſſet. Semper ſanè aut inter flores ſedit, aut inter odores pretioſos. Amabat ſibi pretia maiora dici earum rerum quæ menſæ parabantur, orexin conuiuio hanc eſſe aſſerens. Pinxit ſe vt cupediarium, vt ſeplaſiarium, vt popinarium, vt tabernarium, vt lenonem, idque totum domi ſemper exercuit. Sexcentorum ſtruthionum capita vna cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale conuiuium vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, ſed per ſingula lauarent, & mulieribus vterentur & ipſe & amici, cum iureiurando quòd efficerent voluptatem. Celebrauit item tale conuiuium vt apud amicos ſingulos ſinguli miſſus appararentur, & quũ alter maneret in capitolio, alter in palatio, alter ſuper aggerem, alter in Cælio, alter trans Tiberim, & vt quiſque manſiſſet, tamen per ordinem in eorum domibus ſingula fercula ederentur, iretúrque ad omnium domos: ſic vnum conuiuium vix toto die finitum eſt, quum & lauarent per ſingula fercula, & mulieribus vterentur. Sybariticum miſſum ſemper exhibuit ex oleo & garo: quẽ quo anno Sybaritæ repererunt, perierũt. Dicitur & balneas feciſſe multis locis ac ſemel lauiſſe, atque ſtatim deſtruxiſſe, ne ex vſu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de zetis feciſſe dicitur. Sed & hæc nonnulla fidem tranſeuntia, credo eſſe ficta ab iis qui in gratiam Alexandri Heliogabalum deformare voluerunt.

Stercus inter flores.

Idolum putridum pictum.

Conuiuia omnem luxurioſiſſimorũ conuiuiorum luxuriam ſuperantia.

30

11 FERTVR & meretricem notiſſimam & pulcherrimam redemiſſe C. H-S. eámque intactam, velut virginem coluiſſe. Huic eidem priuato quum quidam diceret, *Non times pauper fieri?* dixiſſe dicitur, *Quid melius quàm vt ipſe mihi hæres ſim & vxori meæ?* Habuerat præterea facultates, à multis dimiſſas gratia patris. Idem filios ſe nolle dicebat, nequis

Alij ſumptus Heliogabali ſuiipſius hæredis.

31

dinem & gerinum turbare solere. vocans, eodémque habitu agens quo dij pinguntur quos imitabatur. Aegyptios dracúculos Romæ habuit quos illi *agathodæmonas* vocant. Habuit & hippopotamos & crocodilum & rhinocerotem, & omnia Aegyptia quę per naturam sui exhiberi poterat. Struthiones & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, dicens præceptum Iudęis vt ederent. Illud sanè mirũ videtur quod dicitur ab eo factum, vt de croco sigma strauerit quum summos viros rogasset ad prãdium, pro eorum dignitate se dicens fœnũ exhibere.

Quibus vita & mens subuersa est, nox & dies inseruire vt aliis, verè hominibus, minimè debent. 10 TRAIECIT & diurni actus noctibus & nocturnos diebus æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ ita vt sero de somno surgeret & salutari inciperet, manè autem dormire inceptaret. Amicis quotidie nec quenquam facilè indonatum relinquebat, nisi quem frügi quasi perditum reperisset. Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis & æratis. Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad papillam, vel ternas & amplius, & sic vectatus est: sed plerunque nudus quum illum nudæ traherent. Habuit & hanc consuetudinem vt octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, & item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, & octo pingues, quum capi non possent vno sigmate, vt de his omnibus risus citaret. Donauit & argentum omne conuiuis quod habuit in conuiuio, & omnem apparatum poculorum, idque sæpius. Hydrogarum Romanorũ ducum primus publicè exhibuit, quum antea militaris mensa esset, quam postea statim Alexander reddidit. Proponebat præterea his quasi themata, vt iura noua dapibus condiendis inuenirent: cuius placuisset commentum, ei dabat maximum præmium, ita vt sericam vestem donaret, quæ tũc & in raritate videbatur, & in honore. Si aliquis autem displicuisset, iubebat vt semper id comesset,

Nihil ridiculum magis quàm luxuriosus tyrannus.

Gula periti magistri pr[æ]mio donati: imperitiores lepidè mulctati.

quam

quamdiu tamen meliùs inueniſſet. Semper ſanè aut inter flores ſedit, aut inter odores pretioſos. Amabat ſibi pretia maiora dici earum rerum quæ menſæ parabantur, orexin conuiuio hanc eſſe aſſerens. Pinxit ſe vt cupediarium, vt ſeplaſiarium, vt popinarium, vt tabernarium, vt lenonem, idque totum domi ſemper exercuit. Sexcentorum ſtruthionum capita vna cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale conuiuium vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, ſed per ſingula lauarent, & mulieribus vterentur & ipſe & amici, cum iureiurando quòd efficerent voluptatem. Celebrauit item tale conuiuium vt apud amicos ſingulos ſinguli miſſus appararentur, & quũ alter maneret in capitolio, alter in palatio, alter ſuper aggerem, alter in Cælio, alter trans Tiberim, & vt quiſque manſiſſet, tamen per ordinem in eorum domibus ſingula fercula ederentur, iretúrque ad omnium domos: ſic vnum conuiuium vix toto die finitum eſt, quum & lauarent per ſingula fercula, & mulieribus vterentur. Sybariticum miſſum ſemper exhibuit ex oleo & garo: quẽ quo anno Sybaritæ repererunt, perierũt. Dicitur & balneas feciſſe multis locis ac ſemel lauiſſe, atque ſtatim deſtruxiſſe, ne ex vſu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætoriis, de zetis feciſſe dicitur. Sed & hæc nonnulla fidem tranſeuntia, credo eſſe ficta ab iis qui in gratiam Alexandri Heliogabalum deformare voluerunt.

Stercus inter flores.

Idolum putridum pictum.

Conuiuia omnem luxurioſiſſimorũ conuiuiorum luxuriam ſuperantia.

30.

II FERTVR & meretricem notiſſimam & pulcherrimam redemiſſe C. H-S. eámque intactam, velut virginem coluiſſe. Huic eidem priuato quum quidam diceret, *Non times pauper fieri?* dixiſſe dicitur, *Quid melius quàm vt ipſe mihi hæres ſim & vxori meæ?* Habuerat præterea facultates, à multis dimiſſas gratia patris. Idem filios ſe nolle dicebat, nequis

Alij ſumptus Heliogabali ſui ipſius heredis.

31

Odores indici. ei frugi contingeret. Odores Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas iubebat incendi. Iter priuatus nunquam minus sexaginta vehiculis fecit, *Vehicula.* auia sua Varia reclamante quòd omnia perditurus esset. Imperator verò etiam sexcenta vehicula dicitur duxisse, asserens decem milibus camelorum Persarum regem iter facere, & Neronem quingentis carrucis iter iniisse. Causa vehiculorum erat lenonum, lenarum, meretricum, exoletorum; subactorum etiam bene nasatorum multitudo. *Comitatus.* In balneis semper cum mulieribus fuit, ita vt eas ipse psilothro curaret: ipse quoque barbam psilothro accurans: quódque pudendum dictu est, eodem quo mulieres accurabantur, & eadem hora: rasit & virilia subactoribus suis, nouacula manu sua, qua postea barbam fecit. Scobe auri porticum strauit & argenti, dolens quòd non posset & electri: idque frequenter quacunque fecit iter pedibus vsque ad equum vel carpentum, vt fit hodie de aurosa harena. *Porticus & tritum pedibus iter.* Calciamentum nunquam iterauit, annulos etiam negatur iterasse. Preciosas vestes sæpe conscidit, vel lanam cepit & appendit, atque ad eius æstimationem ponderis, pisces amicis exhibuit. *Vestes.* Naues onustas mersit in portu, magnanimitatis hoc esse dicens. Onus ventris auro excepit: in myrrhinis & onychinis minxit. *Cubiculi suppellex.* Idem dixisse fertur, *Si habuero hæredem, dabo illi tutorem qui illum hæc facere cogat quæ ipse feci facturúsque sum.* Habuit etiam istam consuetudinem vt cœnas sibi exhiberet tales: vna die nonnisi de fasianis tantùm ederet, omnésque missus sola fasianorum carne strueret: *Cœna varia.* item alia die de pullis, alia de pisce illo, & item illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de holeribus, alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. Sæpe amicos suos cum Aethiopibus aniculis inclusit nocturnis mansionibus, & vsque ad lucem detinuit, quum pulcherrimas *Insanorum amici & familiares, insani.*

ſimas his diceret apparatas. Fecit hoc idem etiam de pueris: & tunc, vtpote ante Philippum, licebat. Ridebat autem ſic nonnunquam vt publice in theatro ſolus audiretur: ipſe cantauit, ſaltauit, ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizauit, organo modulatus eſt. Fertur & vna die ad omnes circi & theatri & amphitheatri, & omnium vrbis locorum meretrices, tectus cucullione mulionico ne agnoſceretur ingreſſus, quum tamen omnibus meretricibus ſine effectu libidinis aureos donaret, addens, *Nemo ſciat, Antoninus hæc donat.*) Libidinum genera quædam inuenit, vt ſpinthrias veterum malorum vinceret: & omnes apparatus Tiberij & Caligulæ & Neronis norat. Et prædictum eidem erat a ſacerdotibus Syris, biothanatum ſe futurum. Parauerat igitur funes blatta & ſerico & cocco intortos quibus, ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos quibus ſe occideret ſi aliqua vis vrgeret. Parauerat & in ceranneis & hyacinthis & in ſmaragdis venena quibus ſe interimeret ſiquid grauius immineret. Fecerat & altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque ante tabulis, ex qua ſe præcipitaret, dicens, etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere & ad ſpeciem luxuriæ, vt diceretur nemo ſic periſſe. Sed nihil iſta valuerunt. Nam (vt diximus) & occiſus eſt per ſcurras, & per plateas tractus eſt ſordidiſſime, per cloacas ductus, & in Tiberim ſubmiſſus eſt. Hic finis Antoninorum nomini in republ. fuit, ſcientibus cunctis iſtum Antoninum tam vita falſum fuiſſe quam nomine.

A libidinis ſpurciſſimæ magiſtro quid præter turpia dicta & geſta expectes?

Heliogabali dementia.

Merita morte oppreſſa.

12 MIRVM fortaſſe cuipiam videatur Cõſtantine venerabilis, quòd hæc clades quam retuli, loco principum fuerit, & quidem prope triennio, ita vt nemo inuentus fuerit qui iſtum a gubernaculis Romanæ maieſtatis abduceret, quum Neroni, Vitellio, Caligulæ, cæteriſque huiuſmodi nunquam ty-

Et mirum equidem videtur. At iuſta Numinis iuſta vindicta viſum eſt.

rannicida defuerit. Sed primùm omnium ipse veniam peto quòd hæc quæ apud diuersos reperi, literis tradidi, quum multa improba reticuerim, & quę ne dici quidem sine maximo pudore possunt. Ea verò quæ dixi, prætextu verborum adhibito, quantum potui, texi. Deinde illud quod clementia tua solet dicere, credidisse reficiendum, *Imperatorem esse, fortunæ est*. Nam & minus boni reges fuerunt, & pessimi. Agendum verò quod pietas tua solet dicere, *Vt sint imperio digni quos ad regendi necessitatem vis fatalis adduxerit*. Et quoniam hic vltimus Antoninorum fuit, neque postea hoc nomen in republ. loco principum frequentatum est, etiam illud addendum est, nequis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem ac filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primùm fuit, sed prænomen. deinde, vt plerisque in libris inuenio, Antonij dicti sunt non Antonini.

Et ea quidē silentio perpetuo obruēda. Quæ autem detecta sunt, quantūuis tecta, Rom. imperij maiestatem in omne scelus delapsam esse satis superque demonstrant.

35. Hæc sunt de Heliogabalo, cuius vitam me inuitum & reluctantem, ex Græcis Latinisque collectam, scribere ac tibi afferre voluisti, quum iam aliorum antè tulerimus. Scribere autem ordiar qui pòst sequentur: quorum Alexander optimus, & cum vera dicendus assertione, & annorum tredecim princeps: semestres alij, & vix annui & bimi. Aurelianus præcipuus: &, horum omnium decus, autor tui generis Claudius: de quo vereor ad clementiam tuam scribens vera dicere, ne maleuolis adulatus videar esse. Sed absoluar contra liuorem improborum, quum apud alios clarum esse perspexerim. His iungendi sunt Diocletianus, aurei parens seculi & Maximianus (vt vulgò dicitur) ferrei, cæterique ad pietatem tuam. Te verò Auguste venerabilis, multis paginis, iisdémque disertioribus, illi prosequentur quibus id felicior natura detulerit. His addendi sunt Licinius, Seuerus Alexander atque Maxentius: quorum omn

Lampridij institutum, quod temporum iniuria irritū fecit.

omnium ius in ditionem tuam deuenit: sed ita vt nihil eorum virtuti derogetur. Non enim ego id faciam quod plerique scriptores solent, vt de his detraham qui victi sunt, quum intelligam gloriæ tuæ accedere si omnia de illis quæ bona in se habuerunt, vera prædicaro.

Historiæ scriptores inepti perstricti.

HERODIANI
Alexander.

BREVIARIVM,

1 *Sub Alexandro Mammææ filio forma principatus ad Optimatum gubernationem redigitur. Mammææ de filio laudata cura. Alexandri ingenium, imperium, coniugium. Matris auaritia, crudelitas, & ambitio.*

2 *Persarum rex in Romanos arma mouet, & literis Alexandri contemptis Mesopotamiam ac præsidia limitanea Romanorum perequitat.*

3 *Alexander ad bellum se comparat, graui oratione milites excitat, Româ discedit sui desiderium omnibus relinquens, & Persicos legatos in Phrygiam relegat.*

4 *Repressis nonnullis seditiosis exercitum trifariam, sed intempestiuè, distribuit, vnde facilis Persarum regi victoria, & Romanorum probrosa profligatio.*

5 *Reliquias exercitus Alexander Antiochiæ colligit, militis mæstitiam pecuniarum largitione leuat, & Persas ad sua rediisse audiens deliciis indulget.*

6 *Nuntio allato de Germanorum motibus ac excursionibus, Alexander, formidine tactus, profectionem indicit, & ad Rheni ripas res ad bellum necessarias comparat: sed otii amans, & bellandi occasionibus neglectis, mittit ad*

Germanos de pace legationem.

7 Milites ignauiam Alexandri ægrè ferentes, crudeli coniuratione inita, Maximinum Thracem, tyronum præfectum, virum planè militarem, Imperatorem salutant, qui primùm coactus, deinde sua sponte oblatam dignitatem amplectens, Alexandrum à militibus derelictum, in tabernaculo cum matre Mammæa & aliis interfici iubet.

I Gynæcocratia initio moderata, sed tandem exitiosa ipsi Alexandro.

QVEM habuerit vitæ finem Antoninus Elæagabalus, in superioribus demonstratum est. Alexander autem post illum nomen insigniáque gerebat imperij: cæterùm negotiorum administratio ac principatus gubernacula mulieribus incumbebant, omnia transferre ad modestiam grauitatémque conantibus. Quippe iam primùm sedecim ordinis senatorij viros, ætatis grauitate vitæque sanctimonia præcellentes, assessores principis & consiliarios delegerunt: nihílque aut dicebatur aut agebatur, nisi illorum accedente suffragio. Grata igitur populo, militibúsque ac Senatui præterea forma principatus erat, ex contumeliosissima tyrannide ad optimatium gubernationem redacta.

Administratio vtilis & grata.

Igitur primò Deorum simulacra, quæ ille propriis sedibus extulerat, suis quæque templis, delubris, fanísque restituerunt. dein quos ille temere aut vitiorum nomine quibus nobilitati fuerant, ad honores dignitatésque extulerat, submotos inde, ad pristinam vitam omnes artificiúmque redegerunt. Res autem cunctas atque administrationes, ciuiles quidem & forenses, insignibus doctrina viris legúmque peritissimis, militares autem claris bellica virtute hominibus commendabant.

Mæsæ obitus.

Quúmq; diu ad hunc modum regeretur imperium, Mæsa iam extremæ senectutis diem suum obiit, honores adepta imperatorios, atque (vt mos Romanis est) inter diuas relata

lata. At Mammæa cernens iam solam se filio reliquam, præesse ad eundem modum moderarique studebat. Quúmque adolescentem summam habere iam cerneret autoritatem, metu ne viuida ætas in summa potestate licentiáque rerum, in cognata aliqua impingeret vitia, vndique aulam seruabat, neque adiri a quoquam adolescentem patiebatur, cuius vita moré sque improbarentur, ne scilicet bona indoles corrumperetur, prouocantibus appetitum eius iam vigentem assentatoribus in extremas libidines. Persuaserat autem vt actibus incubaret meliore diei parte, idque faceret quamsæpissime, nequod spatium superesset vacandi malis artibus occupato rebus potioribus, ac necessariis impetanti. Cæterùm suapte natura suberat Alexandro mite mansuetúmque ingenium, propensúmque ad humanitatem, quod ipsum ætas etiam consequens declarauit. Quippe annis quatuordecim anæmaton, *hoc est citra sanguinem*, gessit imperium, ne vno quidem occiso. Licet enim permulti maximis criminibus impegerint, tamen ab illorum cæde semper abstinuit: quod vtique non facilè à quoquam omnium imperatorum, quiqui Marco successerint, factum obseruatúmque inuenies. Neminem quisquam illo per tot annos imperante commemorare potest, cui mors indemnato sit illata. Matrem verò etiam incusabat, eique grauiter succensebat quòd esset pecuniæ auidior & opũ cumulãdarum studiosior videbatur. Etenim quũ simularet ideo se thesauros congerere Mammæa vt suppeditare Alexandro posset quod is facilè abũdantérq; suis largiretur militibus, proprios domi thesauros extruebat. Quę res imperatori notã infamiæ attulit, quòd illo sc. inuito atq; indignabũdo etiam, mulier auida, per fraudem bona quorũdam atq; hæreditates suppilabat. Dedit item filio in matrimonium puellam patritij generis:

Mammaa (quam nonnulli Christianã fuisse existimant) prudẽtia, ab aliis plerisque reginis matribus neglecta, vnde Regnorum & Imperiorum florentiss. labes.

Alexandri ingenium & imperiũ laude dignissimum. Quid enim in principe est mansuetudine et clementia nobilius?

Matris auaritia filio tandem parit exitium.

quam etiam marito charam gratámque imprimis, eadem paulo pòst aula per omnem contumeliam exegit. Et quum ipsa tantùm vocari Augusta vellet, eámque appellationem puellæ inuideret, eò contumeliarum prouecta est vt puellæ pater, quanuis magnæ apud Alexandrum generum autoritatis, impatiens Mammææ iniuriarum quas ipsi nataque inferebat, confugerit in castra, gratiam se habere Alexandro dictitans habiti sibi honoris: cęterùm Mammæam accusans, nihil non contumeliæ inferentem. Quare indignata mulier, interfici eum quidem iussit, puellam verò ædibus imperatoriis exactam, in Africam relegauit. Hæc autem omnia fiebant inuito coactóque Alexãdro. quippe illi mater supramodùm imperitabat, ac dicto audientem semper habebat: vt hoc tantùm reprehendi in Alexandro possit, quòd mansuetudine nimia & reuerentia maiore quam oportuit, etiam contra animi sui sententiam matri obsequeretur.

Mulier ambitiosa parē ferre nequit.

Nihil finit inausum ambitiosæ fœminæ præceps furor.

2 Igitvr quum ad hunc modum tredecim annos (quod quidem ad se attineret) sine querela cuiusquam imperium gubernasset, ecce tibi quartodecimo anno haud opinatò literæ è Syria Mesopotamiáque redditæ à ducibus, in quibus scriptum esset, Artaxerxem Persarum regem, Parthis iam deuictis atque Artabano, qui rex magnus primus appellatus est, duplicique diademate vtebatur, non solùm orientis regno, sed vita quoque expulso, subigere vicinos barbaros, ac sibi vectigales facere: neque iam intra fluuium Tigrim tenere se, sed superatis ripis ac Romani finibus imperij, excurrere per Mesopotamiam, Syrięque minitari: omnémque Europæ oppositam continentem, quę mari Aegæo fretóque Propontidos terminatur atque Asiæ nomen habet, ceu veterem Persarum possessionem sibi vindicare: quòd iam inde à Cyro, qui primus imperium

Magna laus Alexandri: sed perseuerãdum fuit. At in portu fecit naufragium.

Persarũ rex potētissimus, & imperij Romani perpetuus hostis. Non capit regnum duos.

à Medis in Persas transtulit, ad Darium vsque extremum Persarum regem, cui regnum Alexander Macedo abstulerit, cuncta olim Ionia Cariáque tenus a Persarum satrapis gubernarentur. Quare sui muneris esse curare nunc vt vetus atque integrum imperium Persis restitueretur. Quibus intellectis Alexander, atque haud mediocriter re. subita inopinatáque perturbatus (quippe in altissima pace educatus à puero, atque vrbanis deliciis innutritus) conuocato priùs amicorum consilio, decreuit legatos cum literis mittere, qui spem barbari conatúsque inhiberent. Igitur literæ in hanc sententiam compositæ, *Oportere illum suis finibus contentum, nihil rerum nouarum moliri, neque sublatum vana spe ingens excitare bellum. Debere vnumquenque suis fortunis acquiescére. Non perinde sibi pugnam processuram aduersus Romanos, vt aduersus vicinos & eiusdem corporis barbaros. Admonebat præterea victoriarum quas contra eos Augustus ac Traianus, Luciúsque item & Seuerus adepti fuissent.* Huiuscemodi literis Alexander persuasurum se barbaro, metu scilicet perterrito, pacem quietémque arbitrabatur. Quibus ille contemptis, rémque armis potiùs quàm verbis gerendam ratus, tum verò ferocissimus ingruere, decursáque ac perequitata Mesopotamia omni, prædas agere, atque oppugnare Romanorum castra imposita fluminum ripis, quæ scilicet imperij limites tuerentur. Qúmque homo esset natura gloriosus, ac sublimes animos gereret, successu rerum inopinato subacturum se omnia videlicet existimabat. Neque enim parua erant quæ illius animum ad maius concupiscendum regnum inflammabant. Primus nanque ipse Parthis bellum inferre ausus, Persarum recepit imperium. Siquidem post Darium illum cui regnum Macedo Alexander abstulerat, permultis sanè annis Macedones ipsi, quíque Alexandro successerunt, diuisas

Placidus & deliciis vrbanis innutritus princeps vel leuissimo belli nuntio turbatur.

Literis non reprimitur ambitio.

Sed arma somnians nō verbis sed armis est cōpescenda.

Prosperitas attollit superbos, quibus etiam nō desunt speciosa rerum gerendarum consilia.

inter se orientis Asiæque totius regiones gubernarunt. Sed ortis inter ipsos discordiis, ac frequentibus bellis attrito Macedonum robore, primus Arsaces Parthus persuasisse earum regionum barbaris memoratur vt a Macedonibus deficerent: impositóque sibi diademate, Parthorum barbarorúmque vicinorum consensu, & ipse regnum tenuit & posteris reliquit ad Artabanum vsque regem, qui nostra ætate fuit, quo interfecto Artaxerxes, regnóque Persis restituto vicináque barbaria per vim subacta, facilè iam Romanam quoque potentiam lacessebat.

Pacis & otij cultor ad belli artes ægrè pertrahitur.

3 QVAE vbi Alexandro Romę agenti nuntiata sunt, minime iam ferendam putans insolentiam barbari, vocantibus illuc se ducibus, ægrè scilicet tandem, contráque animi sui sententiam ad expeditionem se comparat. Igitur in Italia prouinciisque reliquis delectus habebantur cunctorum qui vel habitudine corporis, vel ætatis vigore, idonei fore ad pugnam viderentur. Motúsque ingens omnibus Romani imperij regionibus extitit delectibus habendis, qui tantę barbarorum multitudini quanta incursiones facere nuntiabatur, pares forent. At verò Alexander, vrbanis omnibus militibus conuocatis, in solitum campum, côscensóque tribunali in hanc sententiam verba fecit, *Cuperem, cômilitones, eiúsmodi habere orationem apud vos, quæ & dicenti mihi (vt consueuerat) ornamentum, & vobis audientibus lætitiam conciliaret. Nam quum multos annos pacem agitauerimus, si quid noui nunc audieritis, fortasse quasi præter spem acciderit, expanescetis. Decet autem viros fortes atque moderatos optima quidem optare, sed ferre quæcunque incidant. Vt enim quæ cum voluptate agimus, dulcia: ita quæ cum virtute, gloriosa sunt. Atque vt is qui prior lacessit, ipse sibi iniurius videtur: ita qui propulsat iniuriam, confidentior ex conscientia fit, atque ex iustitia spem bonam mutuatur. Artaxerxes vir Persa, posteaquam Artabanum dominum suum*

Initia belli qualia.

Oratio exhortatoria ad bellum Persis inferendum.

Rationes. A necessario & iusto.

Ab Arta-

suum interfecit, atque ad Persas imperium transtulit, etiam nostra arma lacessere, despecta maiestate Romana, & iam incursare ac vastare nostras prouincias aggreditur. Huic ego per literas à principio studui persuadere vt inexplebilem illam vecordiam omitteret, néve aliena concupisceret. At ille barbara insolentia prouectus, neque se continere suis sedibus iam vult, & nos ad pugnam prouocat. Ne cunctemur igitur, néve prælium detrectemus: sed quicunque seniores hîc adestis, in memoriam vobis reuocate tropæa quæ sæpe aduersus barbaros Seuero atque Antonino parente meo ducibus excitastis. quibus autem ætas integra est, laudem hanc imprimis ac gloriam concupiscite, vt intelligant omnes scire vos non solùm pacem mansuetè ac reuerenter colere, verumetiam quum res postulat, fortissimè præliari. Quippe barbari vt cedentibus detrectantibúsque acriter instant, ita repugnantibus minimè resistunt. Neque enim illis collata acies spem victoriæ pollicetur, sed excursibus fugáque vtentes, lucrari se demum putant, quæ scilicet rapuerunt: at nos quum omnia composita ordinatáque habeamus, tum illos vincere ac profligare semper didicimus. Talia quædam loquutum Alexandrum alacri vociferatione milites exceperunt, ac se promptissimos ad bellandum ostenderunt. Ille diuiso largiter stipendio, iubet ad iter accingi: mox ad eam ferme sententiam loquutus in senatu, diem discessui præstituit. Quæ vbi aduenit, sacris discessus causa de more peractis, deducente senatu populóque vniuerso, Roma proficiscitur, respectans identidem ac lacrymans. Sed neque popularium quisquam fuit qui siccis oculis aspexerit abeuntem: quippe omnem multitudinem sui cupidam habebat, educatus ab ipsis, imperióque tam multos annos modestissimè administrato. Cæterùm festinato itinere quum Illyricas etiam gentes exercitúsque lustrasset, magnis inde quoque viribus collectis, Antiochiam contendit. In ea ciuitate, quæ belli vsus postularet, diligenter comparabat, exer-

Xerxis hostis iniustitia, & Alexandri mansuetudine.

Ab officio Romanorũ & præterita gloriæ recordatione.

A vecordia Persarũ & Romanorum fortitudine atque disciplina.

Stipendio liberali alacres milites magis ac magis animandi.

Bonus & moderatus princeps sui desiderium subditis relinquit.

cendis etiam militibus ac cæteris bellicis muneribus pertractandis intentus. Visum igitur illi est legationem iterum mittere ad Persarum regem, quæ de pace amicitiáque cum illo ageret. Nam quum ipse iam afforet, minimè desperabat aut persuasurū quæ vellet aut certè perterrefacturum. Enimuerò barbarus Romanos oratores re infecta domum remisit: ipse quadringētos e suis proceritate insignes, vestitúque eleganti auróque exornatos, equis atque arcubus conspicuos, legatos ad Alexandrum mittit, perterritum iri Romanos putans aspectu illo cultúque Persarum. Legationis eius hæc erat sententia, Iubere magnum regem Artaxerxem Romanos eorúmque principem Syria omni, Asiáque quæcunq; ex aduerso Europæ sita est, decedere: sinere Persas Ionia Cariáque tenus dominari, omnibúsque iis regionibus quas mare Aegæum, Pontúsque disterminat. Hæc afferentes legatos quadringentos comprehendi Alexander iubet, omníque adempto cultu in Phrygiam relegat, vicis agrisque concessis quos colerent, cōtentus hoc supplicio interdicti in patriam reditus. quippe occidere nefarium facinus, miniméque virile arbitrabatur, neque in acie captos & sui regis mandata exequutos.

Omnia consilio & pacis artib. prius quàm armis experienda sunt.

Ambitiosi principes fastu & insano strepitu se alios perterrefacere posse putant: at Alexander ius gentium non expedisse videtur legatos Persas relegando.

4 His ad hunc modum peractis, comparante iam se vt fluuios transgrederetur Alexandro, ac Romanorum exercitum in barbarorum agros deduceret, defecerunt ab illo milites nonnulli ex Aegypto acciti, neque non in Syria quoque res nouas contra imperium moliti alij, sed vniuersi tamen oppressi statim, suppliciόque affecti sunt. Quosdam etiam exercitus in regiones alias transtulit Alexander, vt inde barbarorum incursiones faciliùs arcerentur. Quibus ordinatis rebus, magnóq; iam coacto exercitu, quum primùm se haud imparem fore aduersariorum copiis credidit, de amicorum sententia milites

In proculdissitis ab imperij sede prouinciis, seditiones facilè oboriuntur.

lites trifariam diſtribuit ſic vt vnam partem iube-ret,ſpectantem ad ſeptentriones,facere iter per Armeniam, quæ regio amica Romanis videbatur, atque illinc Medorum fines incurſare: alteram item ad ſeptentrionem,per barbarorum agros contendere,vbi confluentes Tigris & Euphrates, denſiſſimis paludibus excipi, atque ob id eorum duntaxat fluuiorum latere egreſſus dicuntur: tertiam porrò valentiſſimámque exercitus partem,ipſe adducturum ſe aduerſus barbaros medio iam itinere pollicebatur. Ita enim putabat diuerſis itineribus imparatos eos,ac ſic nec opinantes oppreſſurum,Perſarúmque copias ſemper ingruentibus Romanis occurſantes, diſtractum iri, atque imbecilliores futuras minúſq; ordinatè prælium ſuſcepturas. Neq; enim mercenario milite vtuntur barbari, quemadmodum Romani conſueuerunt: neque ſtatiuis caſtris exercitus habent,qui bellorum actibus exerceantur: ſed omnis multitudo virorum, nônunquam autem mulierum quoque,regis congregantur imperio, quæ mox bello peracto, ſuas protinus in ſedes dimittitur, ea demum præmia belli referens quæ cuiq; ex rapina ſuperfuerint. Arcubus autem & equis non in prælio tantùm more Romanorum vtuntur, ſed à pueritia vſque enutriuntur vna,venatu inuigilantes, pharetratique ſemper, ac nunquam ex equis deſilientes, ſiue bellum gerant,ſiue feras conficiant. Sed hoc Alexandri conſilium, etſi longè optimum prima ſpecie videbatur,ſtatim tamen fortuna deſtituit. ſiquidem exercitus cõtendere per Armeniam iuſſus, vix ægréque ſuperatis eius regionis aſperrimis præruptiſſimiſque montibus (quanquam æſtas tolerabilius iter faciebat) impetu in Mediam facto, vicos concremauit, prædámque abegit. At rex Perſarum intellecta re, confeſtim quàm maximis potuit copiis auxilio adfuit. Cęterùm arcere illinc Romanos

Diſtributio & ſeparatio exercitus in longinqua regione incõſulta & periculoſiſſima cum potentiſſimo etenim exercitu certandũ erat.

Perſarũ exercitus quales.

Arma & exercitia bellica.

Exercitus Rom. per Armeniam contendentis res geſta.

minimè poterat:quippe aspera regio, peditibus quidem stabilem gressum facilémque transitum præbebat:at barbarorum equitatus montium asperitate, & cursum difficiliorem, & iter habebat impeditius. Nuntiatum dein Persarum regi est, exercitum alterum Romanorum, Parthorum in agros, qua ad orientem spectant, impetum fecisse. Quare metuens ne Parthis facile superatis, mox in Persiam grassarentur, relictis copiis quantæ ad tuendam Mediam satis fore videbantur, ipse cum toto exercitu ad orientis partes accelerabat. Cæterùm exercitus Romanus comparente ac repugnante nullo negligentius iter faciebat, ratus Alexandrum cum tertia parte copiarum quæ maximæ valentissimæque forent, in medios incurrisse barbaros. Itaque restitantibus illis, atque ob id exercitum retentantibus, minimè sibi properandum putabant, vt qui se tutos crederent, præstituto antea loco, in quem pariter vniuersi cum præda abacta, captiuísque omnibus conuenirent. Sed eos Alexander fefellit: neque enim aut ipse venit, aut exercitũ adduxit, incertum metúne proprio, ne ipse imperium tuendo vita periclitaretur, an quia mater retinuerit, muliebri pauore & charitate filij nimia. Siquidem omnes illius generosos spiritus retundebat, suadens alios potius periculis exponeret, quam ipse in acie consisteret. Quæ res exercitum Romanum fines barbarorum ingressum, planè prodidit. Etenim Persarum rex omnibus copiis occurrens imparatis, miniméque expectantibus, quasique intra retia vndique concludens, & sagittis petens, omnem Romanorum exercitum profligauit. Quippe pauci plurimis resistere haud poterant, sempérque nudas corporis partes armis aduersus impetum sagittarum protegebant, satis præclare agi secum existimantes, si nulla edita pugna integri recessissent. Sed quum aliquandiu

Persæ mouent in alterum exercitum Rom.

Qui statum exercituum suorum ignorat princeps in ingentis calamitatis periculo versatur. testis Alexander, à matre detentus, dum exercitui periclitanti auxilium ferẽdum fuit.

Intempestiua autẽ hac Alexandri cunctatio & consultatio exercitui ingenti perniciem irreparabilem attulit.

quandiu confertim clipeis ſeſe quaſi muro circunſepſiſſent, atque omnes vndique velut vrbs aliqua oppugnarentur confauciarentúrque, tandem vbi diu fortiter reſtiterant, occidione occiderunt. Ingens hæc calamitas, & qualis nulla facile memoratur, Romanis incidit, amiſſo ingenti exercitu, vel fidevel robore cuilibet antiquorum exercituum conferendo: Perſam verò faſtu & maiorum ſpe impleuit tantarum ſucceſſus rerum.

5 QVAE vbi nunciata Alexandro ſunt, grauiſſime tunc ægrotanti, ſiue ex mœrore animi, ſiue inſolentia cæli, cum ipſe tulit moleſtiſſimè, tum exercitus omnis grauiter Imperatori ſuccenſebat. Quippe ipſius mendacio, minimè ſignis ſeruatis, proditos ab eo ſuos milites dictitabant. Cæterùm Alexander morbi cælique illius æſtuoſi impatiens, laborante pariter omni exercitu, maximéque Illyricianis qui humido hybernóque cælo inſueti, largiúſque cibum more ſuo capientes, lethaliter ægrotabant, redire Antiochiam conſtituit, accitis etiam eò militibus, qui montium tamen atque hyemis aſperitate attriti, pauciſſimis tantùm reliquis, perierant. Copias autem quas ſecum Alexander habebat, Antiochiam reduxit, multis inde quoque amiſſis. Quare magnum exercitui mœrorem, magnum Alexandro dedecus ea res attulit, quum ſcilicet omnibus locis fortuna illius conſilium fefellerit. Siquidem plurimi è triplici illo exercitu (ita nanque diſtribuerat) deſiderati ſunt diuerſis calamitatibus, morbo, ferro, frigore. Vt verò Antiochiam peruenit Alexander, facilè & ipſe conualuit, ſpiritu illo cæli, & aquarum abundantia poſt æſtuoſos Meſopotamiæ calores refectus, & milites vniuerſos recreauit, conſolatus etiam mœſtitiam illorum pecuniis elargiendis: id enim ſolum valere ad conciliandos militum animos arbitrabatur. Copias autem in-

In principē cunctabundum cladē affecti exercitus cauſa reiicitur.

Naufragij bellici reliquiæ miſerabiles.

Belli præmia.

Manſueti & prudentis principis ingenium.

ſtaurabat, comparabátque de integro, quaſi iterum in Perſas exercitum deducturus, ſi moleſti eſſe pergerent, neque ab iniuria deſiſterent. Sed & rex Perſarum dimiſiſſe milites ſuam quenque domum nuntiabatur. Nam quanuis bello ſuperiores fuiſſe barbari viderentur, tamen prœliis crebris in Media Parthiáque geſtis pars ceciderant, alij attriti & ſaucij ſuperfuerant. Neque enim ſegniter Romani deuicti, ſed ipſi quoque interdum exitioſi hoſtibus, nulláque adeo re magis perierunt quam quoniam pauciores deprehenſi. Nam quum fere par vtrinque numerus cecidiſſet, reliquiæ illę barbarorum non quidem fuiſſe viribus ſuperiores, ſed numero videbantur. Cuius rei argumentum eſt, quod triennio mox aut quadriennio barbari nequaquam arma reſumpſerunt. Quibus intellectis Alexander Antiochiæ commorabatur, hilariórque iam & liberior, laxatis bellorum curis, vrbis eius deliciis indulgebat.

Perſarũ impetus bellici violenti, ſed non diuturni.

Numero enim non viribus aut induſtria plerunque ſuperant.

6 ENIMVERO putante illo tum quieturos Perſas, aut ſanè multum ſpatij moræque interceſſurum priuſquam exercitum de integro cogerent, haud facilè, quum ſemel diſſipatus eſt, in vnum coeuntem, vtpote incertum atque inordinatum, vulgúſque potius quam exercitum, tantúmque commeatum habentem quantum ſibi vnuſquiſque ad præſentem vſum domo attuliſſet, præterea ægrè filios vxoréſque & ſedes proprias relinquentem, ſtatim nuntij literæque ab Illyricis procuratoribus adfuerunt, qui eum vehementer perturbarent, curámque animo maiorem iniicerent. quippe ſignificabant Germanos Rhenum Danubiúmque tranſgreſſos, Romanos in fines hoſtiliter intraſſe, oppugnaréque iam exercitus ripis inſidentes, pérque vrbes & vicos magnis copiis excurrere. quapropter haud leuiter Illyricas nationes conterminas vicináſque Italiæ periclitari: opus eſſe igitur ipſius præſentia

Potentiſſima imperia ingentib. curis principes conficiunt.

Bella noua aliis ſuccedunt. Romani tot populis moleſti, populorum arma in ſe attrahunt, ferro gaudentes ferrũ ſentiunt.

ſentia, totóque quantum ſecum exercitum haberet. Hæc & formidinem Alexandro, & Illyricis militibus mœſtitiam attulerunt: quippe duplici ſe calamitate vſos intelligebant, quòd & ipſi malè accepti in acie aduerſus Perſas fuerant, & ſuos domi cęſos à Germanis audiebant. quare indignabantur atque Alexandro ſuccenſebant, tanquam res in oriente prius vel metu vel negligentia prodidiſſet, nunc autem rebus ad ſeptentrionem vocantibus, metu cunctaretur. Erāt autem Alexander iam atque amici illius etiam de ipſa Italia ſoliciti: neque enim par periculum à Perſis atque à Germanis impendebat. Nam qui ſub orientem habitant magno terrarum mariſque interuallo diſcreti, Italiæ vix nomen audiunt. At Illyricæ gentes anguſtæ videlicet, neque multum agri Romanis ſubiecti poſſidentes, ſolæ diſcrimen faciunt inter Italiam atque Germaniam. Edicit itaque profectionem ingratis atque ægrè ferens, ſed vrgente tamen neceſſitate. Relictis autem copiis quantas fore ſatis tuendis Romanis ripis arbitrabatur, caſtriſque & caſtellis diligentius communitis, ac præſidio firmatis, ipſe aduerſus Germanos cum reliqua omni multitudine approperabat. Confectóque celeriter itinere, conſtitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum neceſſarias comparabat. Pontémque primò iunctis inter ſe nauigiis fecit in Rheno flumine, vt per eum exercitus tranſgrederetur: quippe hi maximi fluminum ſub ſeptentrione feruntur Rhenus ac Danubius, quorum alter Germanos, alter Pannonios præterfluit. Atque æſtate quidem nauigabiles altiſſimo latiſſimóque alueo, per hyemem dein concreti gelu, camporum in morem perequitantur. Eſt autem adeo eius aluei ſolida glacies, vt non equorum vngulis tantùm pedibúſque virorum ſubſiſtat, ſed qui hauſturi inde ſunt, non tam vrnas aut vaſa alia ſecum afferant

Capiti dolor publici mali incumbit.

Pericula impendentia et proxima metum horrorémque incutiunt.

Diligentia neceſſaria in bello.

Rhenus & Danubius quales fluuij æſtate & hyeme.

quàm ſecures ac dolabras, vt cæſam inde aquam ſine vaſe vllo veluti lapidem aſportent. hæc igitur illorum amnium natura eſt. Alexander autem Mauros complures, ac vim ingẽtem ſagittariorum, quos ſecum ex oriente adduxerat, partim ex agro Oſrhoenorum, partim è Parthia transfugas, pecuniáve illectos, aduerſus Germanos inſtruebat. Quippe huiuſcemodi milites maximè Germanos infeſtant: quum & Mauri longius iacula intorqueant, ſintque faciles ad incurſus recurſúſque, vtpote leues atque expediti, & ſagittarij nuda Germanorum capita prægrandiáque illa corpora facilè eminus veluti ſignum aliquod contingãt. Nonnunquam verò etiam collata acie res gerebatur, ex qua Germani perſæpe haud impares Romanis abibant. Quum in his Alexander verſaretur, decreuit tamen oratores ad illos de pace mittere, qui pollicerentur omnia illis principem Romanum quorum foret opus præbiturum, pecuniáſque daturum magna copia. Sunt enim Germani pecuniæ imprimis auidi, nunquámque non auro pacem Romanis cauponantur. Quare Alexander pacem fœderáq; potius ab illis emercari quàm periclitari bello tendebat. Cæterùm miles Romanus iniquo animo ferebat fruſtra ſe tempus terere, nulla occaſione fortiter quicquam animoſéque gerendi, intento aurigationibus (vt aiebant) ac deliciis Alexandro, quum contra oporteret vindicare potius Germanos, pœnáſque ab iis exigere audaciæ.

Delectus militum quomodo habendus.

Velitationes

Alexander intempeſtiuè ad pacem inclinat, milite ſuo prælij auido: qua occaſione relicta coniurationi impiæ viam facit.

7 ERAT autem in exercitu quidam, nomine Maximinus è quodam Thraciæ, & quidem intimæ, vico, ſemibarbarus homo, (vt ferebatur) & qui à pueritia opilio fuiſſet: dein vigente ætate ob corporis proceritatem viréſque ingentes, equo ſtipendia fecerat: poſtremóque, paulatim fortuna quaſi manuducente ac præuia, quum per omnes militiæ gradus

Numinis arcana prouidentia iuſtitiæ ſuæ in principes exercẽdæ inſtrumenta fabricat ex quouis ligno.

gradus ascendisset, etiam ad exercituum prouinciarúmque præposituras euaserat. Hunc igitur Maximinum, ob eam quam suprà diximus rei militaris peritiam, tyronibus vniuersis Alexander præfecerat, quos ad militiæ munera exerceret, atque ad bellandum idoneos redderet. Qui quum in eo negotio nihil sibi ad omnem diligentiam reliqui faceret, maximam scilicet à cuncto exercitu gratiam inibat, non solùm quæ gerenda forent assiduè edocens, sed ipse etiam primus obiens quæ vsus poscerent: vt non discipulos tantùm, sed æmulos etiam atque imitatores haberet suę virtutis, quos etiam muneribus omnique genere honorum sibi adiungebat. Quapropter adolescentes, quorum bona pars ex Pannonia erat, læti virtute Maximini, vulgò obtrectabant Alexandro quòd sub matris autoritate adhuc esset, nihilque non ex arbitrio consilióque illius administraret, bellúmque segniter & timidè gereret: ferentes identidem sermonibus inter se, quantum detrimenti cunctatione illius in oriente accepissent, nihilque adhuc fortiter ac viriliter gestum aduersus Germanos. Quare & suapte natura proni ad res nouandas, & tam longum principatum grauati, minus iam lucrosum, omni ambitione pridem consumpta, tum sperantes alterum mox principem, adepto præter expectationẽ imperio, plus aliquantum vtilitatis honorũmq; ipsis ac studij delaturum, decreuere Alexandrum obtruncare, ac Maximinum vocare augustum, commilitonem videlicet & contubernalem, prętereáque rei militaris peritia maximè præsenti bello idoneum. Quum igitur frequentes in campum conuenissent armati, venienti de more ad exercendos tyrones Maximino (dubium ignaro, an re prius composita) purpuram circundant imperatorémque salutant. Ille primò reniti, & abiicere purpuram: vt autem nudos intentari gladios à

& mira quadam ratione, tempore constituto, profert in medium: inauspicatissimè per ea perficiens quod iniustissimè huiusmodi instrumenta, omnis impietatis ac iniustitiæ mãcipia, & ira diuina vasa ad dedecus atque interitum aptata, exequuntur.

Horrenda sceleratorũ parricidarũ in clemẽtem principem et benefactorẽ suum coniuratio.

militibus vidit,occiſuros niſi cederet minitantibus, futurum quàm præſens periculum præoptans, honorem ſcilicet recepit,fortunámque illam ſæpe (vt aiebat) oraculis ac ſomniis præmonſtratam, teſtatus milites prius inuitum retractantémque ſe cogi, ſed illorum tamen obſequi voluntati. Quamobrem quæ ipſis placuerint, reſanciant, ſublatiſque armis, etiam præuento rumore, Alexādrum iam rei totius ignarum opprimant: vt milites illius ac ſtipatores re ſubita perterriti,aut ſponte cum reliquis conſentiant, aut certè dum imparati ſunt nihilque eiuſmodi expectant, etiam ingratis ſubigantur. Poſtea verò quàm beneuolentiam omnium atque alacritatem prouocauit,duplicata ſcilicet annona, ingentíque promiſſo donatiuo, pœniſque omnibus ignominiiſque remiſſis, confeſtim ad Alexandri tabernaculum,quod haud procul abeſſet, vniuerſos educit.His ille nuntiatis, vehementer rei nouitate perturbatus atque exterritus,proſilit è tabernaculo veſano ſimilis lacrymánſq; & tremens,nunc Maximinum perfidum ingratúmq; vocare,enumeratis quęcunque in illum beneficia contuliſſet: nunc tyrones accuſare,qui neglecto ſacramento,adeo proteruiter id facinus auderent:poſtremò autem polliceri daturum ſe quæ vellent,emendaturúmque ſiqua deſiderarent. Sed milites qui eum tuebantur, fauſtis impræſens acclamationib.proſequuti, defenſuros eum cunctis viribus affirmabant. Nocte autem exacta, quum iam luceſceret, nuntiantibus quibuſdā adeſſe Maximinum, puluerémque haud procul excitatum videri, ac voces magnæ multitudinis exaudiri, rurſus in planitiem egreſſus Alexander,conuocare milites, rogare vt ſe defenderent, tuerentúrque eum quem ipſi educauiſſent, quóque iam quatuordecim annos imperāte, ſine vlla querela vixiſſent:commotiſq; miſeratione omnibus arma capere ac reſiſtere hoſtib

Maximini impietas in patria & ſui ipſius parentem liberaliſſimū.

Scelerata eiuſdem crudelitas.

Alexandri metus & pauor inconſultus.

Militum Alexandri hypocriſis.

Parricidarum aduentus.

hostibus imperabat. At milites, etsi omnia pollicebantur, paulatim tamen alij aliò dilabebátur. Quidam etiam præfectum prætorij atque Alexandri familiares ad supplicium deposcebant, ortam ab illis defectionem causantes. alij matrem ipsius accusabant, auaram fœminam, & quæ pecuniis congerendis, ob sordes nimias parsimoniámque erga milites, inuisum cunctis Alexandrum reddiderit. Igitur aliquandiu hæc inter se diuersi dictitantes, stabant adhuc tamen. Vt verò exercitus Maximini in conspectum venit, atque hortari commilitones cœpit, vt mulierem sordidam & pusillum adolescentem etiamnum sub matris seruitio, statim desererent, séque viro forti probóque aggregarent, commilitoni ipsorum, atque in armis semper bellicísque muneribus versato, confestim vniuersi ab Alexandro desciuerunt, atque vnanimiter Imperatorem Maximinum consalutauerunt. At Alexander tremens atque exanimatus vix in tabernaculum reuertitur, matrique implicitus, & (vt aiunt) conquerens atque incusans, quòd ob illam talia pateretur, expectabat interfectorem. Maximinus autem postquam eum exercitus vniuersus Augustum appellauit, tribuno & centurionibus aliquot negotium dat, Alexandri, matrísque vna, & quicunque vim contra facerent occidendorum. qui facto impetu in tabernaculum, statim ipsum cum matre amicísque & honoratissimo quoque obtruncant, exceptis qui paulò ante fuga sibi ac latebris consuluissent: quos tamen vniuersos haud multò post comprehensos Maximinus ipse morte affecit. Hunc finem habuit vitæ Alexander, vna cum matre, quum annos quatuordecim sine vlla subiectorum querela, atque adeo sine sanguine, imperasset. Siquidem à cædibus & crudelitate abhorrens, neminem nisi iudicio damnatum perire patiebatur: ad humanitatem videlicet ac be-

Perfidia militum Alexandri: & castrensis tumultus effigies.

Proditio & desertio execranda.

Heu, princeps infelix, qui pendes à nebulonum armatorum voluntate & auxilio!

Maximinus à perfidia et parricidio imperiū inchoat. Mammaa auaritia & sordium suarū, Alexander nimia suæ indulgentia dat pœnas.

neuolentiam propensus. Quapropter nisi filium mater auara ac sordida infamasset, nihil planè desiderari in illius gubernatione imperij potuisset.

ÆLII LAMPRIDII
Alexander Seuerus.

BREVIARIVM.

1 *Alexander, iam Cæsar, ob probatos mores, Imperator ab omnibus salutatur. Eius institutio, sapientia, temperantia, statura, nomen.*

2 *Antonini & Magni cognomina à senatu cum acclamationibus honorificentissimis oblata, constanter repudiat.*

3 *Seuerus à militibus appellatur. Imperii Alexandri omina.*

4 *Prudens eius administratio, ministrorum aulicorum, ciuitatum, militum, legum & iudicum respectu.*

5 *Moderatio, æquitas, iustitia, vigilantia, charitas, & aliæ Alexandri virtutes eximiæ.*

6 *Eiusdem seueritas, opera magnifica, cura rerum publicarum, matris obseruantia, facundia, eruditio, odium in fures.*

7.8.9 *De eiusdem vita quotidiana & domestica prolixæ nec non accuratæ narrationes quæ nobilissimi principis ingenium ad viuum exprimunt.*

10.11 *Rempublicam diligentissimè curat. Cur Christo templum facere sit prohibitus.*

12 *In expeditionibus bellicis quomodo se gesserit. Ouinium Camillum perduellem incredibili quadam animi magnitudine & mansuetudine ad meliorem mentem reuocat. Functiones publicas vendi minimè*

minimè patitur.

13 *Parthicam expeditionem init prudenter & feliciter, disciplinæ militaris seuerus exactor.*

14 *Concio militaris, quæ Alexandri in bellicam disciplinam mores ostendit. Persarum regem vincit, fundit & fugat.*

15 *Triumpho acto orationem de sua victoria habet ad senatum. Feliciter per præfectos agit in Africa, Armenia & Illyrico.*

16 *Ad Germanicum bellum profectus, ab emissariis Maximini cum Mamæa matre occiditur. Omina mortis. Cædis authores trucidati. Ab omnibus desideratus, & Maximinus detestatus, qui optimum Imperatorem & beneficentissimum dominum, contra iura diuina atque humana interfecisset.*

17 *Conclusio Lampridii in qua de Alexandri præstantia, & an præstet principes, aut principum amicos & familiares optimos esse, item de Alexandri virtutibus scitè dictis, ac eruditis & fidis consiliariis additur consideratio.*

Ad Constantinum Augustum.

INTERFECTO Vario Heliogabalo (sic enim maluimus dicere quàm Antoninum: quia & nihil Antoninorum pestis illa ostendit, & hoc nomen ex annalibus senatus autoritate erasum est) ad remedium generis humani Aurelius Alexander, vrbe Arcena genitus, Varij filius, Variæ nepos, & consobrinus ipsius Heliogabali, accepit imperium quum ante Cæsar à senatu esset appellatus, mortuo scilicet Macrino, Augustúmque nomen idem accepit: addito eo vt & patris patriæ nomen, & ius proconsulare, & tribunitiam potestatem, & ius quintæ relationis, deferente senatu, vno die assumeret. Et ne præceps ista honorum continuatio videatur, exponam causas quibus id & senatus coactus est facere & ille perpeti. Non enim aut grauitati senatus congrue-

I *Omnium nō solùm bipedum, sed etiam quadrupedum spurcißimo, eruditus, moderatus & temperantißimus, princeps succedit, mira quadam Numinis dispositione, qua sic rerum humanarū vicestēperat.*

bat omnia simul deferre, aut bono principi raptum ire tot simul dignitates. Milites iam insueuerant sibi Imperatores & tumultuario iudicio facere, & item facilè mutare, afferentes nonnunquam ad defensionem se idcirco fecisse, quòd nescissent senatum principem appellasse: nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Auidium Cassium, & antea Lucium Vindicem, & L. Antonium, & ipsum Seuerum, quum senatus iam Iulianum dixisset principem; imperatores fecerant: atque ista res bella ciuilia seuerat, quibus necesse fuit militem contra hostem paratum parricidialiter perire) Hac igitur causa festinatum est vt omnia simul Alexander, quasi verus iam Imperator, acciperet. Huc accessit nimia & senatus & populi inclinatio post illam cladem quæ non solùm Antoninorum nomen decolorauit, sed etiam Romanum dehonestauit imperium. Certatim denique omnia decreta sunt & nominum genera & potestatum. Primus denique omnium cuncta insignia, & honorificentiæ genera simul recepit, suffragante sibimet Cæsaris nomine quod iam antè aliquot annos meruerat: & magis suffragante vita & moribus, quum illi magnum conciliasset fauorem quòd eum Heliogabalus occidere conatus est, nec potuit & militibus repugnantibus & senatu refragante. Atque hæc parua nisi quòd dignum se exhibuit quem senatus seruaret, quem saluum milites cuperent, quem omnium bonorum sententia principem diceret.

Stulti & furiosi principis interitus virtute conspicuum successorem cunctis venerabiliorem & exoptatiorẽ reddit.

3. Alexander igitur cui Mammæa mater fuit (nam & ita dicitur a plerisque) à prima pueritia artibus bonis imbutus, tam ciuilibus quàm militaribus, ne vnum quidẽ diem sponte sua transire passus est, quo se non & ad literas & ad militiam exerceret. Nam in prima pueritia literatores habuit Valerium Cordum & L. Veturium, & Aurelium Philippum libertum patris, qui vitam eius

Principis iuuenis laus eximia, nullum diem in otio viuere.

Praeceptores Alexandri pueri.

postea

poſtea in literas miſit. Grammaticum in patria Græcum Nebonem, rhetorem Serapionem, philoſophum Stilionem: Romæ grammaticos, Scaurinum Scaurini filium doctorem celeberrimum: rhetores Iulium Frontinum, & Bebium Macrinum & Iulium Granianum, cuius hodiéque orationes declamatæ feruntur. Sed in Latinis non multùm profecit vt ex eiuſdem orationibus apparet quas in ſenatu habuit: vel in concionibus quas apud milites vel apud populum: nec valde amauit Latinam facundiam, ſed amauit literatos homines, vehementer eos etiam reformidans, nequid de ſe aſperum ſcriberent. Denique eos dignos adeſſe iubebat: ſingula quæque quæ publicè priuatímque agebat, ſe ipſo docente volebat addiſcere, ſi forte ipſi non affuiſſent: eáque petebat vt, ſi vera eſſent, in literas mitterent. Dominum ſe appellari vetuit. Epiſtolas ad ſe quaſi ad priuatum ſcribi iuſſit, ſeruato tantùm nomine Imperatoris. Gemmas de calciamentis & veſtibus tulit, quibus vſus fuerat Heliogabalus: veſte (vt & pingitur) alba vſus eſt, nec aurata, pænulis togíſque communibus. Cum amicis tam familiariter vixit vt communis eſſet ei ſæpe conſeſſus, iret & ad conuiuia eorum: aliquos autem haberet quotidianos etiam non vocatos: ſalutaretur verò quaſi vnus de ſenatoribus, patente velo, admiſſionalibus remotis: aut ſolis iis qui miniſtri ad fores fuerant: quum antea ſalutare principem non liceret, quòd eos videre non poterat. Et erat corporis venuſtate decorus vt hodiéque in picturis & in ſtatuis videmus. Fuit & ſtaturæ militaris: robur militis, valetudo eius qui vim ſui corporis ſciret ac ſemper curaret. Erat præterea cunctis hominibus amabilis: & ab aliis pius appellatur, ab omnibus certè ſanctus & vtilis reipub. Huic ſors in templo Prænestinæ Veſtæ talis extitit, quum illi Heliogabalus

Latinitatis parū amans

Doctos reformidat, nihil enim acutius calamo rerum perito.

Modeſtia, principis nobiliſs. ornamentum.

Amicorum & familiarium reſpectus.

Statura Alexandri.

Laus primaria.

insidiaretur,

Sortes de imperio.

- Si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Cur Alexander dictus.

Alexandri nomen accepit, quòd in templo dicato apud Arcenam vrbem Alexandro magno, natus esset, quum casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore patriæ solennitatis implendæ causa venisset. cui rei argumentum est, quòd eadem die natalem habet hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus excessit è vita. Delatum sibi *Antonini* nomen a senatu recusauit, quum hic magis affinitate Caracalli iungeretur, quam ille Heliogabalus subdititius. Siquidem (vt Marius Maximus dixit in vita Seueri) nobilem orientis mulierem Seuerus, cuius hanc genituram esse compererat vt vxor Imperatoris esset, adhuc priuatus & non magni satis loci, duxit vxorem. Ex qua affinitate hic Alexander fuit, cui verè per matrem suam consobrinus Varius Heliogabalus fuit. Recusauit & *Magni* nomen, quod ei quasi Alexandro est oblatum senatus iudicio.

Antonini nomen recusat. Magnificos titulos acquirat virtute, deinde gerat princeps.

Orationes et acclamationes quæ Senatus beneuolétiam erga adolescentem principem, & Alexandri singularē quandam modestiam cum prudentia coniunctam præ se ferūt.

2 INTEREST retexere orationem qua nomen Antonini & magni delatum sibi à senatu recusauit: quam priusquam referam, addam acclamationes senatus quibus id decretum est ex actis vrbis ad pridie nonas Martias. Quum senatus frequens in curiam, hoc est in ædem Concordię templum inauguratum, conuenisset, rogatúsque esset Aurelius Alexander Cæsar Augustus vt concineret, ac primò recusasset, quòd sciret de honoribus suis agendum, deinde postea venisset, acclamatum, *Auguste innocens, dii te seruent. Alexander Imperator, dii te seruent. Dii te nobis dederunt, dii conseruent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt, dii te perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es, impurum & obscœnum & tu videre doluisti. Dii illum eradicauerunt: dii te seruent. Infamis imperator ritè damnatus. Felices nos imperio tuo, felicem rempub. Infamis*

vnco

vnco tractus est ad exemplum timoris: luxuriosus Imperator iure punitus est. Contaminator honorum iure punitus est. Dii immortales Alexandro vitam: iudicia deorum hinc apparent. Et quum egisset gratias Alexander, acclamatum est, *Antonine Alexander, dii te seruent. Antonine Aureli, dii te seruent. Antonine Pie, dii te seruent. Antonini nomen suscipias rogamus. Præsta bonis Imperatoribus vt Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamauit, tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum. Sanguis Antoninorum se cognoscat. Iniuriam Marci tu vindica. Iniuriam Veri tu vindica. Iniuriam Bassiani tu vindica. Peior Commodo solus Heliogabalus, nec Imperator, nec Antoninus, nec ciuis, nec senator, nec nobilis, nec Romanus. In te salus, in te vita, vt viuere delectet: Antoninorum Alexandro vitam, vt viuere delectet, & Antoninus vocetur. Antoninorum templa Antoninus dedicet. Parthos & Persas Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus accipiat. Sacrum nomen castus accipiat. Antonini nomen, vt agnoscat Antoninorum honorem. Dii conseruent in te omnia, per te omnia Antonine habeas.* Et post acclamationes, Aurelius Alexander Cæsar Augustus: *Gratias vobis P.C. non nunc primùm, sed & de Cæsareo nomine, & de vita seruata & Augusti nomine addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, & proconsulari imperio: quæ omnia nouo exemplo vno die in me contulistis.* Et quum diceret, acclamatum, *Hæc suscepisti, Antonini nomen suscipi mereatur, senatus Antonini mereatur. Antonine Auguste dii te seruent, dii te Antoninum conseruent: monetæ nomen Antonini reddatur. Templa Antoninorum Antoninus consecret.* Aurelius Alexander Augustus, *Ne quæso P. C. ne me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, vt ego cogar tanto nomini satisfacere, quum etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen grauare videatur. Hæc enim nomina insignia onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? Et (vt hoc dii auertant) quis non æqui-*

Acclamationum repetitiones obseruandæ. Felix respubl. quæ tyranni iugo excusso principem pium, iustũ, clementem (qualis Alexãder hic agnoscitur) Numinis beneficio nacta est!

Principem decet esse in omnib. temperantẽ, nec prudentum etiam acclamationibus

facilè acquiescere: antecessorũ autem memoriam & honores magnifacere sty rannorũ verò nomina probrosa merito exosa, palam repudiare.

tate nomina ferat digerentem in spem clarißimam dignitatum? Item acclamata quæ suprà. Item Imperator dixit, *Antoninorum nomen vel iam numen potius, quale fuerit meminit vestra clementia: si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid Marco prudentius? si innocentiam, quid Vero simplicius? si fortitudinem, quid Baßiano fortius? Nam nunc Commodi meminisse nolo qui hoc ipso deterior fuit quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadumenus autem nec tempus habuit, nec ætatem, & arte patris hoc nomen incurrit.* Item acclamatum vt supra. Item Imperator dixit, *Nuper certè P. meministis, quum ille omnium non solùm bipedum, sed etiam quadrupedum spurcißimus, Antonini nomen præferret, & in turpitudine atque luxuria Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populi & honestorum coronas vna vox esset, hunc non ritè Antoninum dici, & per hanc pestem tantum violari nomen.* Et quum diceret, acclamatum est, *Dii mala prohibeant. Hæc te imperante non timemus, de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora. Antonini nomen ornauisti: certi sumus, bene præsumimus, nos te & à pueritia probauimus & nunc probamus.* Item Imperator: *Neque ego P. C. idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quòd verear ne in hæc vitia delabatur vita, aut quòd nominis pudeat, sed primùm displicet alienæ familiæ nomen assumere, deinde quòd grauari me credo.* Et quum hæc diceret, acclamatum est vt suprà. Item dixit, *Si enim Antonini nomen accipio, possum & Traiani, possum & Titi, possum & Vespasiani:* & quum diceret, acclamatum est, *Quomodo Augustus, sic & Antoninus.* Tunc Imperator, *Video P. C. quid vos moueat ad hoc nobis addendum. Augustus primus, primus est autor imperii, & in eius omnes velut quadam adoptione, aut iure hæreditario succedimus, Antonini ipsi Augusti dicti sunt. Antoninus idem Pius Marcum & item Verum iure adoptionis vocauit: Commodo autem hæreditarium*

Subditorum est de boni principis dominatione fausta & præclara omnia sibi polliceri

10.

Principis autem pauca polliceri, sed multa præstare.

rium fuit, susceptum Diadumeno, affectatum in Bassiano, ridiculum in Aurelio. Et quum diceret, acclamatum est, *Alexander Auguste, dii te seruent verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ. hinc intelligimus qualis futurus sis: hinc probamus. Tu facies vt senatus bene principes eligat. tu facies optimum esse iudicium senatus. Alexander Auguste, dii te seruent. Templa Antoninorũ Alexãder Augustus dedicet. Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, dii te seruẽt. Vincas, valeas, multis annis imperes.* Alexãder Imperator dixit, *Intelligo P.C. me obtinuisse quod volui, & id acceptũ refero, plurimas gratias & agens & habẽs, enisurus vt & hoc nomen quod in imperium detulimus, tale sit vt ab aliis desideretur, & bonis vestræ pietatis iudiciis offeratur.* Post hæc acclamatũ est, *Magne Alexãder, dii te seruent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomẽ suscipe. Magne Alexãder, dii te seruent.* Et quũ sępius dicerent, Alexãder Augustus ait, *Facilius fuit P.C. vt Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis. Magni verò nomen cur accipitur? quid enim iam magnũ feci? quum id Alexander post magna gesta, Põpeius verò post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur, venerandi patres, & vos ipsi magnifici, vnũ me de vobis esse censete potius quàm Magni nomen ingerite.* Post hæc acclamatũ est, *Aureli Alexander Auguste, dii te seruent.* & reliqua ex more.

Testimoniũ huius virtutibus reddãt fideles subditi.

Princeps de se multam spem faciat.

Grandes titulos neque ambiat neq; vsurpet. Bonorum enim principũ est non magnificè loqui, sed magnificè regnare.

3 DIMISSO senatu, quum & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit. Multo clarior visus est alienis nominibus non receptis quàm si recepisset, atque ex eo constantiæ ac plenæ grauitatis famam obtinuit. Siquidem vni adolescenti senatus totus persuadere non potuit: sed quanuis senatu rogante non potuerit persuaderi vt vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingentem vigorem animi & mirandam singularémque constantiam contra militum insolentiam, *Seueri* nomen à militibus eidem inditum est, quod

Virtus eo illustrior, quo magis latere cupit.

Cur Seueri nomen Alexandro inditum.

illi ingentem in præſentia reuerentiam, magnam apud poſteros gloriam peperit, quum eò acceſſiſſet vt de animi virtute nomen acceperit: ſiquidem ſolus inuentus ſit qui tumultuantes legiones exautorauerit, vt ſuo loco oſtendetur: in milites autem grauiſſimè animaduertit, qui fortè incurrerunt aliquid quod videretur iniuſtum, vt & ipſum locis ſuis declarabimus. Omina imperij hæc habuit: Primùm, quòd ea die natus eſt qua defunctus vita Magnus Alexander dicitur. deinde, quòd in templo eius mater enixa eſt: tertiò, quòd ipſius nomen accepit. tum præterea quòd ouum purpurei coloris, eadem die natum qua ille natus eſt, palumbinum, anicula quædam matri eius obtulit: ex quo quidem aruſpices dixerunt Imperatorem quidem illum, ſed non diu futurum, & citò ad imperium peruenturum. Tum præterea quòd tabula Trajani Imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum eius decidit. His acceſſit quod nutrix ei Olympias data eſt, quo nomine mater Alexandri appellata eſt. Nutritor Philippus prouenit caſu vnus ex ruſticis, quod nomen patri Alexandri Magni fuit. Fertur die prima natalis toto die apud Arcam Cæſaream ſtella primæ magnitudinis viſa, & ſol circa domum patris eius fulgido ambitu coronatus. Quum eius natalem aruſpices commendarent, dixerunt eum ſummam rerum tenturum; idcirco quòd hoſtiæ de ea villa quæ eſſet Seueri Imperatoris, adductę eſſent & quas in illius honorem coloni paraſſent. Nata in domo laurus iuxta perſici arborem, intra vnum annum perſici arborem vicit. Vnde etiam coniectores dixerunt, Perſas ab eo eſſe vincendos. Mater eius pridie quam pareret, ſomniauit ſe purpureum dracunculum parere. Pater eadem nocte in ſomniis vidit alis ſe Romanæ Victoriæ, quę in ſenatu, ad cælum vehi.

Omina imperii. *Primum.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.* *Octauum.* *Nonum.* *Decimum.* *Vndecimum* *Duodecimū.*

Ipſe

Ipse, quum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc paruulus: & primis quidem sortibus,

Decimumtertium.

Te manet imperium cæli terræque marisque:

Intellectum est, quòd inter diuos etiam referretur,

Te manet imperium, quod tenet imperium:

Ex quo intellectum est, Romani illum imperij principem futurum. Nam vbi est imperium nisi apud Romanos, quod tenet imperium? Et hęc quidem de Græcis versibus sunt prodita. Ipse autem quum parentis hortatu animum à philosophia & musica ad alias artes traduceret, Vergilij sortibus huiusmodi illustratus est,

Decimumquartum.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt causas melius, cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera ducent:
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subiectis & debellare superbos.

Fuerunt multa alia signa quibus principem humani generis esse constaret. Nimius ardor oculorum & diutius intuentibus grauis, & diuinatio mentis frequentissima: rerum memoria singularis quam nemo nisi Acholius ferebat adiutam. Et quum puer ad imperium peruenisset, fecit cuncta cum matre vt & illa videretur pariter imperare, mulier sancta, sed auara & auri atque argenti cupida.

Alia omina

4 VBI ergo augustum agere cœpit imperium, primùm remouit iudices omnes à rep. & à ministeriis atque muneribus quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpissimo prouexerat: deinde senatum & equestrem ordinem purgauit. Ipsas deinde tribus, & eos qui militaribus nituntur prærogatiuis, purgauit, & palatium suum comitatúmque omnem, abiectis ex aulico ministerio cunctis

Effigies iustæ dominationis.

Iustitiæ tribunalium repurgatio.

Pædagogi & eius præcepta.

obscœnis & infamibus: nec quenquam passus est esse in palatinis nisi necessarium hominem. Iureiurando deinde constrinxit nequem ascriptum, id est vagantium, haberet, ne annonis remp. grauaret, di-

Dignitatis & vtilitatis publicæ habita ratio.

cens, malum pupillum esse imperatorem qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec reip. vtiles pasceret. Fures iudicare iussit in ciui-

Furum detestatio.

tatibus vllis nunquam videri: & si essent visi, iussit deportari per rectores prouinciarum. Annonam mi-

Annonæ curatio.

litum diligenter inspexit, tribunos qui per stellaturas militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. Negotia & causas prius a scriniorum principibus, & doctissimis iurisperitis & sibi fidelibus, quo-

Sapientum introductio.

rum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinariq; atque ita referri ad se præcepit. Leges de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit: neq; vllam constitutioné sacrauit sine viginti iurisperitis & doctis-

Consiliorum publicorum institutio.

simis ac sapiētibus viris: iis deniq; disertissimis non minus L, vt non minus in consilio essent sententiæ quam senatusconsultū conficerent: & id quidem ita, vt iretur per sentētias singulorū, ac scriberetur quid quisq; dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum cogitandúmq; priusquam dicerent, ne incogitati di-

Expertorum receptio.

cere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit præterea illi cōsuetudo, vt si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si verò de re militari, milites veteres & senes ac benemeritos, & locorū peritos ac bellorū & castrorū, & omnes literatos: & maximè eos qui historiā norāt: requirens quid in talibus causis quales in disceptatione versabantur, veteres imperatores vel Romani vel exterarum gé-

Malorum iudicum punitio.

tium fecissent. Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo vsus est, illum si vnquam furem iudicem vidisset, paratum habuisse digitum vt illi oculum erueret. tantum odium eum tenebat eorum de quibus apud se probatum esset quòd fures fuissent.

Addit

Addit Septimius qui vitam eius non mediocriter exequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi choleram euomeret, toto vultu inardescente ita vt nihil posset loqui. Nam quum quidam Septimius Arabinus famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamauit, *O numina, ô Iupiter, ô dii immortales, Arabinus non solùm viuit, verumetiam in senatum venit: fortaßis etiam de me sperat: tam fatuum, tam stultum esse me iudicat.* Salutabatur autem nomine, hoc est, *Aue Alexander.* Siquis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vti adulator vel abiiciebatur, si loci eius qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno; si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ. Salutatus consessum obtulit omnibus senatoribus: atque adeò nisi honestos & bonæ famæ homines ad salutationem non admisit. Iussitque quemadmodum in Eleusiniis sacris dicitur, *vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit.* Per præconem edixit vt nemo salutaret principem qui se furem esse nosset, ne aliquando detectus, capitali supplicio subderetur. Ipse adorari se vetuit, quum iam cœpisset Heliogabalus adorari regum more Persarum. Erat præterea hæc illius sententia, *Solos fures de paupertate conqueri, dum volunt scelera vitæ suæ tegere.* Idem addebat sententiam de furibus notam, & Græcè quidē, quæ Latinè hoc significat, *Qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, salutus erit:* quæ Græcè talis est, Ο πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται. Præfect. præt. sibi ex senatus autoritate constituit. præfect. vrbis à senatu accepit, alterum præfect. præt. fecit: qui ne fieret, etiam fugerat, dicens, *Inuitos non ambientes, in rempub. collocandos.* senatorem nun-

Exemplum ad hanc rē, obseruatu dignum.

Adulatorū togatorum detestatio.

Improborū reiectio.

Nimij honores repudiatio.

Peculatus cōdemnatio.

Ambitionis conculcatio.

quam sine omnium senatorum qui aderant consilio fecit, ita vt per sententias omnium crearetur, testimonia diceret summi viri: ac si fefellissent vel testes vel ij qui sententias dicebant, postea in vltimum reiicerentur locum, ciuium condemnatione abhibita quasi falsi rei approbati sine vllius indulgentiæ proposito. Idem senatores nonnisi ad summorum in palatio virorum suffragium fecit dicens, magnum virum esse oportere qui faceret senatorem. Idem libertinos nunquam in equestrem locum redegit, asserés seminarium senatorum equestrem locum esse.

Electionum magni momenti consideratio.

20. *Virtutes maximi Principis.*

Moderatio.

§ MODERATIONIS tantæ fuit vt nemo vnquã ab eius latere submoueretur, vt omnibus se blandum affabilémque præberet: vt amicos non solùm primi ac secundi loci, sed etiam inferiores ægrotantes viseret: vt sibi ab omnibus libere quæ sentiebãt, dici cuperet: & quum dictum esset, audiret: & quum audisset, ita vt res poscebat emendaret atque corrigeret: si minus bene factum esset aliquid, etiam ipse conuinceret, idque sine fastu & sine amaritudine animi consensum omnibus semper offerret, præter eos quos furtorum densior fama perstrinxerat, de ab sentibus semper requirens. Denique quum ei obiicerent nimiam ciuilitatem & Mammæa mater, & vxor Memmia Sulpitij consularis viri filia, Catuli neptis, & sæpe dicerent, *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti*: ille respondit, *Sed securiorem atque diuturniorem.* Dies denique nunquam transiit quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed ita vt ærarium non euerteret. Condemnationes & raras esse iussit: & quæ factæ fuerant, non indulsit. Vectigalia ciuitatibus ad proprias fabricas deputauit. Fœnus publicum trientarium exercuit, ita vt pauperibus plerisque sine vsuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus: præfect. præt. suis senatoriam addidit dignitatem, vt

Lenitas.

Clementia & mansuetudo.

21 *Iustitia.*

Aequitas.

vt viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat: eousque vt siquis Imperatorum successorem præfect.præt.dare vellet, laticlauiam eidem per libertum submitteret, vt in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexāder autē idcirco senatores esse voluit præfect.præt. nequis non senator de Romano senatore iudicaret. Milites suos sic vbique sciuit vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, semperque quum solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, vt esset ad omnia instructissimus. Denique quum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promouendis etiam sibi annotabat: & perlegebat cuncta pictacia. & sic faciebat diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. Commeatum populi Romani sic adiuuit vt quum frumenta Heliogabalus euertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus vt Romam volentes concurrerent maximam immunitatem dedit. Oleum quod Seuerus populo dederat, quódque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Ius conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. Mechanica opera Romæ plurima instituit. Iudæis priuilegia reseruauit. Christianos esse passus est. Pontificibus tantum detulit & quindecim viris atque auguribus, vt quasdam causas sacrorum à se finitas, iterari & aliter distingui pateretur. Præsides prouinciarum, quos verè non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit & muneribus adiuuit, dicens, & fures à rep. pellendos ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos. Quum edulitatem P. R. ab eo peteret, interrogauit per

Vigilantia magno belli duce digna.

De populi salute solicitudo paterna.

Aequitas in restituēdis eidem priuilegiis, ornamentis & immunitatibus.

Erga iustitiæ ministros obseruantia.

curionem,quam ſpeciem caram putarent. Illi continuò exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam.Tunc ille non quidem edulitatem propoſuit, ſed iuſſit nequis ſuminatam occideret, nequis lactantem,nequis vaccam, nequis damalionem: tantúmque intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt quum fuiſſet octominutalis libra,ad duos vnúmque vtriuſque carnis libra redigeretur. Cauſas militum contra tribunos ſic audiuit, vt ſi aliquem reperiſſet tribunorum in crimine, pro facti qualitate ſine indulgentiæ propoſito puniret. De omnibus hominibus per fideles homines ſuos ſemper quæſiuit:& per eos quos nemo noſſet hoc agere,quum diceret omnes præda corrumpi poſſe. Seruos ſuos ſemper cum ſeruili veſte habuit, liberos cum ingenuorum. Eunuchos de miniſterio ſuo abiecit,&vxori vt ſeruos ſeruire iuſſit.Et quum Heliogabalus mancipium eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit: nec quicquam in palatio curare voluit niſi balneas fœminarũ: quum pleroſque eunuchos rationibus & procurationibus præpoſuiſſet Heliogabalus: hic illis & veteres ſuſtulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos eſſe dicebat:nec videndum,nec in vſu habendum à viris, ſed vix à fœminis nobilibus. Qui de eo fumum vendiderat,& à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iuſſit per eam viam qua eſſet ſeruis ſuis ad ſuburbana imperatoria iter frequentiſſimum. Prouincias prætorias, præſidiales plurimas fecit:proconſulares ex ſenatus voluntate ordinauit. Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit:quod quidem iam antè prohibitum,Heliogabalus fieri permiſerat. Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuit: ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationẽ theatri,circi,amphitheatri, & ærarij deputauit

Hab-

Prudentia circa annonam.

23. *Militum patrocinium.*

Omnium hominum habita ratio & diligens inueſtigatio.

De eunuchis rectum iudicium.

De ſcelerato ſeruo iuſtum ſupplicium.

24.

Turpia ſublata.

Habuit in animo vt exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit: sed veritus est, ne prohibens, publicum dedecus in priuatas cupiditates conuerteret, quum homines illicita magis poscant, prohibitáque furore persequantur. Braccariorum, linteonum, vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & cæterarum artium vectigal pulcherrimum instituit: ex eóque iussit thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores, populi vsibus exhiberi: syluas etiam thermis publicis deputauit. Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.

Laudabile institutum quod politica & secularis prudẽtia irritum reddit.

Prudentia maximi vsus.

6 HVIVS imperium incruentum quidam literis tradiderunt, quod contrà est. Nam & Seuerus est appellatus à militibus ob austeritatem, & in animaduersionibus asper in quibusdam fuit. Opera veterum principum instaurauit: ipse noua multa constituit: in his thermas nominis sui iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ *Alexandrina* nunc dicitur. Nemus thermis suis de priuatis ædibus suis quas emerat, diruptis ædificiis, fecit. *Oceani solium* primus inter principes appellauit, quum Trajanus id non fecisset, sed diebus solia deputasset. Antonini Caracalli thermas additis sortionibus perfecit & ornauit. *Alexandrinum opus* marmoris de duobus marmoribus, hoc est porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit, palatio exornato hoc genere marmorandi. Statuas colossas in vrbe multas locauit, artificibus vndique conquisitis. Alexandri habitu nummos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. A mulieribus famosis matrem & vxorem suam salutari vetuit. Conciones in vrbe multas habuit more veterum tribunorum & consulum. Congiarium populo ter dedit, donatiuum militibus ter:

Seueritas clementiæ permixta, principis decus.

Magnificẽtia eiusdem in ædificiis necessariis elucere debet.

Honestatis publica sit custos rigidus.

Pauperibus consulat, & ex iudicum subsellijs turpis lucri cupiditatem eradicet.

carnem populo addidit. Vsuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones: etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarentur, vsuras accipere primò vetuit, nisi aliquid muneris causa acciperent: postea tamen iussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Statuas summorum virorum in foro Trajani collocauit vndique translatas. Paulum & Vlpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipso. Nam & consiliarius Alexandri, & magister scrinij Vlpianus fuisse perhibetur: qui tamen ambo assessores Papiniani fuisse dicuntur. Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium & septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita vt tota columnis penderet; quam efficere non potuit morte præuentus. Isim & Serapium decenter ornauit, additis signis & deliacis & omnibus mysticis. In matrem Mammæam vnicè pius fuit, ita vt Romæ in palatio faceret diætas nominis Mammeæ, quas imperitum vulgus hodie *ad Mammam* vocat. Et in Baiano palatium cum stagno, quod Mammææ nomine hodiéque censetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium suorum, & stagna stupenda admisso mari. Pontes quos Trajanus fecerat, instaurauit pene in omnibus locis. Aliquos etiam nouos fecit, sed instauratis nomen Trajani reseruauit.) In animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, vt à vestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, nequis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur. Sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore si faciles essent homines ad iniurias. Tum satis esse constituit vt equites Romani à senatoribus claui qualitate discernerentur. Penulis intra vrbem

Summos viros, viuentes & fato functos honore ciuili prosequatur.

Materna pietatis meminerit.

Omnes & singulos intra vocationum suarum certos & nestósque limites contineat.

frig

frigoris causa vt senes vterentur permisit, quum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluuiæ fuisset. Matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permisit. Facundiæ fuit Græcæ magis quàm Latinæ, nec versu inuenustus. Et ad musicam pronus, matheseos peritus: & ita quidem vt ex eius iussu mathematici publicè proposuerint Romæ, ac sint professi vt docerent. Aruspicinæ quoque peritissimus fuit. ὀρνεοσκόπος magnus, vt & Vascones & Hispanorum & Pannoniorum augures vicerit. Geometriam fecit, pinxit mirè, cantauit nobiliter: sed nunquam alio consciò, nisi pueris suis testibus. Vitas principum bonorum versibus scripsit. Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem imperator nunquam ostendit. Palæstes primus fuit, in armis magnus, adeò vt multa bella & gloriosè gesserit. Consulatum ter iniit tantùm ordinarium: ac primo nundino sibi alios semper suffecit. Seuerissimus iudex contra fures, appellans eosdem quotidianorum scelerum reos, & damnans acerrimè, ac solos hostes inimicósque reipub. vocans. Eum notarium qui falsum causæ breuem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis ita vt nunquam posset scribere, deportauit. Quum quidam ex honoratis, vitæ sordidæ & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam aspirasset, idcirco quòd per reges amicos ambierat, admissus statim in furto præsentibus patronis detectus est: iussúsque à regibus audiri, damnatus est re probata. Et quum quæreretur à regibus, quid apud eos paterentur fures, illi responderunt, *Crucem*. Ad eorum responsum, in crucẽ sublatus est. Ita & patronis autoribus damnatus ambitor est: & Alexandri, quam præcipuè tuebatur, seruata clementia est. Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, diuis imperatoribus in foro diui Neruæ,

Aetatis & sexus habeat rationem.

Ingenuas artes colat.

Eruditus esto.

Manu bellator.

Facinorosorum iudex inexorabilis.

Aliorum principum imitandis exemplis reos iussis suppliciis mulctet.

insidiaretur,

Sortes de imperio.

- Si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Cur Alexander dictus.

Alexandri nomen accepit, quòd in templo dicato apud Arcenam vrbem Alexandro magno, natus esset, quum casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore patriæ solennitatis implendæ causa venisset. cui rei argumentum est, quòd eadem die natalem habet hic Mammææ Alexander, qua ille Magnus excessit è vita. Delatum sibi *Antonini* nomen a senatu recusauit, quum hic magis affinitate Caracalli iungeretur, quam ille Heliogabalus subdititius. Siquidem (vt Marius Maximus dixit in vita Seueri) nobilem orientis mulierem Seuerus, cuius hanc genituram esse compererat vt vxor Imperatoris esset, adhuc priuatus & non magni satis loci, duxit vxorem. Ex qua affinitate hic Alexander fuit, cui verè per matrem suam consobrinus Varius Heliogabalus fuit. Recusauit & *Magni* nomen, quod ei quasi Alexandro est oblatum senatus iudicio.

Antonini nomen recusat. Magnificos titulos acquirat virtute, deinde gerat princeps.

Orationes et acclamationes quæ Senatus beneuolētiam erga adolescentem principem, & Alexandri singularē quandam modestiam cum prudentia coniunctam præ se ferūt.

2 INTEREST retexere orationem qua nomen Antonini & magni delatum sibi à senatu recusauit: quam priusquam referam, addam acclamationes senatus quibus id decretum est ex actis vrbis ad pridie nonas Martias. Quum senatus frequens in curiam, hoc est in ædem Concordię templum inauguratum, conuenisset, rogatúsque esset Aurelius Alexander Cæsar Augustus vt concineret, ac primò recusasset, quòd sciret de honoribus suis agendum, deinde postea venisset, acclamatum, *Auguste innocens, dii te seruent. Alexander Imperator, dii te seruent. Dii te nobis dederunt, dii conseruent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt, dii te perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es, impurum & obscœnum & tu videre doluisti. Dii illum eradicauerunt: dii te seruent. Infamis imperator ritè damnatus. Felices nos imperio tuo, felicem rempub. Infamis*

vnco

vnco tractus est ad exemplum timoris: luxuriosus Imperator iure punitus est. Contaminator honorum iure punitus est. Dii immortales Alexandro vitam: iudicia deorum hinc apparent. Et quum egisset gratias Alexander, acclamatum est, *Antonine Alexander, dii te seruent. Antonine Aureli, dii te seruent. Antonine Pie, dii te seruent. Antonini nomen suscipias rogamus. Praesta bonis Imperatoribus vt Antoninus dicaris. Nomen Antoninorum tu purifica. Quod ille infamauit, tu purifica. Redde in integrum nomen Antoninorum. Sanguis Antoninorum se cognoscat. Iniuriam Marci tu vindica. Iniuriam Veri tu vindica. Iniuriam Bassiani tu vindica. Peior Commodo solus Heliogabalus, nec Imperator, nec Antoninus, nec ciuis, nec senator, nec nobilis, nec Romanus. In te salus, in te vita, vt viuere delectet: Antoninorum Alexandro vitam, vt viuere delectet, & Antoninus vocetur. Antoninorum templa Antoninus dedicet. Parthos & Persas Antoninus vincat. Sacrum nomen sacratus accipiat. Sacrum nomen castus accipiat. Antonini nomen, vt agnoscat Antoninorum honorem. Dii conseruent in te omnia, per te omnia Antonine habeas.* Et post acclamationes, Aurelius Alexander Cæsar Augustus: *Gratias vobis P.C. non nunc primùm, sed & de Cæsareo nomine, & de vita seruata & Augusti nomine addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, & proconsulari imperio: quæ omnia nouo exemplo vno die in me contulistis.* Et quum diceret, acclamatum, *Hæc suscepisti, Antonini nomen suscipi mereatur, senatus Antonini mereatur. Antonine Auguste dii te seruent, dii te Antoninum conseruent: monetæ nomen Antonini reddatur. Templa Antoninorum Antoninus consecret.* Aurelius Alexander Augustus, *Ne quæso P. C. ne me ad hanc certaminis necessitatem vocetis, vt ego cogar tanto nomini satisfacere, quum etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen grauare videatur. Hæc enim nomina insignia onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? Et (vt hoc dii auertant) quis non æqui-*

Acclamationum repetitiones obseruandæ. Felix respubl. quæ tyranni iugo excusso principem pium, iustũ, clementem (qualis Alexãder hic agnoscitur) Numinis beneficio nacta est!

Principem decet esse in omnib. temperantẽ, nec prudentum etiam acclamationibus

tate nomina ferat digerentem in spem clarißimam dignitatum? Item acclamata quæ supra. Item Imperator dixit, *Antoninorum nomen vel iam numen potius, quale fuerit meminit vestra clementia: si pietatem, quid Pio sanctius? si doctrinam, quid Marco prudentius? si innocentiam, quid Vero simplicius? si fortitudinem, quid Baßiano fortius? Nam nunc Commodi meminisse nolo qui hoc ipso deterior fuit quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadumenus autem nec tempus habuit, nec ætatem, & arte patris hoc nomen incurrit.* Item acclamatum vt supra. Item Imperator dixit, *Nuper certè P. meministis, quum ille omnium non solùm bipedum, sed etiam quadrupedum spurcißimus, Antonini nomen præferret, & in turpitudine atque luxuria Nerones, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per populi & honestorum coronas vna vox esset, hunc non ritè Antoninum dici, & per hanc pestem tantum violari nomen.* Et quum diceret, acclamatum est, *Dii mala prohibeant. Hæc te imperante non timemus, de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora. Antonini nomen ornauisti: certi sumus, bene præsumimus, nos te & à pueritia probauimus & nunc probamus.* Item Imperator: *Neque ego P. C. idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quòd verear ne in hæc vitia delabatur vita, aut quòd nominis pudeat, sed primùm displicet alienæ familiæ nomen assumere, deinde quòd grauari me credo.* Et quum hæc diceret, acclamatum est vt suprà. Item dixit, *Si enim Antonini nomen accipio, possum & Traiani, possum & Titi, possum & Vespasiani:* & quum diceret, acclamatum est, *Quomodo Augustus, sic & Antoninus.* Tunc Imperator, *Video P. C. quid vos moueat ad hoc nobis addendum. Augustus primus, primus est autor imperii, & in eius omnes velut quadam adoptione, aut iure hæreditario succedimus, Antonini ipsi Augusti dicti sunt. Antoninus idem Pius Marcum & item Verum iure adoptionis vocauit: Commodo autem hæreditarium*

facilè acquiescere: antecessorũ autem memoriam & honores magnifacere, & tyrannorũ verò nomina probrosa meritò exosa, palam repudiare.

Subditorum est de boni principis dominatione fausta & præclara omnia sibi polliceri

10.

Principis autem pauca polliceri, sed multa præstare.

rium fuit, susceptum Diadumeno, affectatum in Baßiano, ridiculum in Aurelio. Et quum diceret, acclamatum est, *Alexander Auguste, dii te seruent verecundiæ tuæ, prudentiæ tuæ, innocentiæ tuæ, castitati tuæ. hinc intelligimus qualis futurus sis: hinc probamus. Tu facies vt senatus bene principes eligat. tu facies optimum esse iudicium senatus. Alexander Auguste, dii te seruent. Templa Antoninorũ Alexãder Augustus dedicet. Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, dii te seruẽt. Vincas, valeas, multis annis imperes.* Alexãder Imperator dixit, *Intelligo P.C. me obtinuisse quod volui, & id acceptũ refero, plurimas gratias & agens & habẽs, enisurus vt & hoc nomen quod in imperium detulimus, tale sit vt ab aliis desideretur, & bonis vestræ pietatis iudiciis offeratur.* Post hæc acclamatũ est, *Magne Alexãder, dii te seruent. Si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomẽ suscipe. Magne Alexãder, dii te seruent.* Et quũ sępius dicerent, Alexãder Augustus ait, *Facilius fuit P.C. vt Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati deferrem, vel consortio nominis imperialis. Magni verò nomen cur accipitur? quid enim iam magnũ feci? quum id Alexander post magna gesta, Põpeius verò post magnos triumphos acceperit. Quiescite igitur, venerandi patres, & vos ipsi magnifici, vnũ me de vobis esse censete potius quàm Magni nomen ingerite.* Post hæc acclamatũ est, *Aureli Alexander Auguste, dii te seruent.* & reliqua ex more.

Testimoniũ huius virtutibus reddãt fideles subditi.

Princeps de se multam spem faciat.

Grandes titulos neque ambiat neq; vsurpet. Bonorum enim principũ est non magnificè loqui, sed magnificè regnare.

3 DIMISSO senatu, quum & alia multa eo die essent acta, quasi triumphans domum se recepit. Multo clarior visus est alienis nominibus non receptis quàm si recepisset, atque ex eo constantiæ ac plenæ grauitatis famam obtinuit. Siquidem vni adolescenti senatus totus persuadere non potuit: sed quamuis senatu rogante non potuerit persuaderi vt vel Antonini vel Magni nomina susciperet, tamen ob ingentem vigorem animi & mirandam singularémque constantiam contra militum insolentiam, *Seueri* nomen à militibus eidem inditum est, quod

Virtus eo illustrior, quo magis latere cupit.

Cur Seueri nomen Alexandro inditum.

illi ingentem in præsentia reuerentiam, magnam apud posteros gloriam peperit, quum eò accessisset vt de animi virtute nomen acceperit: siquidem solus inuentus sit qui tumultuantes legiones exautorauerit, vt suo loco ostendetur: in milites autem grauissimè animaduertit, qui forte incurrerunt aliquid quod videretur iniustum, vt & ipsum locis suis declarabimus. Omina imperij hæc habuit: Primùm, quòd ea die natus est qua defunctus vita Magnus Alexander dicitur. deinde, quòd in templo eius mater enixa est: tertiò, quòd ipsius nomen accepit. tum præterea quòd ouum purpurei coloris, eadem die natum qua ille natus est, palumbinum, anicula quædam matri eius obtulit: ex quo quidem aruspices dixerunt Imperatorem quidem illum, sed non diu futurum, & citò ad imperium peruenturum. Tum præterea quòd tabula Trajani Imperatoris, quæ geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum eius decidit. His accessit quod nutrix ei Olympias data est, quo nomine mater Alexandri appellata est. Nutritor Philippus prouenit casu vnus ex rusticis, quod nomen patri Alexandri Magni fuit. Fertur die prima natalis toto die apud Arcam Cæsaream stella primæ magnitudinis visa, & sol circa domum patris eius fulgido ambitu coronatus. Quum eius natalem aruspices commendarent, dixerunt eum summam rerum tenturum, idcirco quòd hostiæ de ea villa quæ esset Seueri Imperatoris, adductę essent & quas in illius honorem coloni parassent. Nata in domo laurus iuxta persici arborem, intra vnum annum persici arborem vicit. Vnde etiam coniectores dixerunt, Persas ab eo esse vincendos. Mater eius pridie quàm pareret, somniauit se purpureum dracunculum parere. Pater eadem nocte in somniis vidit alis se Romanæ Victoriæ, quę in senatu, ad cælum vehi. Ipse

Omina imperii. *Primum.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.* *Octauum.* *Nonum.* *Decimum.* *Vndecimum* *Duodecimū.*

Ipſe, quum vatem conſuleret de futuris, hos acce-piſſe dicitur verſus adhuc paruulus: & primis qui-dem ſortibus,

Decimum-tertium.

Te manet imperium cæli terræque mariſque:

Intellectum eſt, quòd inter diuos etiam referretur,

Te manet imperium, quod tenet imperium:

Ex quo intellectum eſt, Romani illum imperij prin cipem futurum. Nam vbi eſt imperium niſi apud Romanos, quod tenet imperium? Et hęc quidem de Græcis verſibus ſunt prodita. Ipſe autem quum pa-rentis hortatu animum à philoſophia & muſica ad alias artes traduceret, Vergilij ſortibus huiuſmodi illuſtratus eſt,

Decimum-quartum.

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt cauſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera ducent:
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Fuerunt multa alia ſigna quibus principem huma-ni generis eſſe conſtaret. Nimius ardor oculorum & diutius intuentibus grauis, & diuinatio mentis fre-quentiſſima: rerum memoria ſingularis quam nemo niſi Acholius ferebat adiutam. Et quum puer ad im perium perueniſſet, fecit cuncta cum matre vt & il-la videretur pariter imperare, mulier ſancta, ſed a-uara & auri atque argenti cupida.

Alia omina

4 VBI ergo auguſtum agere cœpit imperium, primùm remouit iudices omnes à rep. & à miniſte-riis atque muneribus quos impurus ille Heliogaba-lus ex genere hominum turpiſſimo prouexerat: de-inde ſenatum & equeſtrem ordinem purgauit. Ipſas deinde tribus, & eos qui militaribus nituntur præ-rogatiuis, purgauit, & palatium ſuum comitatúm-que omnem, abiectis ex aulico miniſterio cunctis

Effigies iuſtæ dominatiōis.

Iuſtitia tri-bunalium re purgatio.

Palatij itē & aulæ princıpis. obſcœnis & infamibus: nec quenquam paſſus eſt eſſe in palatinis niſi neceſſarium hominem. Iureiurando deinde conſtrinxit nequem aſcriptum, id eſt vagantium, haberet, ne annonis remp. grauaret, dicens, malum pupillum eſſe imperatorem qui ex viſceribus prouincialium homines non neceſſarios, nec reip. vtiles paſceret. *Dignitatis & vtilitatis publicæ habita ratio.* Fures indicare iuſſit in ciuitatibus vllis nunquam videri: & ſi eſſent viſi, iuſſit deportari per rectores prouinciarum. *Furum detestatio.* Annonam militum diligenter inſpexit, tribunos qui per ſtellaturas militibus aliquid tuliſſent, capitali pœna affecit. *Annonæ curatio.* Negotia & cauſas prius a ſcriniorum principibus, & doctiſſimis iuriſperitis & ſibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari ordinariq; atque ita referri ad ſe præcepit. *Sapientum introductio.* Leges de iure populi & fiſci moderatas & infinitas ſanxit: neq; vllam conſtitutionē ſacrauit ſine viginti iuriſperitis & doctiſſimis ac ſapiētibus viris: iis deniq; diſertiſſimis non minus L, vt non minus in conſilio eſſent ſententiæ quam ſenatuſconſultū conficerent: & id quidem ita, vt iretur per ſentētias ſingulorū, ac ſcriberetur quid quiſq; dixiſſet, dato tamen ſpatio ad diſquirendum cogitandūmq; priuſquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. *Conſiliorum publicorum inſtitutio.* Fuit præterea illi cōſuetudo, vt ſi de iure aut de negotiis tractaret, ſolos doctos & diſertos adhiberet: ſi verò de re militari, milites veteres & ſenes ac benemeritos, & locorū peritos ac bellorū & caſtrorū, & omnes literatos: & maximè eos qui hiſtoriā norāt: requirens quid in talibus cauſis quales in diſceptatione verſabantur, veteres imperatores vel Romani vel exterarum gētium feciſſent. *Expertorum receptio.* Referebat Encolpius, quo ille familiariſſimo vſus eſt, illum ſi vnquam furem iudicem vidiſſet, paratum habuiſſe digitum vt illi oculum erueret. tantum odium eum tenebat eorum de quibus apud ſe probatum eſſet quòd fures fuiſſent. *Malorum iudicum punitio.*

Addit

Addit Septimius qui vitam eius non mediocriter exequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos iudices qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi choleram euomeret, toto vultu inardescente ita vt nihil posset loqui. Nam quum quidam Septimius Arabinus famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamauit, *O numina, ô Iupiter, ô dii immortales, Arabinus non solùm viuit, verumetiam in senatum venit: fortassis etiam de me sperat: tam fatuum, tam stultum esse me iudicat.* Salutabatur autem nomine, hoc est, *Aue Alexander.* Siquis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vti adulator vel abiiciebatur, si loci eius qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno; si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ. Salutatus consessum obtulit omnibus senatoribus: atque adeò nisi honestos & bonæ famæ homines ad salutationem non admisit. Iussitque quemadmodum in Eleusiniis sacris dicitur, *vt nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit.* Per præconem edixit vt nemo salutaret principem qui se furem esse nosset, ne aliquando detectus, capitali supplicio subderetur. Ipse adorari se vetuit, quum iam cœpisset Heliogabalus adorari regum more Persarum. Erat præterea hæc illius sententia, *Solos fures de paupertate conqueri, dum volunt scelera vitæ suæ tegere.* Idem addebat sententiam de furibus notam, & Græcè quidē, quæ Latinè hoc significat, *Qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit:* quæ Græcè talis est, Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται. Præfect. præt. sibi ex senatus autoritate constituit, præfect. vrbis à senatu accepit, alterum præfect. præt. fecit: qui ne fieret, etiam fugerat, dicens, *Inuitos non ambientes, in rempub. collocandos.* senatorem nun-

Exemplum ad hanc rē, obseruatu dignum.

Adulatorū togatorum detestatio.

Improborū reiectio,

Nimij honores repudiatio.

Peculatus cōdemnatio.

Ambitionis conculcatio.

quam ſine omnium ſenatorum qui aderant conſilio fecit, ita vt per ſententias omnium crearetur, teſtimonia dicerēt ſummi viri: ac ſi fefelliſſent vel teſtes vel ij qui ſententias dicebant, poſtea in vltimum reiicerentur locum, ciuium condemnatione abhibita quaſi falſi rei approbati ſine vllius indulgentiæ propoſito. Idem ſenatores nonniſi ad ſummorum in palatio virorum ſuffragium fecit dicens, magnum virum eſſe oportere qui faceret ſenatorem. Idem libertinos nunquam in equeſtrem locum redegit, aſſerēs ſeminarium ſenatorum equeſtrem locum eſſe.

Electionum magni momenti conſideratio.

20. *Virtutes maximi Principis.*

Moderatio.

5 MODERATIONIS tantæ fuit vt nemo vnquā ab eius latere ſubmoueretur, vt omnibus ſe blandum affabilémque præberet: vt amicos non ſolùm primi ac ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret: vt ſibi ab omnibus libere quæ ſentiebāt, dici cuperet: & quum dictum eſſet, audiret: & quum audiſſet, ita vt res poſcebat emendaret atque corrigeret: ſi minus bene factum eſſet aliquid, etiam ipſe conuinceret, idque ſine faſtu & ſine amaritudine animi conſenſum omnibus ſemper offerret, præter eos quos furtorum denſior fama perſtrinxerat, de ab ſentibus ſemper requirens. Denique quum ei obiicerent nimiam ciuilitatem & Mammæa mater, & vxor Memmia Sulpitij conſularis viri filia, Catuli neptis, & ſæpe dicerent, *Molliorem tibi poteſtatem & contemptibiliorem imperii feciſti*: ille reſpondit, *Sed ſecuriorem atque diuturniorem.* Dies denique nunquam tranſiit quin aliquid manſuetum, ciuile, pium faceret: ſed ita vt ærarium non euerteret. Condemnationes & raras eſſe iuſſit: & quæ factæ fuerant, non indulſit. Vectigalia ciuitatibus ad proprias fabricas deputauit. Fœnus publicum trientarium exercuit, ita vt pauperibus pleriſque ſine vſuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus: præfect. præt. ſuis ſenatoriam addidit dignitatem, vt

Lenitas.

Clementia & manſuetudo.

21 *Iuſtitia.*

Aequitas.

vt viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel rarò fuerat, vel omnino non fuerat: eousque vt siquis Imperatorum successorem præfect.præt.dare vellet, laticlauiam eidem per libertum submitteret, vt in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexāder autē idcirco senatores esse voluit præfect.præt. nequis non senator de Romano senatore iudicaret. Milites suos sic vbique sciuit vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, sempérque quum solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, vt esset ad omnia instructissimus. Denique quum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promouendis etiam sibi annotabat: & perlegebat cuncta pictacia. & sic faciebat diebus etiam pariter annotatis, & quis, & qualis esset, & quo insinuante promotus. Commeatum populi Romani sic adiuuit vt quum frumenta Heliogabalus euertisset, vicem de propria pecunia loco suo reponeret. Negotiatoribus vt Romam volentes concurrerent maximam immunitatem dedit. Oleum quod Seuerus populo dederat, quódque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Ius conferendi rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. Mechanica opera Romæ plurima instituit. Iudæis priuilegia reseruauit. Christianos esse passus est. Pontificibus tantum detulit & quindecim viris atque auguribus, vt quasdam causas sacrorum à se finitas, iterari & aliter distingui pateretur. Præsides prouinciarum, quos verè non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit & muneribus adiuuit, dicens, & fures à rep. pellendos ac pauperandos, & integros esse redimendos atque ditandos. Quum edulitatem P. R. ab eo peteret, interrogauit per

Vigilantia magno belli duce digna.

De populi salute solicitudo paterna.

Aequitas in restituendis eidem priuilegiis, ornamentis & immunitatibus.

Erga iustitia ministros obseruantia.

curionem, quam ſpeciem caram putarent. Illi continuò exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem edulitatem propoſuit, ſed iuſſit nequis ſuminatam occideret, nequis lactantem, nequis vaccam, nequis damalionem: tantúmque intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt quum fuiſſet octominutalis libra, ad duos vnúmque vtriuſque carnis libra redigeretur. Cauſas militum contra tribunos ſic audiuit, vt ſi aliquem reperiſſet tribunorum in crimine, pro facti qualitate ſine indulgentiæ propoſito puniret. De omnibus hominibus per fideles homines ſuos ſemper quæſiuit: & per eos quos nemo noſſet hoc agere, quum diceret omnes præda corrumpi poſſe. Seruos ſuos ſemper cum ſeruili veſte habuit, liberos cum ingenuorum. Eunuchos de miniſterio ſuo abiecit, & vxori vt ſeruos ſeruire iuſſit. Et quum Heliogabalus mancipium eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit: nec quicquam in palatio curare voluit niſi balneas fœminarũ: quum pleroſque eunuchos rationibus & procurationibus præpoſuiſſet Heliogabalus: hic illis & veteres ſuſtulit dignitates. Idem tertium genus hominum eunuchos eſſe dicebat: nec videndum, nec in vſu habendum à viris, ſed vix à fœminis nobilibus. Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iuſſit per eam viam qua eſſet ſeruis ſuis ad ſuburbana imperatoria iter frequentiſſimum. Prouincias prætorias, præſidiales plurimas fecit: proconſulares ex ſenatus voluntate ordinauit. Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit: quod quidem iam antè prohibitum, Heliogabalus fieri permiſerat. Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuit: ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationẽ theatri, circi, amphitheatri, & ærarij deputauit

Prudentia circa annonam.

23. *Militum patrocinium.*

Omnium hominum habita ratio & diligens inueſtigatio.

De eunuchis rectum iudicium.

De ſcelerato ſeruo iuſtum ſupplicium.

24.

Turpia ſublata.

Hab-

Habuit in animo vt exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit:sed veritus est,ne prohibens, publicum dedecus in priuatas cupiditates converteret, quum homines illicita magis poscant, prohibitáque furore persequantur. Braccariorum, linteonum,vitreariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & cæterarum artium vectigal pulcherrimum instituit: ex eóque iussit thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores, populi vsibus exhiberi:syluas etiam thermis publicis deputauit. Addidit & oleum luminibus thermarum, quum antea non ante auroram paterent,& ante solis occasum clauderentur.

Laudabile institutum quod politica & secularis prudētia irritum reddit.

Prudentia maximi vsus.

6 HVIVS imperium incruentum quidam literis tradiderunt,quod contra est.Nam & Seuerus est appellatus à militibus ob austeritatem,& in animaduersionibus asper in quibusdam fuit. Opera veterum principum instaurauit: ipse noua multa constituit: in his thermas nominis sui iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ *Alexandrina* nunc dicitur. Nemus thermis suis de priuatis ædibus suis quas emerat, diruptis ædificiis, fecit. *Oceani solium* primus inter principes appellauit,quum Trajanus id non fecisset, sed diebus solia deputasset.Antonini Caracalli thermas additis fortionibus perfecit & ornauit. *Alexandrinum opus* marmoris de duobus marmoribus, hoc est porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit, palatio exornato hoc genere marmorandi. Statuas colossas in vrbe multas locauit, artificibus vndique conquisitis. Alexandri habitu nummos plurimos figurauit: & quidem electreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. A mulieribus famosis matrem & vxorem suam salutari vetuit.Conciones in vrbe multas habuit more veterum tribunorum & consulum. Congiarium populo ter dedit,donatiuum militibus ter:

Seueritas clementia permixta principis decus.

Magnificētia eiusdem in ædificiis necessariis elucere debet.

Honestatis publica sit custos rigidus.

Pauperibus consulat, & ex iudicum subsellijs turpis lucri cupiditatem eradicet.

carnem populo addidit. Vsuras fœneratorum contraxit ad trientes pensiones: etiam pauperibus consulens. Senatores si fœnerarentur, vsuras accipere primò vetuit, nisi aliquid muneris causa acciperent: postea tamen iussit in semisses acciperent donum, munus tamen sustulit. Statuas summorum virorum in foro Trajani collocauit vndique translatas. Paulum & Vlpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipso. Nam & consiliarius Alexandri, & magister scrinij Vlpianus fuisse perhibetur; qui tamen ambo assessores Papiniani fuisse dicuntur. Basilicam Alexandrinam instituerat inter campum Martium & septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita vt tota columnis penderet; quam efficere non potuit morte præuentus. Isini & Serapium decenter ornauit, additis signis & deliacis & omnibus mysticis. In matrem Mammæam vnicè pius fuit, ita vt Romæ in palatio faceret diætas nominis Mammeæ, quas imperitum vulgus hodiè *ad Mammam* vocat. Et in Baiano palatium cum stagno, quod Mammææ nomine hodiéque censetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium suorum, & stagna stupenda admisso mari. Pontes quos Trajanus fecerat, instaurauit penè in omnibus locis. Aliquos etiam nouos fecit, sed instauratis nomen Trajani reseruauit.) In animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, vt à vestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, nequis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur. Sed hoc Vlpiano Paulóque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore si faciles essent homines ad iniurias. Tum satis esse constituit vt equites Romani à senatoribus claui qualitate discernerentur. Penulis intra vrbem

Summos viros, viuentes & fato functos honore ciuili prosequatur.

Materna pietatis meminerit.

Omnes & singulos intra vocationum suarum certos honestósque limites contineat.

frig

frigoris causa vt senes vterentur permisit, quum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluuiæ fuisset. Matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in itinere permisit. Facundiæ fuit Græcæ magis quàm Latinæ, nec versu inuenustus. Et ad musicam pronus, matheseos peritus: & ita quidem vt ex eius iussu mathematici publicè proposuerint Romæ, ac sint professi vt docerent. Aruspicinæ quoque peritissimus fuit. ὀρνεοσκόπος magnus, vt & Vascones & Hispanorum & Pannoniorum augures vicerit. Geometriam fecit, pinxit mirè, cantauit nobiliter: sed nunquam alio conscio, nisi pueris suis testibus. Vitas principum bonorum versibus scripsit. Lyra, tibia, organo cecinit: tuba etiam, quod quidem imperator nunquam ostendit. Palæstes primus fuit, in armis magnus, adeò vt multa bella & gloriosè gesserit. Consulatum ter iniit tantùm ordinarium: ac primo nundino sibi alios semper suffecit. Seuerissimus iudex contra fures, appellans eosdem quotidianorum scelerum reos, & damnans acerrimè, ac solos hostes inimicósque reipub. vocans. Eum notarium qui falsum causæ breuem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis ita vt nunquam posset scribere, deportauit. Quum quidam ex honoratis, vitæ sordidæ & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam aspirasset, idcirco quòd per reges amicos ambierat, admissus statim in furto præsentibus patronis detectus est: iussúsque à regibus audiri, damnatus est re probata. Et quum quæreretur à regibus, quid apud eos paterentur fures, illi responderunt, *Crucem*. Ad eorum responsum, in crucē sublatus est. Ita & patronis autoribus damnatus ambitor est: & Alexandri, quam præcipuè tuebatur, seruata clementia est. Statuas colossas, vel pedestres nudas, vel equestres, diuis imperatoribus in foro diui Neruæ,

Aetatis & sexus habeat rationem.

Ingenuas artes colat.

Eruditus esto.

Manu bellator.

Facinorosorum index inexorabilis.

Aliorum principum imitandis exemplis reos iustis suppliciis mulctet.

quod *transitorium* dicitur, locauit omnibus cum titulis, & columnis ęreis, quę gestorum ordinem continerent exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocauit, additis gestis. Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maximè quòd quodam tempore festo, vt solent, Antiochenses, Aegyptij, Alexandrini, lacessiuerant eum conuitiolis, *Syrum archisynagogum* eum vocantes & *archierea*.

Antecessorum memoriam debitis honorib. veneretur.

Virtutibus generis obscuritatem compenset.

7 ANTEQVAM de bellis eius & expeditionibus & victoriis loquar, de vita quotidiana & domestica pauca differam. Vsus viuendi eidem hic fuit: Primùm vt, si facultas esset, id est si non cum vxore cubuisset, matutinis horis in larario suo (in quo & diuos principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & huiuscemodi deos habebat, ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat. Si id non poterat, pro loci qualitate vel vectabatur, vel piscabatur, vel deambulabat, vel venabatur. Dehinc si hora permitteret, actibus publicis pòst multam operam dabat, idcirco quòd & res bellicæ & res ciuiles (vt superius dictum est) per amicos tractabantur, sed sanctos & fideles, & nunquam venales, & tractatæ firmabantur, nisi quid noui etiam ipsi placeret. Sanè si necessitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat, & in longam horam producebat: neque vnquam tędiauit, aut morosus aut iratus resedit, fronte semper pari & lætus ad omnia. Erat enim ingentis prudentię: & cui nemo posset imponere: & quem si aliquis vrbanè tentare voluit intellectus, tulit pœnas. Post actus publicos seu bellicos seu ciuiles, lectioni Græcæ operā maiorem dabat, De rep. libros Platonis legens Latina quum legeret, non alia magis

Alexandri vita priuata.

Diei auspicium, religionis cura.

Exercitia corporis.

Negotiorum publicorum tractatio.

Officij diligens executio.

Lectio.

gis legebat quàm De officiis Ciceronis & De rep. Nonnunquam & oratores & poetas, in queis Serenum Sammonicum, quem ipse nouerat & dilexerat & Horatium. Legit & vitam Alexandri quam præcipuè imitatus est: etsi in eo condẽnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos, quanuis vtrunque defendatur à bonis scriptoribus, quibus sæpius ille credebat. Post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atque inde vnctus lauabatur, ita vt caldariis vel nunquam vel rarò, piscina semper vteretur, in eáq; vna hora prope maneret: biberet etiam frigidam Claudiam ieiunus ad vnum prope sextarium. Egressus balneas multum lactis & panis sumebat, oua, deinde mulsum: atque his refectus aliquando prandium inibat, aliquando cibum vsque ad cœnam differebat, prandit tamen sæpius. Vsúsque est Adriani tetrapharmaco frequenter, de quo in libris suis Marius Maximus loquitur, quum Adriani differit vitam. Post meridianas horas subscriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita vt ab epistolis & libellis & à memoria semper assisterent. nonnunquam etiam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis & iis qui scrinium gerebant, ita vt Alexander sua manu adderet siquid esset addendum: sed ex eius sententia qui disertior habebatur. Post epistolas, omnes amicos simul admisit, cum omnibus pariter est loquutus: neque vnquam solum quenquam, nisi præfectum suum, vidit, & quidem Vlpianum, ex assessore semper suo, causa, iustitiæ singularis. Quum autem alterum adhibuit, & Vlpianũ rogari iussit. Virgilium autem, *Platonem poetarum* vocabat, eiusque imaginem cum Ciceronis simulacro, in secundo lario habuit, vbi & Achillis & magnorum virorum. Alexandrum verò Magnum inter diuos & optimos

Autorum delectus. *Censura.* *Corporis exercitia post ingenij labores.* *Balneorum vsus.* *Ientaculum & prandium.* *Exercitia pomeridiana.* *Epistolarum lectio.* *Amicorum admissio.* *Libri selecti.*

Summi principis imago ob oculos versans.

in larario maiore consecrauit. Iniuriam nulli vnquam amicorum comitúmve fecit nec magistris quidem aut principibus officiorum. Præfectis autem semper detulit, asserens cùm qui mereatur iniuriam pati, ab Imperatore damnandum esse, non dimittendum. Si vnquam alicui præsentium successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit respubl.* eúmque muneratus est, ita vt priuatus pro loco suo posset honestè viuere: his quidem muneribus, agris, bobus, equis, frumento, ferro, impendiis ad faciendam domum, marmoribus ad ornandum, & operis, quas ratio fabricæ requirebat. Aurum & argentum raro cuiquam, nisi militi diuisit, *nefas* esse dicens, *vt dispensator publicus in delectationes suas & suorum conuerteret id quod prouinciales dedissent.* Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit.

Aliæ Alexandri virtutes eximiæ, temperantia nempe, prudentia exquisita, modestia, liberalitas tempestiua.

Munificentia.

Reipublicæ cura.

Fecit Romæ curatores vrbis quatuordecim: sed ex consularibus viris, quos audire negotia vrbana cũ præfecto vrbis iussit, ita vt omnes aut magna pars adesset, quum acta fierent. Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum, & omnino omnium artium: hísque ex sese defensores dedit, & iussit quid ad quos iudices pertineret. Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donauit: pretiosas vestes quas Heliogabalus dederat, etiam sustulit. Milites quos *ostensionales* vocant, non pretiosis, sed speciosis clarísque vestibus ornabat: nec multum insignibus aut ad apparatum regium auri & serici deputabat, dicens, *Imperium in virtute esse, non in decore.* Chlamydes hirtas Seueri, & tunicas asemas vel macrocheras ex purpura non magna ad vsum reuocauit suum in conuiuio aurum nesciit: pocula mediocria, sed nitida semper habuit. Ducentarum librarũ argenti pondus ministerium eius nunquam transiit. Nanos & nanas, & moriones, & vocales exol

Histrionum detestatio.

Militum prudens respectus.

Frugalitas.

Solertia.

exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos, popopulo donauit: qui autem vsui non erant, singulis ciuitatibus putauit alendos singulos, ne grauarentur specie mendicorum. Eunuchos quos Heliogabalus & in consiliis turpibus habebat & promouebat, donauit amicis, addito elogio, vt si non rediissent ad bonos mores, eosdem liceret occidi sine autoritate iudicij. Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari iussit, exoletis omnibus deportatis, aliquibus etiam naufragio mersis, cum quibus illa clades consuetudinem habuerat funestissimam. Auratam vestem ministrorum vel in publico conuiuio nullus habuit.

Iustitia.

Seueritas necessaria.

8 QVVM inter suos conuiuaretur, aut Vlpianum aut doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas literatas, quibus se recreari dicebat & pasci. Habebat quum priuatim conuiuaretur, & librum in mensa, & legebat, sed Græca magis. Latinos autem poetas lectitabat. Publico conuiuio ea simplicitate egit qua priuato, nisi quum numerus accubantium crescebat & multitudo conuiuarum, qua ille offendebatur, dicens se in theatro & circo manducare. Oratores & poetas non sibi panegyricos dicentes, quod exemplo Nigri Pescennij stultum dicebat, sed aut orationes recitãtes, aut facta veterum quos antè retuli, libenter audiuit: libentius tamen, siquis ei recitauit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retrò principum, aut magnorũ vrbis Romæ virorum. Ad Athenæum, audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorũ vel poetarum causa, frequenter processit. Audiuit autem etiam forenses oratores causas recitantes, quas vel apud ipsum, vel apud præfectos vrbis egerant. Agoni præsedit, & maximè Herculeo in honorem Magni Alexandri. Solus post meridiem, vel matutinis horis idcirco nunquam aliquos videbat, quòd ementitos de se

Eiusdem conuiuia erudita.

Item sobria & temperata.

Recitationes eidem grata.

Seuerus doctus doctos libenter audit, & adulatores detestatur.

Vetronij Thurini fumi venditoris historia, quam vtinam nostri seculi principes memoria tenerēt vt Alexandrum imitentur.

multa cognouerat: speciatim Vetronium Thurinū: quem quum familiarem habuisset, ille omnia vel fingendo sic vendiderat, vt Alexandri quasi stulti hominis & quem ille in potestate haberet & cui multa persuaderet, infamaret imperium: sicque omnibus persuaserat quòd ad nutum suum omnia faceret. Denique hac illum arte deprehēdit, vt quendam immitteret qui à se quiddam publice peteret, ab illo autem occulte quasi præsidium postularet, vt pro eo Alexādro secretò suggereret. Quod quum factum esset, & Thurinus suffragium promisisset dixissétque se quædam imperatori dixisse quum nihil dixisset, sed in eo pēdere vt adhuc impetraret, euentum vendens: quúmque iterum iussisset Alexander interpellari, & Thurinus quasi agens aliud nutibus annuisset, neque tamen interim quicquam dixisset, impetratum autem esset quod petebatur, Thurinúsque ab illo qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepisset: accusari eum Alexander iussit probatísque per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro transitorio ad stipitem illum ligari præcepit, & fumo apposito quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat, necauit, præcone dicente, *Fumo punitur, qui vendidit fumum.* Ac ne in vna tantùm causa videretur crudelior fuisse, quæsiuit diligentissimè antequam eum damnaret: & inuenit Thurinum sæpe & in causis ab vtraque parte accepisse, quum euentus venderet, & ab omnibus qui aut præposituras aut prouincias acceperant. Spectacula frequentauit cum summa donandi parsimonia, dicens, & venatores & scenicos & aurigas sic alendos, quasi seruos nostros, aut venatores, aut muliones, aut voluptarios.

Sceleri conueniens supplicium: & Alexandri æquitas consideratione necnon laude dignissima.

Parsimonia.

Mediocritas & nitor.

9 Convivium neque opimum, neque nimis parcum, sed nitoris summi fuit: ita tamen vt pura mant

mantilia mitterentur: sæpius cocco clauata, aurata verò nunquam, quum hæc Heliogabalus iam recepisset, & antè (vt quidam prædicant) Adrianus habuisset. Vsus conuiuij diurnus hic fuit, Vini ad totum diem sextarij xxx, panis mundi pondo xxx, panis sequentis ad donandum pondo L. Nam semper de manu sua ministris conuiuij & pané & partes aut olerum aut carnis, aut leguminum dabat senili prorsus maturitate patremfamiliás agens. Erãt decreta & carnis diuersę pondo xxx, erant & gallinæ oua, adhibebatur & anser diebus festis: Calendis autem Ianuariis, & hilariis matris deûm, & ludis Apollinaribus, & Iouis epulo, & Saturnalibus, & huiusmodi festis diebus fasianus: ita vt aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus. leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cum amicis diuidebat, & his maximè quos sciebat per se non habere. Nec diuitibus quicquam talium munerum misit, sed ab his semper accepit. Habuit quotidie milij sine pipere sextarios quatuor, cum pipere duo: & ne sit longum omnia inserere quæ Gargilius Martialis eius temporibus scriptor singulatim persequutus est, omnia illi ad modum & rationem sunt præbita. Pomis vehementer indulsit, ita vt secunda mensa illi sæpius poneretur, vnde etiam iocus extitit, *Non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundum.* Ipse cibo plurimo reficiebatur: vino neque parcè, neque copiosè, affatim tamẽ frigida semper pura vsus, æstate vino cum rosa condito: quod quidem solum ex diuerso genere Heliogabali tenuerat. Et quoniam de lepusculis facta est mentio; quòd ille leporem quotidie haberet, iocus poeticus emersit, idcirco quòd multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporẽ comederint, vt Martialis coci epigramma significat, quod contra quandam Gelliam scri-

Frugalitas.

Exacta ciborum dispensatio, personarum & dierum habita ratione.

Denique modus strictim obseruatus.

Corporis habitus & exercitiorum cõsideratio, cibum plurimum & vini affatim adolescentibus concedunt.

psit huiusmodi,

Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus Marce diebus eris.
Si verum dicis, si verum Gellia mandas,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Sed hos versus Martialis in eam quę deformis esset, composuit: poeta verò temporum Alexandri hæc in eum dixit,

Alexander leporem quotidie habet in mēsa: vnde iocus emergit.

Pulchrum quòd vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hos versus quum ad eum quidam ex amicis detulisset, respondisse ille dicitur Græcis versibus in hanc sententiam,

Cui lepido epigrammate respōdet. Ebrietatem fugit, in principe summū malum.

Pulchrum quod putas esse vestrum regem
Vulgari miserande de fabella:
Si verum putas esse, non irascor.
Tantùm tu comedas velim lepusclos,
Vt fias, animi malis repulsis,
Pulcher, ne inuideas liuore mentis.

Quum amicos militares habuisset, vt vsum Trajani, quem ille post secundam mensam potandi vsque ad pocula instituerat, reseruaret, vnum tantùm poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri Magni: id autem breuius, nisi siquis, quod licebat, maius habere postulasset. Vsus veneris in eo moderatus fuit, exoletorum ita expers vt (quemadmodum suprà diximus) legem de his auferendis ferre voluerit.

Princeps Reipublicæ pater. Alexandri horrea, balnea, domus vectigalia.

10 HORREA in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona ij qui priuatas custodias non haberent. Balnea omnibus regionibus addidit quæ fortè non habebant. Nam hodiéque multa dicuntur Alexandri. Fecit & domos pulcherrimas, easdémque amicis suis maximè integris viris

don

donauit. Vectigalia publica in id cōtraxit, vt qui x. aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam partem auri præſtarent, hoc eſt triceſimam partem. Túncque primùm ſemiſſes aureorum formati ſunt: tunc etiam, quum ad tertiam partem auri vectigal decidiſſet, tremiſſes, dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quòd minus non poſſet. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectās vt ſi vectigal contrahere potuiſſet, & eoſdem ederet. Sed quum non potuiſſet per publicas neceſſitates, conflari eos iuſſit, & tremiſſes tantùm ſolidóſque formari. Formas binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius vſque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, reſolui præcepit, neque in vſu cuiuſquam verſari, atque ex eo his materiæ nomen inditum eſt, quum diceret plus largiendi hanc eſſe Imperatori cauſam, ſi quum multos ſolidos minores dare poſſit, dans decem vel amplius vna forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Veſtes ſericas ipſe raras habuit: holoſericas nunquam induit, ſubſericam nunquam donauit. Diuitiis nullius inuidit, pauperes iuuit, honoratos, quos pauperes verè non per luxuriam aut ſimulationem vidit, ſemper multis commodis auxit, agris, ſeruis, animalibus, gregibus, ferramentis ruſticis. In theſauris veſtem nunquam niſi annum eſſe paſſus eſt, eámq; ſtatim expendi iuſſit. Omnem veſtem quam donauit ipſe perſpexit: omne aurum, omne argentum, ídque frequenter appendit. Donauit & ocreas, & braccas, & calceamenta inter veſtimenta militaria. Purpuræ clariſſimæ non ad vſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quæ aut poſſent aut vellent, certè ad vendendum grauiſſimus exactor fuit: ita vt *Alexandrina purpura* hodiéque dicatur, quæ vulgò *Probiana* dicitur, idcirco quòd Aurelius Probus baphiis præpo-

Aurea moneta.

Moneta reformatio.

Veſtes.

Pauperum cura.

Rei veſtiaria & ſumptuum domeſticorum ratio.

Purpura vēditio, vt publicum ærarium ditaret.

situs id genus muricis reperisset. Vsus est ipse chlamyde coccina sæpe. In vrbe tamen semper togatus fuit, & in Italiæ vrbibus. Prætextam & pictam togam nunquam nisi cos. accepit: & eam quidem quam de Iouis templo sumptam alij quoque accipiebant, aut præt. aut coss. Accepit prætextam etiam quum sacra faceret, sed loco pont. max. non imperatoris. Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri, dicens, *Si lintei idcirco sunt vt nihil asperum habeant, quid opus est purpura?* in linea autem aurum mitti etiam dementiam iudicabat, quum asperitati adderetur rigor. Fasceis semper vsus est. Braccas albas habuit, non coccineas vt prius solebant. Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris vsui non esse: matronas autem regias contentas esse debere vno reticulo, atque inauribus, & baccato monili, & corona cum qua sacrificium facerent, & vnico pallio auro sparso, & cyclade quæ sex vnciis auri plus non haberet. Prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri, & vxorem eius matronæ pernobiles. Aulicum ministerium in id contraxit, vt essent tot homines in singulis officiis quot necessitas postularet: ita vt annonas, non dignitatem, acciperent fullones & vestitores, & pictores & pincernæ, omnes castrenses ministri, quemadmodum pestis illa instituerat, sed annonas singulas vix binas. Et quum argentum in ministerio plus ducentis libris non haberet, nec plures ministros, argentum & ministros antè quando poscebat, accipiebat ab amicis: quòd hodiéque fit, si præstatur à præfectis absente Imperatore.

Vestimentorum vsus moderatus.

Gemmarum contemptus.

Matronarũ & morum deprauatorum censura.

Aulici ministerij reformatio, imitatione digna.

II VOLVPTATES scenicas in conuiuio nunquam habuit: sed summa illi oblectatio fuit, vt catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnar-

Alexandri oblectatio cõuiualis & peculiaris.

pugnarent, aut aues paruulę sursum & deorsum volitarent. Habuit sane in palatio vnum genus voluptatis, quo maxime delectatus est, & quo solicitudines publicas subleuaret. Nam auiaria instituerat pauonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: hisque vehementer oblectabatur, maximè palumborum, quos habuisse ad viginti millia dicitur: & ne eorum pastus grauaret annonam, seruos habuit vectigales, qui eos ex ouis ac pullicenis ac pipionibus alerent. Thermis & suis & veterum frequenter cum populo vsus est, & æstate maximè balneari veste ad palatium reuertēs, hoc solum imperatorium habens quòd lacernam coccineam accipiebat. Cursorem nunquam nisi seruum suum, dicens ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere. Coccos, piscatores, fullones & balneatores, nonnisi seruos suos habuit: ita vt siquis deesset, emeret. Medicus sub eo vnus palatinus salarium accepit: cæteri omnes qui vsque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant, ita vt mundas singulas consequeretur, alias alter. Iudices quum promoueret exemplo veterum, vt & Cicero docet, & argento & necessariis instruebat, ita vt præsides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos. Et si vxores non haberent, singulas concubinas, (quòd sine his esse non possent) reddituri deposita administratione, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos: cætera sibi habituri, si benè egissent: in quadruplum redditituri, si malè. Præter condemnationem aut peculatus aut repetundarū, leges innumeras sanxit. Carrucas Romę & rhedas senatoribus omnibus vt argentatas haberent, permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, vt his tantæ vrbis senatores vterentur.

Palatina item.

Thermarū vsus popularis.

Moderatio summa in delectu & vsu seruorum.

Iudicum ex acta consideratio, & quidem omnibus seculis & principibus apprimè necessaria: ita tamen vt quod ethnicismum sapit, illud nempe de concubinis, & si quid est huiusmodi, remoueatur.

Dignitati publicæ aliquid concedendum, Alexandri exemplo.

Consules quoscunque vel ordinarios, vel suffectos creauit, ex senatus sententia nominauit, sumptum eorum contrahens: & nundina vetera ex ordine instituit, vel dies vel tempora. Quæstores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed vt post quæsturam præturas acciperent, & inde prouincias regerent: ærarios vero instituit qui de ære fisci ederent munera, eadémque parciora. Habuit in animo vt munera per totum annum dispergeret, vt per XXX dies munus populo daretur: sed cur id non fecerit in occulto habetur. Capitolium septimo die quum in vrbe esset ascendit, templa frequentauit. Christo templum facere voluit, eúmque inter deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur *Adriani*, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis qui consulétes sacra, repererant omnes Christianos futuros si id optatò euenisset, & templa reliqua deserenda. In iocis Alexander dulcissimus fuit, in fabulis amabilis, in côuiuiis comis, ita vt quisque posceret quod vellet. Ad aurum colligendum attentus, ad seruandum cautus, ad inueniendû solicitus, sed sine cuiusquam excidio. Syrum se dici noluit, sed a maioribus Romanum. Et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur genus eius a Metellis descendere. Rhetoribus, grammaticis, medicis, aruspicibus, mathematicis, mechanicis, architectis salaria instituit, & auditoria decreuit, & discipulos cum annonis pauperum filios modò ingenuos dari iussit. Etiam in prouinciis oratoribus forensibus multum detulit plerisque etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere. Leges in annos firmauit, eásque etiam ipse diligentissime seruauit. Theatralia spectacula sæpè obiit. Theatrum Marcelli reficere voluit. Multis ciuitatib

Populo etiã gratificandum, quantum publica fert vtilitas.

Mundi sapientes Christum expellunt. Summa autem Dei prouidentia factũ est vt inter idola Christus sedem sibi erigi nõ pateretur.

Egregia alia Alexandri virtutes: Aruspices autem & mathematicos expellere debuit.

Liberalitas

uitatibus, quæ poſt terræ motus deformes erant, ad inſtaurationem operum & publicorum & priuatorum pecuniam ex vectigalibus dedit. In templis ſanè nunquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, ſuſurrans verſum Perſij,

-in ſanctis quid facit aurum?

12 EXPEDITIONES bellicas habuit, de quibus ordine ſuo ediſſeram. Primùm tamen eius conſuetudinem dicam de rebus vel tacendis vel prodendis. Tacebantur ſecreta bellorum: itinerum autem dies publicè proponebantur, ita vt edictum penderet ante menſes duos in quo ſcriptum eſſet. *Illa die, illa hora ab vrbe ſum exiturus*, &, *ſi dii voluerint, in prima manſione manſurus*: deinde per ordinem manſiones, deinde ſtatiuæ; deinde vbi annona eſſet accipienda: & id quidem eò vſque quandiu ad fines barbaricos veniretur. iam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant: ita ne diſpoſitionem Romanam barbari ſcirent. Certum eſt autem eum nunquam id quod propoſuerat, fefelliſſe, quum diceret, *Nolle ab aulicis ſuas vendi diſpoſitiones*, quod factum fuerat ſub Heliogabalo quum ab eunuchis omnia venderentur. quod genus hominum idcirco ſecreta omnia in aula nôſſe cupiunt vt ſoli aliquid ſcire videantur, & habeant vnde vel gratiam vel pecuniam requirant. Et quia de publicandis diſpoſitionibus mentio contigit, vbi aliquos voluiſſet vel rectores prouinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum vt ſiquis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis: dicebátque, graue eſſe, quum id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committe-

& munificẽtia regia.

Superſtitionis deteſtatio.

Politicis consiliis bellica adiungẽda, in quibus Alexander excellit. Primùm autem rerum tacendarum & prodendarum diligentem habet rationẽ.

Deinde munerum & diſpoſitionũ.

Et quæ ab aliis laude digna fiunt, candidè imitatur.

rentur & capita. Aſſeſſoribus ſalaria inſtituit: quamuis ſæpe dixerit eos eſſe promouendos qui per ſe rempubl. gerere poſſent, non per aſſeſſores, addens militares habere ſuas adminiſtrationes, habere literatos: & ideo *vnumquenque hoc agere debere quod noſſet.* Theſauros repertos iis qui repererant donauit: & ſi multi eſſent, addidit his eos quos in ſuis habebat officiis. Cogitabat ſecum, & deſcriptum habebat, cui quid præſtitiſſet: & ſiquos ſciret vel nihil petiiſſe, vel non multum, vnde ſumptus ſuos augerent, vocabat eos, & dicebat, *Quid eſt cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete ne priuatus de me queraris.* Dabat autem hæc in beneficiis, quæ famam eius non læderent, Bona punitorum, ſed nunquam cum auro, argento, vel gemmis (nam id omne in ærarium reponebat) dabat præpoſituras locorum ciuilium non militum: dabat eas adminiſtrationes quæ ad procurationes pertinerent. Rationales cito mutabat, ita vt nemo niſi annum compleret: eóſque, ſi boni eſſent, oderat, malum neceſſarium vocans. Præſides verò proconſules & legatos nunquam fecit, ad beneficium ſed ad iudicium vel ſuum vel ſenatus. Milites expeditionis tempore ſic diſpoſuit vt in manſionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem & ſeptem (vt ſolent) dierum, niſi in barbarico: quanuis & illic mulis eoſdem atque camelis adiuuerit, dicens, *milites ſe magis ſeruare, quàm ſeipſum, quòd ſalus publica in his eſſet.* Aegrotantes ipſe viſitauit per tentoria milites, etiam vltimos, & carpentis vexit, & omnibus neceſſariis adiuuit. Et ſi fortè grauiùs laboraſſent, per ciuitates & agros patribusfamiliâs hominibus & ſanctioribus matronis eos diſtribuebat, reddens impendia quæ feciſſent, ſiue conualuiſſent illi, ſeu periſſent. Quum quidam Ouinius Camillus ſenator antiquæ familiæ delicatiſſimus rebellare voluiſſet,

Ac vnumquenque artem quam nouit, eam perſequi iubet.

Liberalitatem pruden ter exercet.

Adminiſtrationes ſapiẽter committit.

In militum diſpoſitione & cura cautus ac benignus.

Et ſanè ſapiens belli dux, milites beneuolẽtia paterna proſequitur.

luisset, tyrannidem affectans, eique nuntiatum esset, ac statim probatum, ad palatium eum rogauit: eique gratias egit quod curam reipub. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet: deinde ad senatum processit, & timentem ac tantæ conscientiæ tabe confectum, participem imperij appellauit, in palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamētis imperialibus & melioribus quàm ipse vtebatur affecit. Et quum expeditio barbarica esset nuntiata, vel ipsum si vellet ire, vel vt secum proficisceretur, hortatus est. Et quum ipse pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem quem post quinque millia cunctantem, equo sedere iussit: quúmque post duas mansiones, equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque seu timore seu vere respuentem, abdicantem quinetiam imperium, & mori paratum, dimisit: commendatúmque militibus, à quibus Alexāder vnice amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit, in quibus diu vixit. sed pòst iussu Imperatoris occisus est, quòd ille militaris esset & à militibus amatus. Scio vulgum hanc rem quam contexui, Trajani putare, sed neque in vita eius id Marius Maximus ita exposuit, neque Fabius Marcellinus, neque Aurelius Verus, neque Statius Valens qui omnem eius vitam in literas miserunt. Contrà autem & Septimius & Acholius, & Encolpius vitæ scriptores, cæterique de hoc talia prædicauerunt: quod ideo addidi, ne quis vulgi magis famam sequeretur, quàm historiam quæ rumore vtique vulgi verior reperitur. Honores iuris gladij nunquam vendi passus est, dicens, *Necesse est vt qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem qui emit & vendit.* Pontificatus & quindecemuiratus, & auguratus codicillares fecit, ita vt in senatu allegeretur. Dexippus dixit vxorem

Supra hominis principis captū magnifica clementia exemplum.

Huius clementiæ correctio.

Veritas, historiæ oculus.

Præclarum, aduersus functionum publicarum mangones, Alexandri Apophthegma.

eum cuiusdam Martiani filiam duxisse, eundémque ab eo Cæsarem nuncupatum. Verùm quum vellet insidiis occidere Alexandrum Martianus, detecta factione, & ipsum interemptum, & vxorem abiectam. Idem dicit, fuisse patruum Antoninum Heliogabalum Alexandri, non vxoris sororis eiusdem filium.

Aliud, pro Christianis.

Quum Christiani quendam locum qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarij dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, *melius esse vt quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.*

Disciplina militaris pictura egregia, horrendam seculi nostri in bellis gerendis faciem damnans.

13. QVVM igitur tantus ac talis Imperator domi ac foris esset, iniit Parthicam expeditioné: quam tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, vt non milites, sed senatores transire dicerentur. Quacunque iter legiones faciebant, tribuni accincti, cẽturiones verecundi, milites amabiles erant: ipsum verò ob hæc tot & tanta bona prouinciales vt deum suscipiebant. Iam verò ipsi milites iuuenem Imperatorem sic amabant vt fratrem, vt filium, vt parentem: vestiti honestè, calciati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippiis ac frenis decentibus prorsus, vt Romanam remp. intelligeret quicunque Alexandri vidisset exercitum. Elaborabat denique vt dignus illo nomine videretur, imo vt Macedonem illum vinceret: dicebátque, inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere. Fecerat denique sibi argyraspidas & chrysaspidas: fecerat & phalangem triginta millium hominum, quos *phalangarios* vocari iusserat, & cum quibus multum fecit in Perside: quæ quidem erat ex sex legionibus similium armorum, stipendiorum verò post Persicum bellum maiorum. Dona regia in templis posuit: gemmas sibi oblatas vendidit, muliebre esse existimans gemmas possidere, quę neque militi dari possint, neq; à viro haberi. Quum quidam legatus vniones duos vxori eius per ipsum obtu

Discrimen inter Alexandrum Romanum & Macedonem.

Thesauros non habet, nisi vtiles militi.

obtulisset magni ponderis & inusitatæ mensuræ, vendi eos iussit: qui quum pretium non inuenirent, ne exemplum malum à regina nasceretur, si eo vteretur quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicauit. Vlpianum pro tutore habuit, primùm repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpe a militum ira obiectu purpuræ summæ defendit: atque ideo summus Imperator fuit, quòd eius consiliis præcipue remp. rexit. In procinctu atque in expeditionibus apertis papilionibus prandit atque cœnauit, quum militarem cibum cunctis videntibus atque gaudentibus sumeret, circumiret propè tota tentoria, à signis abesse neminem pateretur. Si-quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi: aut si hęc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis, quum diceret, *Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabátque sæpius quod à quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat: idque per præconem quum aliquem emendaret, dici iubebat, QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Quam sententiam vsqueadeo dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus præscribi iuberet. Idem quum quandam aniculam affectam iniuriis à milite audisset, exautoratum eum militia seruum ei dedit, quòd artifex carpentarius esset, vt eam pasceret. Et quum doleret hoc milites factum, persuasit omnibus, vt modestè ferrent, & eos terruit. Ἀναίμακτον imperium eius, quum fuerit durus & tetricus, idcirco vocatum est, quòd senatorem nullum occiderit, vt Herodianus Græcus scriptor refert in libris temporum suorum. Seueritatis autem tantæ fuit in milites, vt sæpe legiones integras exautorauerit ex militibus, Quirites appellans, nec exercitum vnquam timuerit, idcirco quòd in vi-

Praclarum facinus.

Sapiens consiliarius, instar multorũ exercituum & Senatorum.

Milites inordinati, seuerè compescendi.

Regula certissima omnium actionum humanarum.

Cur incruentum Alexãdri imperiũ dictum sit: & vnde tanti ducis confidentia.

52

tam suam dici nihil posset quod vnquam tribuni vel duces de stipendiis militum quicquam accepissent, dicens, *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens, aliquid in zonula*: idcirco quod mendicitas militaris ad omnem desperationem vocaret armatum. Apparitores denique nullos esse passus est: tribunis aut ducibus, nisi milites anteire voluit: iussitque vt ante tribunum quatuor milites ambularent: ante ducem, sex, ante legatum, decem: hique ad domos suas reciperentur.

Miles pro auidus quis.

14 ET vt seueritas eius agnosci posset, vnã concionem militarem indendam putaui, quæ illius in rem militarem mores ostenderet. Nam quum Antiochiam venisset, ac milites lauacris muliebribus & deliciis vacarent, eique nuntiatũ esset, omnes eos comprehendi iussit, & in vincula coniici. Quod vbi compertum est, mota seditio est à legione cuius socij erant in vincula coniecti. Tum ille tribunal ascendit, vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circunstãtibus etia militibus, & quidem armatis, ita cœpit, *Commilitones, si tamen ista vobis quæ à vestris facta sunt displicent, disciplina maiorum remp. tenet: quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani, vestri socii, mei contubernales & commilitones, amant, potant, lauant, Græcorum more etiam quidam se instituunt: hoc ego diutius feram? & non eos capitali dedam supplicio?* Tumultus post hoc ortus est. Atque iterum, *Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum, necessariam emittite: certè campi doctores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere: non contra eum qui acceptam à prouincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem truculentam, campo ac bellis necessariam, ne vos hodie omnes vno* ore

Militaris concio, cuius summam ne cesse est teneat memoria, & reipsa impleat, quicunque bellum feliciter gerere cupit.

Propter seditiosorum tumultum, belli dux sapiens animũ minime despondeat.

pre atque vna voce, Quirites dimittam: & incertum, an Quirites. Non enim digni estis qui vel Romanæ plebis sitis, si ius Romanum non agnoscitis. Et quum vehementius fremerent, ac ferro quoque minarentur, *Deponite*, inquit, *dextras contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim vnum hominem occideritis, non nobis deerit resp. non senatus, non* P. R. *qui de vobis vindicet.* Quum nihilominus post ista fremerent, exclamauit, *Quirites discedite, atque arma deponite.* Mirando exemplo depositis armis, depositis etiam sagulis militaribus, omnes nō ad castra sed ad diuersoria varia recesserunt. Túncq; primum intellectū est quantum eius seueritas posset. Denique etiam signa stipatores & ij qui Imperatorem circundederāt, in castra retulerunt, arma collecta populus ad palatium tulit: eam tamē legionem quam exautorauit, rogatus per dies XXX, priusquam ad expeditionem Persicam proficisceretur, loco suo restituit, eáque pugnante maximè, vicit: quum tamen tribunos eius capitali affecerit supplicio, quòd per negligētiam illorum milites apud Daphnem luxuriati essent, vel per conniuentiam seditionem fecissent exercitus. Magno igitur apparatu inde in Persas profectus, Artaxerxem regem potentissimum vicit, quum ipse Alexander cornua adiret, milites admoneret, sub ictu teli versaretur, manu plurimum faceret, singulos quosque milites ad laudem verbis adduceret. Fuso denique fugatóque tanto rege, qui cum septingentis elephantis, falcatisque mille & octingentis curribus ad bellum venerat, equitum multis millibus, statim Antiochiam rediit, & de præda quam Persis diripuit, suum ditauit exercitum: quum & tribunos ea quæ per vicos diripuerant, & duces & ipsos milites habere iussisset. Túncque primùm Persæ serui apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indignè ferunt Persarum reges quempiam suorum alicubi

Sed inuicta animi fretus fortitudine, authoritatē suam constanter tuetur.

Et tumultuantes serio coerceat, ac tempestiua benignitate sibi cōciliet.

Victoria Alexandri, sapientis & strenui bellatoris.

Prædam non sibi sed exercitui distribuit.

seruire, acceptis pretiis reddidit: pretiúmque vel iis qui manu ceperant seruos, dedit, vel in ærarium contulit.

Summus belli dux honore & triumpho fit contentus.

15 Post hoc Romam venit, triumphóque pulcherrimo acto, apud senatum primùm hæc verba habuit, ex actis senatus die septimo cal. Octobr. *Persas P.C. vicimus. Longa eloquentia opus non est, tantùm scire debetis quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Iam primùm elephanti septingenti: iidémque turriti cum sagittariis & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti iacent, decem & octo perduximus. Falcati currus mille, sed adducere interfectorum animalium currus ducentos potuimus: sed id quia & fingi poterat, facere supersedimus. Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus: eorum armis nostros armauimus. Multos Persarum cepimus eosdémque vendidimus. Terras Interamnanas, Mesopotamiæ scilicet, neglectas ab impura illa bellua recepimus. Artaxerxem potentissimum regem tam re quàm nomine, fusum fugauimus, ita vt eum terra Persarum fugientem videret: & quà ducta fuerant quondam signa nostrorũ, eà rex ipse signis effugerit relictis. Hæc sunt P.C. gesta. Eloquentia opus non est: milites diuites redeunt, laborem in victoria nemo sentit. Vestrum est supplicationem decernere, ne diis videamur ingrati.* Acclamatio senatus: *Alexander Auguste, dii te seruent. Persice maxime, dii te seruent. Verè Parthicus, verè Persicus, Trophæa tua & nos videmus, victorias & nos videmus. Iuueni Imperatori, patri patriæ, pontifici maximo: per te victoriam vndique præsumimus. Ille vincit qui milites regit. diues senatus, diues miles, diues P.R.* Dimissò senatu capitolium ascẽdit, atque inde re diuina facta, & tunicis Persicis in templo locatis, concionem huiusmodi habuit, *Quirites, vicimus Persas, milites diuites reduximus, vobis congiarium pollicemur, cras ludos circenses Persicos dabimus.* Hæc nos & in annalibus, & apud multos reperimus. Sed quidam

Et res gestas non ambitiose sed veritatis & vtilitatis publicæ gratia exponat.

Dei potẽtiæ victoriam acceptam referat.

Et suo exemplo subditos, vt idem agnoscant, sollicitet.

dic

dicunt, à seruo suo eum proditum non vicisse regem, sed ne vinceretur, fugisse. Quod contra multorum opinionem dici non dubium est iis qui plurimos legerint. Nam & amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore, ac morbo, vt Herodianus autor est, contra multorum opinionem. Post hoc cum ingenti gloria, & comitante senatu, equestri ordine, atque omni populo, circunfusisque vndique mulieribus & infantibus, maxime militum coniugibus, pedes palatium conscendit, quum retrò currus triumphalis a quatuor elephantis traheretur. Leuabatur manibus omnium Alexander, vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, vndique omnibus clamātibus, *Salua Roma, quia saluus est Alexander.* Alia die actis circensibus, & item ludis scenicis, deinceps congiarium populo Romano dedit. Puellas & pueros quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammęanas & Mammęanos instituit. Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem eius, & in Armenia per Iunium Palmatum, atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ, quibus in senatu & apud populū lectis, omnibus nominibus est adornatus. His verò qui remp. bene gesserant, consularia ornamenta decreta sunt, additis etiam sacerdotiis & agrorum possessionibus iis qui erāt pauperes & æuo iam graues. Captiuos diuersarum nationum amicis donauit, si ætas puerilis aut iuuenilis permisit. Siqui tamen regij aut nobiliores fuerint, eos militiæ, non tamen magnæ, deputauit. Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donauit, ita vt eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec vnquā ad priuatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos si etiam sua rura defenderent. Addidit sanè his & animalia & seruos, vt possent colere

De bello Persico varia sententia.

Modesta e-sto principū post victoriam, gloria.

Gaudium fit publicū, non sine muneribus.

Victoria moderatū principē sequuntur. Strenuis & felicibus præfectis ac militibus honores et præmia princeps conferat.

quod acceperant: ne per inopiam hominum, vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina barbariæ: quod turpissimum ille ducebat.

59. *Bellum non moueat princeps, nisi per necessarium.*

16. POST hęc quum ingenti amore apud populum & senatum viueret, & sperantibus victoriam cunctis, & inuitis eum dimittentibus, ad Germanicum bellum profectus est, deducentibus cunctis per cētum & quinquaginta millia. Erat autem grauissimum reip. atque ipsi quòd Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur. Pudorémque augebat quòd victis iam Parthis, ea natio imminebat reip. ceruicibus quę semper etiam minusculis imperatoribus subiecta videbatur. Magnis igitur itineribus, lætis militibus, contendit. Sed quum ibi quoque seditiosas legiones comperisset, abiici eas præcepit.

Gallicanæ mentes seueritatis nimia olim impatientes.

Verùm Gallicanæ mentes, vt sese habent duræ ac retrogradæ & sæpe Imperatoribus graues, seueritatem hominis nimiam & longè maiorem pòst Heliogabalum, non tulerunt. Denique agentem eum cum paucis in Britannia, vt alij volunt, in Gallia in vico cui Sicila nomen est, non ex omnium sententia, sed latrocinantium modo quidam milites, & hi præcipuè qui Heliogabali præmiis effloruerāt, quum Seuerum principē pati non possent, occiderunt. Multi dicūt à Maximino immissos tyrones, qui ei ad exercendum dati fuerant, eum occidisse: multi aliter, à militibus tamen constat, quum iniuriosè quasi in puerum eundem & matrem eius auaram & cupidam multa dixissent. Imperauit annis XIII, diebus IX. Vixit annis XXIX, mēsibus III, diebus VII. Egit omnia ex consilio matris, cum qua occisus est.

Impietas Maximini & tyronum.

60. *Omina mortis Alexandri.*

Omina mortis hæc fuerunt: Quum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, & vt se ciuiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam eius vestem cum qua constiterat, cruentauit. Laurus in palatio cuiusdam ciuitatis, à qua proficiscebatur ad bellum

bellum, ingens & antiqua, tota subitò decidit. Arbores fici tres, quæ ficus eas ferrent quibus Alexandrinarum nomen est, subitò ante illius tentorium deciderunt, quum tentoria imperatoria his adnexa essent. Mulier Druias eunti exclamauit Gallico sermone, *Vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas.* Tribunal ascendit vt concionaretur, & faustum aliquid diceret: ita cœpit, Occiso imperatore Heliogabalo. hoc tamen omini fuit, quòd iturus ad bellum, milites alloqui minus fausta oratione cœptauerat. Sed hæc omnia vehementissimè contempsit. Profectúsque ad bellum, in loco supra dicto ita occisus est. Pranderat forte publico, vt solebat, conuiuio, id est apertis papilionibus, cibo militari accepto: neque enim aliud à discumbentibus militibus in tẽtoriis est repertum. Et quum dormiret post conuiuium hora diei ferè septima, vnus ex Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, ingressus dormientibus cunctis, solo tamen Imperatore interuigilante visus est: cui Alexander, *Quid est hic,* inquit, *contubernalis? Num aliquid de hostibus nuntias?* At ille metu perterritus & sperans non posse euadere quòd in tentorium principis irruisset, ad contubernales suos venit, eósque ad durum principem interimendum exhortatus est: qui subitò plures armatique ingressi, inermes & obsistentes contruncauerunt, ipsúmque pluribus ictibus confoderunt. Aliqui dicunt, omnino nihil dictum, sed tantùm à militibus clamatum, *Exi, recede*: atque ita obtruncatum iuuenem optimum. Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam à Maximino, Alexandri fuit, & potentissimus quidem per Armenios & Osdroenos & Parthos, & omnis generis hominum. Contempsisse Alexandrum mortem, cum ferocitas mentis, qua militem semper attriuit, tum etiam illa declarant. Thrasy-

Conscia mẽs recti pericula non apprehendit plus quàm decet.

Alia, de Alexandri cæde, sentẽtia parũ verisimilis. Iubẽte Maximino, tam Imperatore accepto à militibus, Alexander cum Mammaa matre & alijs est interfectus, referente Herodiano.

bulus mathematicus illi amicissimus fuit: qui quum ei dixisset, necessitatem esse vt gladio barbarico periret, primò lætatus est quòd sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde disputauit ostenditque, optimos quosque violenta morte consumptos, quum diceret ipsum Alexandrum, cuius nomen teneret, Pompeium, Cæsarem, Demosthenem, Tullium, & cæteros insignes viros, non quieta morte oppetisse. Tantúmque animi habuit vt putaret se diis comparandum si in bello periret: sed res eum fefellit. Nã & gladio barbarico, & scurræ barbari manu, verùm non in bello, sed belli tempore periit. Mortem eius milites, & qui exautorati ab eo quondam fuerant grauissimè tulerunt, atque autores cædis trucidarunt. Populus verò Romanus, senatúsque omnis cum prouincialibus cunctis, neque tristius vnquam neque asperius acceperunt, simul quòd successoris asperitas atque rusticitas Maximini, vtpote hominis militaris, cui cum filio post eum imperium delatum est, grauiorem fati necessitatem videbatur ostendere. Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrũ amplissimum meruit. Dati sunt & sodales, qui *Alexandrini* appellati sunt: addita & festiuitas matris nomine, atque ipsius, quæ hodiéque Romæ religiosissime celebratur natali eius die. Causa occidendi eius ab aliis hæc fuisse perhibetur quòd mater eius relicto bello Germanico orientem ad iactantiam sui vellet redire, atque ob hoc esset iratus exercitus. Sed hæc ab amatoribus Maximini ficta sunt, qui videri noluerunt imperatorem optimum ab amico suo interfectum contra iura humana atque diuina.

Alexãder, philosophiæ præceptis imbutus, mortem violentam cõtemnit, honestæ cupidus.

Parricidæ trucidati, excepto ad tempus illorum capite.

Honores Alexãdri memoriæ delati. virtutẽ post fata quærimus inuidi.

17 HACTENVS imperium P.R. eum principem habuit qui diutius imperaret, post eum certatim irruentibus, & aliis semestribus, aliis annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imp

Romanĩ imperij squallida facies: Alexandro extincto.

imperantibus, vsque ad eos principes qui latius imperium tetenderunt, Aurelianum dico, & deinceps. de quibus, si vita suppeditauerit, ea quæ comperta fuerint publicabimus. Reprehensa sunt in Alexandro hæc, Quòd Syrus esse nolebat, quòd aurũ amabat, quòd suspiciosissimus erat, quod vectigalia multa inueniebat, quòd se Magnum Alexandrum videri volebat, quòd nimis seuerus in milites erat, quòd curas priuatas agebat: quæ omnia in republ. instituerat. Scio sane plerosque negare hunc à senatu Cæsarem appellatum esse sed a militibus, qui verum prorsus ignorant: dicere præterea non hunc fuisse consobrinum Heliogabali, qui, vt nos sequantur, historicos eius temporis legant, & maxime Acholium qui & itinera huius principis scripsit. Soles quærere Constantine maxime, quid sit quod hominem Syrum & alienigenam, talem principem fecerit, quum tot Romani generis, tot aliarum prouinciarum reperiantur improbi, impuri, crudeles abiecti, iniusti, libidinosi. Iam primùm possum de bonorum virorum respondere sententia, potuisse natura, quæ vbique vna mater est, bonum principem nasci: deinde timore, quòd pessimus esset occisus, hunc optimum factum: sed quia verum est suggerendum, clementiæ ac pietati tuæ lecta referabo. Notum est illud pietati tuę quod in Mario Maximo legisti, *meliorem esse remp. & propè tutiorem, in qua princeps malus est, ea in qua sunt amici principis mali*, siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem mali non possunt ab vno, quanuis bono, vlla ratione superari. Et id quidem ab Homulo ipsi Trajano dictum est, quum ille diceret Domitianum pessimum fuisse, amicos autẽ bonos habuisse atq; adeo illum magis odio fuisse, qui remp. peioris vitæ hominibus cõmendauerat, quia melius est vnũ malum pati quàm multos. Et vt ad rem redeã,

Alexandri neui, leues admodum, si ad eius virtutes conferantur.

Vnde tanta in homine Syro animi præstantia.

Respublica an melior & tutior sub principe malo & bonis consiliariis, an sub melis consiliarus & bono principe.

Alexander quidē & ipse optimus fuit. Nam hoc nemo vult nisi bonus, & optimæ matris consiliis vsus est: ac tamen amicos sanctos & venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, nō crudeles, non circumuētores sui, non irrisores, nō qui illum quasi fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderēt, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existimationem principis sui, sed amarent. Huc accedit quòd eunuchos nec in consiliis nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt viuere: qui à populo etiam amicissimum principem semouent: qui internuntij sunt, aliud quàm respondetur sæpe referentes, claudentes principem suum, & agentes ante omnia, nequid sciat. Qui quum empti sint & praui fuerint, quid tandem possunt boni sapere? Erat denique eius ipsius sententia, *Ego de præfectorum & consulum & senatorum capitibus mancipia ære empta iudicare non patiar.* Scio Imperator Constantine, quo periculo ista dicantur Apud Imperatorem qui talibus seruit, sed salua republ. posteaquam intellexisti quid mali clades istæ habeant, & quemadmodum principes circumueniant, & tu eos eo loci habes vt nec chlamyde vti iusseris, sed necessitatibus domesticis delegaris. iam illud insigne, quòd solum intra palatium præter præfectum, & Vlpianum quidem, neminem vidit: nec dedit alicui facultatem vel fumorum vendēdorum de se, vel sibi de aliis malè loquendi, maximè occiso Thurino, qui illum quasi fatuum & vecordem sæpe vendiderat. His accessit, quòd amicos & parentes Alexander

Quales fuere Alexandri amici seu cōsiliarÿ & domestici.

Eunuchos seu adulatores aulicos cur remouerit à consiliis & ministeriis.

Principis maiestas quanto cum respectu obseruāda. Arceat igitur stolidos aulicos adulatores, moriones, impuros

xander si malos reperit, aut puniuit, aut, si vetus vel amicitia vel necessitudo non siuit puniri, dimisit a se, dicens; *His charior est mihi tota Respublica.* Et vt scias qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus Sabini insignis viri filius, Cato temporis sui, Domitius Vlpianus iuris peritissimus, Aelius Gordianus Gordiani Imperatoris pater, & ipse re vera vir insignis: Iulius Paulus iuris peritissimus, Claudius Venatus orator amplissimus: Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus, hi omnes iuris professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri imperatoris familiares & socij, vt scribit Acholius & Marius Maximus, Catilius Seuerus cognatus eius vir omnium doctissimus, Aelius Serenianus omnium vir sanctissimus, Quintilius Marcellus quo meliorem ne historiæ quidem continent. His tot atque aliis talibus viris quid mali potuit cogitari vel fieri, quũ ad bonum consentirent? Et eos quidem malorum cohors depulerat, qui circunuenerant Alexandrum primis diebus, sed prudentia iuuenis his malis occisis atque depulsis, amicitia ista sancta conualuit. Hi sunt qui bonum principem suum fecerunt: & item amici mali, qui Romanos pessimos etiam posteris tradiderunt suis vitiis laborantes.

nebulones, & illos nescio quos inani grandiloquentia, vestimentis, auro & famulorum turba superbientes, nec vnquam rebus præclarè gestis de Republica & principe bene meritos: pios autem, bonos, doctos, prudẽtes foueat, & (quum erit opus) audiat.

HERODIANI

Maximinus.

BREVIARIVM.

1 *Maximinus, imperium parricidio fundatum sæuitia stabilire conatur: ideo Alexandri domesticos, amicos, & sapientes consiliarios, vel morte, vel exilio, vel honorum & munerum priuatione mulctat: deinde propter coniurationum suspiciones multos alios interficit.*

2 *Bellum Germanis infert, quos magnis afficit cladibus.*

3 *Qualis fuerit aulica & politica Maximini administratio.*

4 *Seditio in Africa, vnde Procuratoris à Maximino constituti cædes, & Gordiani Senioris electio.*

5 *Gordianus Imperator salutatus, Carthaginem Imperii delectã sedem, proficiscitur. Ad S.P.Q.Rom. dat literas, & Vitalianum prætorii præfectum per emissarios interficit. Oberitur Romæ tumultus cruentus, Maximini statuis euersis, cæterísque honoribus conuulsis. Senatus Gordianum ipsiúsque filium Augustos declarat. Prouinciæ multæ ad defectionem impulsæ, apud quas Maximinus odio laborabat.*

6 *Maximinus dißimulata animi ægritudine, ad exercitum de bello, Gordianis ac S.P.Q.R. inferendo, habet orationem, & se ad iter accingit.*

7 *Capelliani, Mauritaniæ procuratoris, prompta audacia Gordianus Senior perterrefactus, seipsum laqueo strangulat. Gordianus filius & Carthaginienses imbelles atque incomposito agmine Capelliano occurrentes maxima clade oppreßi Carthaginem victori diripiendam & fœdè lacerandam relinquunt.*

8 *Senatus audita Gordianorum morte Maximum &*

& Balbinum creat Imperatores, & Gordianum iuniorem, ex Gordiani senioris filia natum, Cæsarem declarat.

9 *Romæ funesta calamitas orta de nimia duorũ senatorum audacia: vnde populi horrenda strages, & vrbis conflagratio.*

10 *Alpibus superatis, Maximinus Aquileiam, maximam Italiæ vrbem, sibi aduersarium, obsidione premere constituit.*

11 *Per legatos Aquileienses studet decipere, qui per Crispinum vrbi præfectum ad iustam defensionẽ hortantur, & confirmãtur.*

12 *Ira percitus Maximinus, flumio Aquileiæ proximo difficulter transmisso, sub vrbana ædificia incẽdit, circum vicinæ regionis omnẽ ornatum fædat, & Aquileiam vndique obsidet. Oppidani pro aris & focis fortiter pugnant.*

13 *Maximini exercitus spe sua frustratus, ab obsessis ridetur. Maximinus plurimos è suis ducibus, quasi parum strenuos, extremo supplicio afficit. Fame laborantes milites, fracti bello, fatisque repulsi, ad Maximini tentorium accedentes, cõspirantibus vnà corporis custodibus, eum cum filio obtruncant, & cadaueribus ad ludibrium proiectis amborum capita Romam mittunt.*

QVALEM se gesserit Alexander quatuordecim annorũ imperio, & quem vitæ finem habuerit, antea exposuimus. Interea Maximinus rerum potitus mutata vehementer rerum conditione, aspere ferocitérque adepta potestate vtebatur, sic vt ex molli mansuetóque imperio, ad tyrannidis crudelitatẽ vertere omnia contenderet. Nam quum se inuisum hominibus cognosceret, quòd primus ex infimo loco ad eam fortunam peruenisset: præterea moribus perinde vt genere barbarus, patrióque instituto cædis auidissimus, ad id potissimùm dabat operam vt imperium sibi sæuitia con-

1 *Tyrannicæ dominationis, sub Maximino, expressa effigies.*

Tyrannus sæuitiá principatum sibi stabilire conatur.

ſtabiliret, ſcilicet metuens ne ſenatui reliquíſque omnibus Romanæ ditionis hominibus contemptibilior fieret, dum non tam in eo præſens fortuna quam natalium obſcuritas ſpectatur. Quippe iam id tritum vulgatúmque apud omnes, opinionem fuiſſe in Thraciæ montibus: dein corporis vaſtitate ac robore inter eius regionis tenuiſſimos milites aſcitum, quaſique manu ductum a fortuna ad Romanum imperium. Quare omnes confeſtim amicos conſiliarióſque Alexandri a ſenatu lectos ſuſtulit e medio, partimque Romam dimiſit, partim adminiſtrationem rerum cauſatus, officio priuauit. Id eo conſilio fecit vt ſolus eſſet in exercitu, neminémque prope ſe haberet ex conſcientia nobilitatis potiorem, ſed velut ex arce quadam citra vllius reuerentiam tyrannidis operibus vacare poſſet. Omniáque Alexandri miniſteria quibus ille per tot annos vſus fuerat, ex aula eiecit, plurimis etiam interfectis, quòd inſidias videlicet ſuſpectaret, quando omnes illius interitu mœſtos eſſe intelligebat. Cæterùm magis magíſque crudelitatem irritauit coniurationis cuiuſdam in ſe delatio, conſpiratis in vnum centurionibus permultis, omníque ſenatu Romano. Magnus erat quidam nomine, vir patritius & conſularis, qui delatus Imperatori eſt, quaſi manum cõtra ipſum compararet, ac militibus perſuaderet vt ad ſe imperium transferrent. Conſilium autem huiuſcemodi fuiſſe putatur: Pontem cõſtruxerat Maximinus ſupra flumen, quà aduerſus Germanos tranſiret. vt enim primùm ſummam rerum ſuſcepit, ſtatim bellica facinora affectauit. Siquidẽ tanquam ob immanem corporis ſtaturam & militare robur ac peritiam pugnandi aſcitus ad imperium, re ipſa famã confirmare atque opinionẽ militum tendebat, vt metum illum atque cunctationem Alexandri in præliis capeſſendis iure improbatam fuiſſe

Prædeceſſoris principis amicos & cõſiliarios remouet, vt agat pro arbitrio.

Inſidias ſuſpectat propter ſæuitiã.

Bellica facinora affectat.

fuisse coargueret. Quare nihil sibi ad exercendos milites reliqui faciebat, & cùm ipse in armis assiduus erat, tum exercitum vehementer adhortabatur. Sed tum constructo (vt diximus) ponte, transire in Germaniam statuerat. Cæterum Magnus haud sane paucis militibus, sed qui virtute cęteros anteirent, atque ijs potissimum quibus custodia pontis curáque fuerat demandata, persuasisse dicebatur vt simul ac Maximinus in alteram ripam peruasisset, ponte abscisso reditúque intercluso, barbaris eum proderet. Siquidem tanta erat amnis illius profunditas ac latitudo, vt irremeabilis fore videretur, nullis præsertim nauigijs in aduersa ripa, & ponte soluto. Talia scilicet sermonibus ferebantur: incertum verò, an composita per Maximinum fraude. neque enim facilis sententia, parum explorata re, citráque iudicium aut defensionem vllam, correptis interfectisque omnibus quoscunque suspicio attigerat. Sed & militum Osrhoenorum defectio nonnulla oborta est. Nam quum magnopere indoluissent Alexandri nece, ac forte fortuna in consularem quendam ex illius amicis, cui nomen Quartino fuit, paulò antè e castris a Maximino dimissum incidissent, correptum atque retractantem, neque tale quippiam cogitantem, ducem sibi delegerunt, purpuráque eum prælatóq; igni, funestis scilicet honoribus condecoratum, nihilque minùs optantem, ad imperium protulerunt. Qui tamen haud diu post in tabernaculo dormiens, à contubernali quodam suo, & (vt credebatur) amico per insidias occiditur. Macedonio nomẽ fuit, qui & antea Osrhoenis præfuerat, & nunc primus eisdem autor fuerat deficiendi à Maximino. Quúmque nulla subesset odij aut inimicitiarum causa, tamen eum occidit, quem ipsemet corripuerat, atque ad suscipiendum imperium perpulerat. Sed enim magnoperè tunc gratum

Memoriā bonorum principum ingratam reddere studet.

Illustribus viris tendit insidias.

Odio est fortibus militibus, qui ab eo oblata quacunque occasione deficere cupiunt.

Aſtutè ſe gerit, & ſui ſimilem tollit è medio. ſe Maximino facturum putans, abſciſſum Quartino caput dono obtulit. Verùm Maximinus, quanuis eo facinore lętus gaudénſq; pręreptum ſibi hoſtem, tamen illum haud modica ſperantem putantémque ſibi inſignem gratiam relatum iri, extremo ſupplicio affecit, ceu defectionis autorem, interfectorémque eius cui facinus inuito perſuaſerat, atque inſidum homini quem antea pro amiciſſimo habuiſſet. *In dies eius ſæuitia exacuitur.* Huiuſmodi igitur cauſæ magis magiſq; animũ exaſperabãt Maximini, atque ad ſæuitiam exacuebãt, etiam anteà ſua ſponte crudeliſſimũ. Cęterùm aſpectu quoque erat horrẽdus, vaſto atque immani corpore, vt nemo illi, vel exercitatiſſimorũ Gręcorum, vel pugnaciſſimorum barbarorum conferri poſſit.

Plagis & ſanguine gaudet. 2 His ita diſpoſitis rebus, collecto exercitu omni, ác ponte intrepide pertranſito, bellum Germanis intulit. Sequutr illum magna vis mortalium, ac pene omnes barbarorum copiæ: adhæc Mauri iaculatores ſagittariique quamplurimi. Præterea Oſrhoeni & Armenij, quorum hi Romanis ſubiecti, illi in amicitiam fuerant ſocietatémque aſciti, tum ſiqui ex Parthis aut pecunia conducti aut transfugæ aut item capti bello Romanis ſeruiebant. Hæc autem multitudo coacta ab Alexandro priùs, aucta dein atque in rebus bellicis exercita à Maximino fuerat. *Et numeroſo milite, vt hoſtes internos & externos faciliùs frangat.* Cæterùm iaculatores ſagittariique gerendo aduerſus Germanos bello magnopere idonei videtur. ſiquidem expediti hoſtem opprimũt incautum, faciléque rurſus in tutum ſe recipiunt. At verò Maximinus hoſtilem ingreſſus agrum, diu nemine qui reſiſteret inuento (quippe omnes abſceſſerant barbari) regionem illorũ depopulabatur, maturis iam ſegetibus, vicóſque omnes incendendos diripiendóſque militibus tradebat. *Crudeliter agit omnia.* Sunt autem vrbes ædificiáque illa maximè incendiis obnoxia. Rara enim apud Germanos ſtructura è lapide ac lateribus coctilib

ctilibus, densisque potius sylvis, quorum confixis coagmentatisque lignis, quædam quasi tabernacula ædificant. Igitur Maximinus in eam regionem longelatéque grassatus, populatis segetibus, omnique pecore captiuo militibus permisso, nullos adhuc hostes inuenerat. Siquidem campestres regiones, locáque ab arboribus pura deseruerant, atque intra syluis & paludes delituerant, vt inde præliarentur atque eruptionem in hostem facerent. Etenim densitas illa arborum sagittis iaculisque hostium allatura impedimentum, & paludum altitudo periculosa Romanis locorum ignaris, ipsis autem facilis expeditáque fore videbatur, non ignaris quæ vsquam peruia, quæ inuia, & genuum tenus quotidie per illas discursantibus. Sunt autem Germani peritissimi natandi, vt qui tantummodo in fluminibus lauentur. In huiuscemodi igitur locis pugna inita, vbi etiam Imperator ipse Romanus fortissime prælium inchoauit. Nam quum ad ingentem quandam vastamque paludem ventum esset, intra quam Germani fuga se receperant, verentibus Romanis eodem hostes insequi, primus Maximinus equo paludem ingressus, quum quidem etiam supra alium equus voragine hauriretur, magna vi repugnantes barbaros contrucidauit. Quare exercitus reliquus pudore instinctus, ne prodere pugnantem pro se Imperatorem videretur, ausus & ipse est paludem ingredi, multique vtrinque ceciderunt: ita tamen vt nullus pene barbarorum fuerit reliquus dimicante insigniter Romano principe. Quare & lagnum cadaueribus oppletum, & palus sanguine confusa, pedestris prælij naualem faciem præferebat. Hanc igitur pugnam, suaque ipsius fortia facinora, non solùm per literas senatui populoque Romano significauit, sed etiam depictam maximis imaginibus ante curiam publicauit, vt

Natura & humanitati ipsi bellum infert.

Ira percitus & sanguinis humani sitientissimus, ardua omnia tentat.

Laudũ suarum præco, cruentis tabulis tyrannidem suam formidabilẽ reddere cupit.

non tam audire quæ gesta forent, quàm etiam subiicere oculis Romani possent. Eam tabulam deinde vna cum reliquis illius honoribus senatus sustulit. Fuêre item alia prælia quibus omnibus ipse manu pugnam capessens, ac fortissimè dimicans explendescebat. Multísque captiuis atque ingenti abacta præda, instante hyeme in Pannoniam reuersus est, intráque vrbem Sirmium, quæ maxima omnium eius regionis habetur, in hybernis agens, ad vernam sese expeditionem comparabat, identidem minitans, id quod etiam præstiturus videbatur excisurum subacturúmque oceano tenus omnes Germaniæ barbaras nationes.

Nihil nisi cædes spirat.

3 TALIS vtique fuit in bellicis negotiis, maximam rebus gestis claritudinem adepturus, nisi grauior multo suis ac truculentior quàm ipsis fuisset hostibus. Quò enim barbaros interemptos, si longè plures in ipsa vrbe Roma subiectisque nationibus cædes edebantur? Quid prædam aut captiuos abactos proderat, si suis fortunis Romanæ ditionis nor tales quotidie despoliabantur? Quippe omnis non modò libertas, sed instigatio quoque delatoribus permissa, vt circumuenire quos vellent, renouaréque etiam (si ita vsus posceret) vsque a progenitoribus ignota atque indeprehensa ad eam diem crimina liceret. Neque sanè delicti alicuius quispiam arcessebatur, quin idem cótinuò reus perageretur, ac censu fortunisque omnibus expelleretur. Itaq quotidie cerneres, qui pridem opulétissimi fuissent, eos nunc emendicare stipem: tanta videlicet tyrannidis auaritia incesserat, assiduas erga militem largitiones obtendentis. Erant præterea illius aures omnibus calumniis patulæ, sic vt nullius vel ætatis vel dignitatis rationem haberet. Igitur complures exercitibus aut prouinciis præpositos, consulares triumphaléśque viros, leuissima tenuissimáque calumnia attract

Suis truculentior est quàm ipsis hostibus. Eos enim fortunis, honoribus & vita spoliat.

Libertatem publicam abolet.

Auaritiæ & prodigalitatis morbo laborat, ac adulatoribus, delatoribus atque Sycophantis præbet aures, vnde bouo-

attactos, corripi de improuiso iubebat, ac sine vllis ministeriis solos vehiculis impositos, die noctúque iter facere ab oriente aut occidente (si ita cecidisset) itémque à meridie in Pannoniam vsque, in qua tũc ipse morabatur. Dein spoliatos omnique ignominia affectos, exilio vel morte puniebat. Quandiu igitur vnus aut alter talia patiebantur, neque ea calamitas extra ipsorum familiam egrediebatur, non sane magnopere populorum gentiúmque interesse videbatur. *Siquidem beatorum diuitiámque res aduersæ, non solum à plebe negliguntur, sed eis nonnulli etiam prauo malignóque ingenio, ob inuidiam scilicet potentiorum atque felicium delectantur.* Postquam autem Maximinus plurimas illustrium virorum familias ad egestatem redegit, leuiora iam illa ac minora ducens, quam vt ipsius cupiditati satisfacerent, animum ad publicas opes transtulit. Igitur quæcunque pecuniæ ciuiles, aut ad publicam annonam repositæ, aut in plebem diuidendæ supererant, tum quæ theatris ac celebritatibus seruiebant, vniuersas sibi adiudicauit. Adhæc templorum omnium donaria, statuæque deorum heroúmque honores, tum quicquid publici operis aut ciuilis ornamenti, aut materiæ denique fuit nummis idoneæ conficiundis, omnia pariter ignibus conflabantur. Quæ res imprimis animos multitudinis exulcerauit, quasique luctum publicum effecit, quum citra pugnam atq; arma quasi oppugnationi esse vrbs obnoxia videretur, sic vt quidam è populo contrà resistere, templáque ausi tueri, etiam cadere ante aras deorum immortalium, quàm spectare patriæ spolia, præoptauerint. Hinc itaque potissimùm per vrbes atque nationes popularium animi intumuerãt, ac nec milites quoque satis ęquo animo ferebant, exprobrantibus inuidiosè consanguineis atque domesticis, & ipsorũ culpa talia patrare Maximinũ dictitantibus.

rum, fortium, & sapientum virorum exilia & mortes.

Publicum ærarium haurit.

Est sacrilegus.

Luctum publicum non curat.

Immo ante aras viros bonos obtrũcat.

Ideo ad odium & defectionem populos proritat.

4 Hvivscemodi igitur causæ minimè profectò leues ad odium ac defectionem populos proritabant. Cæterùm votis tantummodo agebant, læsa implorantes numina, nullo scilicet audente profiteri se vindicem, donec exacto imperij triennio, exigua leuique occasione (vt sunt lubricæ tyrannorum res) primo arma sumpserũt rebellarúntque Afri tali causa. Procurator erat quidam Carthagini, cui nihil ad extremam vel asperitatem vel sæuitiam deerat. Is damnandis iudicio hominibus, exigendisque pecuniis, fauorem principis aucupabatur. siquidem Maximinus, quos sibi factos cognoscebat, eos potissimùm diligere consueuerat. Quicunque igitur fisci rem curabant, si modò viri probi forent, (quod perrarò eueniebat) aut procuratione exciderant, aut præsenti periculo conterriti, gnarique illius auaritiæ, quanuis inuiti, cæteros imitabantur. Quapropter Africæ procurator, cum pleraque alia violenter factitabat, tum ab adolescentibus quibusdam nobilibus atque opulentis damnatione circunuentis, statim exigere pecunias intenderat, patrimonióque illos & auitis bonis exuere. Quibus rebus exacerbati adolescentes, pecuniam quidem se daturos pollicentur, petito trium dierum spatio: conspirantésque interim in vnum, quicunque graue aliquid vel passi fuerant, vel passuros metuebant, iubent nocte ex agris iuuentutem cum fustibus ac securibus adesse. Illi dominorum imperia exequentes, venere ante lucem vniuersi in vrbem, celantes sub vestibus arma quæ cuique tumultuaria se obtulerant. Magna verò vis mortalium confluxere, siquidem fœcundissima hominum Africa, plurimos tunc etiam agrorum cultores habebat. Vt autem dies iam illuxit, iubent adolescentes pone sequi seruorum suorum gregem, tanquam si è reliqua essent populi multitudine, neque tamen arma proferre, prius

Ministros ad ingenium suum factos diligit.

Vnde seditiones & cædes. Porrò historia rerũ tunc temporis in Africa gestarum, sequentibus seculis compluries est renouata.

prius, aut vim facere, quàm vbi aliquos aut è militibus aut è populo viderint irruere contra se, atque ire vltum facinus quod gesturi mox essent. Ipsi reconditis intra sinum pugionibus, adeunt procuratorem, tanquam cum eo de persoluendis pecuniis acturi, continuóque nihil tale suspicantem neci dedunt. Ibi exertantibus gladios illius militibus, atque ire vltum volentibus, repentè agrestes cum fustibus ac securibus occurrunt, fortitérque pro dominis pugnantes, facilè omnes in fugam verterunt. Ad hunc modum negotio succedente, iuuenes desperatis semel rebus, vnam sibi reliquam salutem fore arbitrati, si patratum nuper facinus maiore aliquo facinore cumularent, statuunt in communionem periculi rectorem prouinciæ assumere, ac populos ad defectionem solicitare, quod optari iam pridem ab vniuersis cognouerant Maximini odio, sed metu prohiberi. Igitur cum omni multitudine nocte intempesta domum proconsulis petunt. Is Gordianus fuit, procõsulatum sortitus eum, quum annum ageret circiter octogesimum: multarúmque antè prouinciarum fuerat rector, atque in maximis spectatus negotiis. Quocirca facile susceptum iri ab illo imperium existimabant, quasi fastigium aliquod superiorum dignitatum: senatuíque & populo Romano gratum futurum principem, qui præterquam quòd erat illustri ortus generë, etiam per honores plurimos, quasi per gradus quosdam ad imperij culmen ascendisset. Euenit autem, vt quo die hæc agebantur, domi Gordianus resideret, dilatis laboribus omnique actu rerum suspenso. Igitur adolescentes cum gladiis magna stipante multitudine, proturbatis ianitoribus, impetum in ædes faciunt, eúmque supra grabbatum requiescentem offendunt, circunfusique, senem purpura induunt atque augustalibus honoribus consalutant. Ille rè su-

Tyrannidis ministri, seditiosis artib. oppressi. Ita solet summus rerum arbiter peccata peccatis punire

Gordianus proconsul Africæ, à coniuratis delectus, quem imperio præficerent.

A seditiosis nihil nisi seditiosè & incompositè fieri potest.

bita exterritus, insidiásque & dolum in se compositum ratus, deiicit humi se ex grabbato, obsecrans parcerent seni à quo nihil iniuriarum accepissent, fidémque principi & beneuolentiam seruarent. Instantibus autem illis, ac nudos manu gladios tenentibus, quum partim metu, partim ignoratione, haudquaquam sciret Gordianus quid sibi ea res vellet, quæque subitæ fortunæ causa foret, vnus e numero adolescentium, qui & nobilitate & facundia cæteros anteiret, reliquis tacere & paulisper quiescere iussis, dextra capulum tenens, in hanc sententiam verba fecit, *E duobus periculis, quorum alterum præsens manifestúmque, alterum futurum forsitan dubiumque euentu, eligendum tibi hodie alterutrum est, vt aut nos téque vnà serues, & spem meliorem quà omnes freti sumus amplectaris, aut iamiam nostris manibus intereas. Quòd si potiora malueris, multa ad spem bona viatica sunt: quippe inuisum omnibus Maximinum, pestémque illam crudelissimæ tyrannidis tolles, vitámq; antehac præclarè tibi actam, illustri gloria cumulabis: maximósque à senatu populóque Rom. honores ac sempiternam laudem nancisceris. Sin verò abnueris, ac nobiscum conspirare pernegaueris, iamiam te hîc obtruncabimus, atque ipsi quoque (si oportuerit) occiso tibi immoriemur. Maius nanque facinus ausi sumus quàm vt salui esse citra desperationem possimus. Iacet enim tyrannidis minister, luitque pœnas crudelitatis, nostris nunc nuper manibus interemptus. Quapropter si consenseris nobiscum, atque in partem periculorum accesseris, cum ipse honorem imperii consequeris, tum quod nos facinus perpetrauimus, laude quàm supplicio dignum reputabitur.*

Nec sana cõsilia isti audiunt.

Sed e duobus periculis maius semper eligunt.

Quamuis enim Maximinus talis esset, qualẽ describunt, alia ratione tamen fuit exauctorandus.

5 DVM hæc loquitur adolescens, impatiens moræ cætera multitudo, quum quidem eôdem iam ciuitas vniuersa, re vulgata, concurrisset, Gordianum vnanimes Augustum appellant. Ille quanuis recusaret ac senectutem obtenderet, tamen suapte natura gloriæ auidior, haud ægre tandem honorem suscep

Violenta cõsilia, quid futurum sit nec præuidẽt, nec prouidentia aliqua lenire conantur.

ſuſcepit, malens futurum dein quàm præſens iam periculum ſubire: ſimul ætate iam exacta minimè recuſandum putabat, quin (ſi ita res poſceret) etiam imperatoriis honoribus immoreretur. Igitur ſtatim tumultuari omnis Africa, ſublatiſque Maximini honoribus ciuitates pleræque imagines Gordiani ac ſtatuas ponere. Sed eum quoque a ſe cognominarunt Africanum: nam qui ad meridiem Libyes habitant, Afri Romana voce nuncupantur. At Gordianus aliquot dies Thyſtri commoratus, qua in vrbe hæc acta fuerant, nomen Imperatoris iam cultúmque gerens, Carthaginem proficiſcitur, vt in ciuitate maxima (vt ipſe norat) celeberrimáque omnia quaſi Romæ agitarentur. Siquidem vrbs illa, vel opibus, vel populi frequentia, vel magnitudine tantùm Romæ concedens, cum Alexandri vrbe Aegyptiaca de ſecunda palma contendit. Sequebatur autem ipſum principalis pompa omnis, militéſque quicunque aderant, iuuenéſque vrbani procera ſtatura, ad eorum ſimilitudinem qui Romæ Imperatorem comitantur, virgæ item laureatæ, quo inſigni principes à priuatis dignoſcuntur. Prætereáque ignis de more præferebatur, vt ſpeciem fortunámque exiguum ſanè ad tempus Romanæ ciuitatis Carthago repræſentaret. Cæterùm Gordianus literas complures ad primum quenque Romam miſſitabat, atque ad proceres ſenatus, quorum erant ei permulti amici ac neceſſarij. Scripſit item publicè ad S. P. Q. R. ſignificans Afrorum erga ſe conſenſum, ſimúlque accuſans Maximini crudelitatem, quam eſſe omnibus magnopere inuiſam ſentiebat. Ipſe omnem præ ſe manſuetudinem ferebat. Nam & delatores omnes exilio affecit, & iis qui parum iuſto iudicio damnati fuerant, iterum defendendi ſui poteſtatem indulſit: quin exules quoque in patriam reſtituebat, ac militibus plura ſe quam quiſ-

Gordianus, peſſime ſibi conſulens, ac ſenili ambitione dementatus, inani exultat honore.

Et literis, nō cōſilio & armata manu potentiſſimū aduerſariū Maximinū oppugnat.

quam antea, largiturum, populóque ingens datu-rum cōgiarium pollicebatur. Idem præfectum quoque prætorij Vitalianum, ferum crudelémque hominem, clarissimum deuotissimúmque Maximino, in ipsa vrbe curauit interimendum. Siquidem suspectans, ne ille suis inceptis fortiter resistendo, cæteros quoque metu perterritos à se auerteret, mittit prouinciæ quæstorem adolescentem audacissimum, corpore validum atque ætate florentem, promptúmque ad omne periculum pro se suscipiendum, traditis centurionibus ac militibus nonnullis. cui etiam literas dedit obsignatas duplicibus tabellis, per quas arcana occultáque negotia significare Imperatores consueuerunt. Iubet itaque illos intrare vrbem ante lucem, ac dum adhuc in actibus occupatus esset Vitalianus, accedere ad eum intra cellulam, vbi res secretas atque arcanas ad salutem principis pertinentes scrutari atque inquirere consueuerat, habere se ad eum literas arcanas a Maximino dicentes, ac velle etiam remotis arbitris, de rebus ad securitatem Imperatoris spectantibus cum illo colloqui, ac mandata principis exponere simulantes: dein signis agnoscendis occupatum, dum se aliquid dicturos simularent, pugionibus quos in sinu occultos haberent, de improuiso confoderent. Quæ scilicet omnia ex sententia successerunt. Etenim ante lucem, quo tempore prodire illi mos fuerat, inueniunt hominem penè solum, paucis tantùm circunstantibus: quippe alij nōdum venerant, alij salutato abierant priusquam dilucesceret. Igitur vacante illo, ac paucis duntaxat ante cellulam inuentis, vbi quæ supra diximus, nuntiauerunt, facile scilicet intromissi sunt: porrectísque epistolis, contemplantem eum signa diligentius, prolatis pugionibus confodiunt, nudósque eos manibus præ se tenentes prosiliunt, omnibus loco cedentibus. Nam

Pessimis etiam artib. Vitalianum aufert è medio.

Vitalianus tyrannidis minister, dementiæ suæ mercedē recipit. Gordianus nefariæ cædis autor paulò post seipsum strangulat.

Proditores & scelesti homicidæ non repress.: unde tumultus & horrenda strages.

Nam id Maximini factum imperio putabant: quando idem sæpenumero etiam in eos facere consueuerat qui antea ipsi charissimi videbantur. Dein vadentes media sacra via, proponunt epistolam Gordiani ad populum, literasque item ab illo consulibus ipsis cæterisque reddunt, vulgata etiam fama interfecti Maximini. Quod vbi auditum est, statim vniuersus populus discurrere vndique, furenti similis. Nam etsi vbique vulgus semper ad res nouas leuissimum, tamen Romana plebs imprimis, quæ ex magna variaque etiam peregrinorum multitudine constat, longe cæteris mobilior est. Igitur statuæ atque imagines Maximini, cæterique honores statim conuulsi, clausúmque antea formidine odium, licentia iam & potestate adepta, nullo prohibente effundebant. Quare senatus quoque frequens, etsi de Maximino certi nihil habebat, ex præsenti fortuna rem coniectans, abolitis illius honoribus, Gordianum filiúmque ipsius Augustos declarauerunt: statimque delatores atque accusatores vniuersi, aut effugerunt, aut ab iis quos offenderant, occidebantur. Procuratores autem, & qui ius in illius crudelitatis ministerium dicebant, tracti a plebe sunt, abiectique in cloacas. Multi item insontes occisi. Nam & creditorem suum quisque, & aduersarium in forensibus causis, & vt quenque aliquis leuissima de causa oderat, impetu in domum facto, bonisque direptis trucidabant. Ita sub specie libertatis pacisque pretextu, ciuilis belli facinora edebantur. quin præfectum quoque vrbi Sabinum, prohibere talia conantem, fuste capiti illiso mactauerunt. hæc igitur populus agitabat. Enimuero senatus quando iam semel periculum subierat, metu Maximini nihil sibi ad solicitandas ad defectionem prouincias reliqui faciebat. Quocirca legationes vndique ad rectores prouinciarum mittebãtur, electis è senatorio eque-

Vulgi ad lenienas nati & educati ingenium.

Senatus, ex præsenti fortuna rem coniectantis imprudētia, seditionis & cædium mater.

Seditionis popularis descriptio, seculi nostri imaginem plerisque locis exhibens

ſtrique ordine clariſſimis hominibus, cum literis quibus ſenatus populique Romani mens exponebatur, qui procuratores ipſos hortarentur, vti communem patriam capeſſerent, curiámque Romanam tuerentur, perſuaderéntque nationibus vt in fide populi Romani perſeuerarent, cuius proprium antiquitus imperium foret, veterrimúmque cum illis amicitiæ ius a maioribus inſtitutum. Quocirca plerique legatis benignè exceptis, populos ad defectionem perpulerunt. quod ſcilicet pronum fuit: adeo incredibili apud omnes odio Maximinus laborabat. Igitur omnibus quicunque apud ipſos magiſtratum gerentes cum Maximino ſentiebant, repentè ad vnum occiſis, ipſi vniuerſi ad Romanos defecerunt. Pauci tamen inuenti qui legatos ad ſe miſſos interficerent, aut ad ipſum mitterent, adhibitis cuſtodibus, qui deinde omnes exquiſitiſſimis à Maximino ſuppliciis affecti ſunt. Hæc mens Romanæ ciuitatis, hic animus fuit.

Primaria vrbs facilè alias ciuitates & prouincias ad defectionem pertrahit.

Tyrannus Maximinus tot cladium cauſa.

6 QVAE poſtquam Maximino nuntiata ſunt, quanquam triſtis ac ſolicitus, tamen illa ſe contemnere ſimulabat. ac primò quidem alteróque die domi quietus, ad amicos de eo negotio retulit. Cæterùm exercitus omnis cunctique eius regionis mortales, etſi rem omnem intellexerant, intumuerántque animis audacia rerum tantarum ac nouitate: tamen pro ſe quiſque tacebant, ac ſe ignorare omnia ſimulabant: quippe tantus erat Maximini metus vt nihil illum planè lateret, omniúmque non ſolùm verba, ſed nutus quoque ſpeciémque oris obſeruaret. Tertio verò die conuocatis in campum ante vrbem militibus ſuis, Maximinus tribunal inſcendit, atque ex libello orationem ab amicis compoſitam, in hanc ſententiam recitauit: *Scio me vobis incredibilia nouáque dicturum, ſed (vt ego exiſtimo) non tam admiratione quàm riſu digna. Arma vobis veſtræque virtuti*

Odium irreconciliabile callidè premit tyrannus, & quos timet, ſe contemnere ſimulat.

Suis metuendus, non dilectus.

Quos neceſſitate poſtulante alloquitur, &

virtuti non Germani inferunt sæpe deuicti, non Sarmatæ, qui de pace nobis quotidie supplicant: Persæ item, qui olim Mesopotamiam peruagabantur, nunc suas intra sedes quiescere boni consulunt, cùm gloria in armis vestra, tum rerum à me gestarum periculo edocti, quæ iam tum illis innotuerunt quum tuenti ripas exercitui præfuimus. Verùm (ne quid magis ridiculum dixerim) Carthaginienses insaniunt, atque sene infelicißimo & extremo iam ætatis delirante, dubium suasu an coactu, quasi aliqua in pompa ludunt principatum. Quo enim freti exercitu, quum apud eos proconsulis ministerio lictores satisfaciant? Quibus porrò vsuri armis, vbi præter lanceas exiguas ad feras excipiendas, nihil sit telorum, proque bellicis exercitationibus chori tantùm dictáque procacia, & numeri quidam vsurpentur? Neque verò vos perterrefecerint quæ facta in vrbe nuntiantur: nempe Vitalianus per dolum fraudémque occisus est. Quàm autem leue instabiléque sit Romani populi ingenium, quàm prompta clamorum tenus audacia, notißimum scilicet vobis est. Si duos modò tréfve armatos conspexerint, trudentes alter alterum, & proculcantes, ac suum quisque periculum fugitantes, publicum neglectui habent. Quòd siquis vobis etiam quæ acta in senatu sunt, renuntiauit, non est profectò quòd miremini nostram illis continentiam duriorem videri, atque ob id morum congruentiam vitámque illius luxuriosam nobis anteferri: quippe apud illos fortißima quæque ac grauißima pro asperrimis, dissoluta atque ebacchantia pro mitibus voluptariisque habentur. Quocirca nostrum quidem imperium, quoniam industrium atque moderatum, reformidant, Gordiani delectantur nomine, cuius infamia vitæ non vos præterit. Igitur aduersus hos atque huiuscemodi homines bellum vobis est, milites, si tamen id bellum appellandum. Nam vt mihi quidem atque adeo cæteris omnibus videtur, non prius Italiam attigerimus, quàm illorum maxima pars ramos supplices liberósque suos præferentes, nostris se pedibus aduoluent, aut formidine degeneri fugam facient, vt mihi liberum sit bona illorum vobis contribuere, quibus in

verbis atq. spoliorũ præmiis aduersus hostes suæ tyrannidis accendere conatur.

Artificiosa Maximini oratio, firmis argumẽtis subnixa: Illud superfuit, vt Maximinus de repub. ordinanda, non de sanguine ciuili fundendo cogitaret. At fuit Thracius opilio, superbus gigas, perfidus & ingratus parricida, atque crudeliß. tyrannus.

Ignem & ferrum in vultu, lingua et digitis gerit tyrannus.

perpetuum perfruamini. Hæc quum dixisset, ac multa in ciuitatem senatúmque vniuersum interpellatim probra iecisset, manuúmque gestibus minabundus, trucíque vultu nutúque oris quasi præsentibus irascens, profectionem in Italiam edicit. Diuisóque inter milites ingenti stipendio, vno tantùm die interiecto facere iter incepit, magnum secum exercitum atque vniuersas adducens Romanas copias. Sequebatur eundem etiam Germanorum haudquaquam negligendus numerus, quos vel armis subegerat, vel in amicitiam societatémque adsciuerat. Præterea machinæ & bellica instrumenta, quæque alia aduersus barbaros comparauerat. Cæterùm tardiùs iter faciebat, ob vehicula résque alias vsui necessarias quæ vndique importabantur. Nam quum repentinum id illi iter obuenisset, non cuiusquam prouidentia (vt consueuerat) sed tumultuario ac festinato ministerio, quæ erant militibus necessaria colligebantur. Igitur præmittere Pannoniorum cohortes decreuit, quibus fretus maximè erat, quæque primæ Imperatorem consalutauerant, atque vltrò etiam pro illius salute omne periculum deposcebant. Iis igitur imperauit vt cæteras copias præcederent, ac regiones occuparent Italiæ.

Vindictæ cupidus publicã quietem turbare, & omnia inuertere, ac principatus sui regiones præstatiores vastare cogitat

Antequam summus iudex Maximinum tyrannum puniat, Africanos tumultuantes & Gordianos non sana mente præditos iusto supplicio delet. Obser-

7 DVM in itinere Maximinus est, res interea Carthagini præter spem magnopere successerunt. Erat enim Capellianus quidam senatorij ordinis vir, procurator Mauritaniæ Romanis subiectæ, quę ab ipsis Numidia appellatur. Ea gens munita exercitibus fuerat, à quibus barbarorum circumvicinorum incursus ac populationes cohercerétur. Quare haud contemnendam militum manum circa se habebat. Cum hoc igitur Capelliano veteres Gordiano simultates, ex forensi quadam disceptatione intercesserant: quocirca nomen adeptus Imperatoris, successorem illi misit, atque abscedere prouincia

imp

imperauit. Ille ea re indignatus, ac principi suo deuotus, à quo magistratum quoque eum accepisset, omni coacto exercitu, quum quidem fidem tueri ac iusiurandum persuasisset, Carthaginem contendit, maximas valentissimásque copias secum adducens, virósque cum ætate florentes, tum omni armorum genere instructos peritósque rei militaris, atque ex consuetudine præliorum aduersus barbaros magnopere ad pugnandum paratos. Vt verò nunciatum Gordiano est aduentare ad vrbem Capellianum, & ipse affectus est extrema formidine, & perterriti Carthaginienses vniuersi, qui scilicet in turba potius quàm in exercitus aliquo ordine, collocata victoriæ spe, cuncti pariter vrbe effunduntur obuiam Capelliano. Cæterùm senex Gordianus (vt quidam perhibent) simul atque ille Carthaginem attigit, desperatis rebus, quòd Maximino vires ingentes, nullas in Africa copias esse videbat, quæ illis pares ad pugnam emitti possent, laqueo se suspendit. Sed occultata illius nece, filium sibi ducem multitudo elegit. Ita ventum ad manus est. Erant autem numero quidem plures Carthaginienses, sed inordinati ac rerum bellicarum imperiti, quippe in altissima pace educati, festisque & deliciis emolliti, nudique armis omnique bellico instrumento. Nam domo quisque pugionem, aut securem, aut venabulum, aut item præustas sudes, vt quisque poterat acuminatas, ad tuendum corpus extulerant. Contrà Numidæ, iaculatores optimi, atque equitandi peritissimi, sic vt equos etiam infrenos virga tantùm currentes moderentur. Quocirca facilè Carthaginiensium plebs in fugam versa: siquidem haud ferentes illorum impetum, omnes abiectis armis confertim effugerunt, trudentésque inter se & proculcantes, multo sanè plures ipsi inuicem affligebantur quàm cædebantur ab hostibus. Hîc & Gordiani

ua; lectit, arcanorum iudiciorum patefacturi ordinem.

Gordiani ignauia & ambitionis suæ dat sibi pœnas. Capellianus strenui bellatoris imago.

Inordinati & rei bellicæ imperiti dedecus & exitium sibi hostibus suis faciliorem victoriam creant.

Gordianus filius, patrē sequitur.

filius cecidit, & quicunque eum sequuti, sic vt præ multitudine interfectorum, neque discerni ad sepulturam funera potuerint, neque adolescentis Gordiani cadauer inueniretur. Etenim ex tanta copia fugientium pauci duntaxat vrbem ingressi, coniectique in latebras euaserant: cæteri ad portas conferti, ac pro se quisque intrare primi vrbem festinabundi, ab iaculatoribus Numidis, cæterísque armatis militibus contrucidabantur, maximo fœminarum puerorúmque eiulatu, quorum ante oculos charissima pignora occidebantur. Sunt qui perhibeant, vt primum Gordiano, qui propter senium domi se continuerat, nuntiatum sit Capellianum iam in vrbem peruenisse, deplorata salute, intra cubiculum se solum, quasi dormiturum recepisse, colóque zonæ inserto, qua præcinctus fuerat, sibi mortem consciuisse. Hæc finis Gordiani fuit, felicis anteacta vita, atque in quadam principatus imagine extincti. Sed enim Capellianus Carthaginem ingressus, præcipuum quenque ex iis qui e pugna superauerant, neci dedidit: ac neque a templis despoliandis, neque a publicis priuatísque pecuniis diripiendis abstinuit. aditísque vrbibus reliquis, quæcunque honores Maximini sustulissent, in his præstantissimum quenque morte, cæteros supplicio afficiebat: agros autem vicósque diripiendos ac concremandos militibus tradebat, prætextu quidem vlciscendi Maximinum: cæterùm clanculum militum sibi animos concilians, vt sicubi res à Maximino titubassent, ipse ad occupandum principatum beneuolis militibus vteretur. Ita se videlicet res in Africa habebant.

Incomposito agmine ad pugnam egredientium luctuosa fuga & clades

Victoris superba crudelitas. Tyrannorum enim ministri dominos facilè imitantur, & aliquid etiam monstri alunt.

8 Postea verò quàm Romæ audita senis Gordiani mors est, ingens perturbatio senatum populúmque Romanum, ingénsque terror inuasit, extincto in quem vnum spes omnes suas collocauerant. Neque

Senatus & populi, inter seditionū & tumultuum vndas peri-

Neque enim illos prȩteribat, nemini iam parsurum Maximinum, cum sponte alienum ab ipsis atque hostili animo, tum iustis etiam causis, & professo quasi odio succensentem. Itaq; frequentes in vnum conuenere, ac de toto negotio deliberantes, quando semel in periculum venerant, bellum comparare decreuerunt, duobus electis Imperatorib. qui remp. pari potestate administrarent, ne rursus principatus autoritas in tyrannidem proueheretur. Conuenerunt igitur non quidem in curiam quò antea consueuerant, sed in templum Capitolini Iouis, quod in arce summa præcipuæ venerationis Romani habent: ibi clausis foribus soli quasi teste & consessore atque adeo rerum omnium inspectore deo, selectis qui ætate ac dignitate cæteros anteirent, de quibus suffragia ferrentur, duo ex omni numero, Maximus atque Balbinus plurimis suffragantibus Imperatores creati. Horum Maximus cum sæpe exercitibus præfuerat, tum præfectura vrbis egregie gesta maximam ingenij prouidentiæque, prȩterea vitæ continentis opinionem vulgò de se præbuerat: Balbinus autem patritij generis homo, consulatu iterum gesto, multisque prouinciis sine vlla querela administratis, morum simplicior habebatur. Ita creati Principes Augustique appellati, ac senatusconsulto omnibus imperatoriis honoribus affecti sunt. Dum hæc aguntur in Capitolio; interea P. R. incertum subiicientibus Gordiani amicis ac necessariis, an tantùm rumoribus exciti, facto ad portas concursu, viam qua itur in Capitolium, totam conferta multitudine occupauerant, lapidésque & fustes ingerentes, rebus in Capitolio actis aduersabantur, ac Maximum imprimis recusantes, seueriorem scilicet quàm vt eum lenis multitudo facilè pateretur. magna enim industria vigilantiáque vsus fuerat aduersus improbitatem ac lenitatem quorundam e plebe.

clitantis miseria: & crudelissima iustius monarchia Romana iustissima merces. Cæterum senitus nouis plagis veteres sanare putat. Sic mentes ægræ semper aberrant.

Nouorum Imperatorũ descriptio.

Populus industrium & vigilantem principē non facilè patitur.

Quapropter metuentes eo maximè offendebantur, clamantes identidem ac minitantes vtrunq; se confestim occisuros. Nam ipsi ex Gordiani genere principem sibi deposcebant, vt in familia nominéque eo nomen Imperatorium remaneret. Balbinus autem ac Maximus equestris ordinis iuuentute, atque vrbanis militibus cum gladiis vndique stipati, egredi Capitolio conabantur, sed lapidibus ac fustibus coherciti, donec subiiciente nescio quo, ad hunc modum populo imposuerunt: Erat puer quidam infans adhuc ex Gordiani filia natus, nomen aui referens. Hunc igitur submissis quibusdam afferri ad se iusserunt: qui quum domi eum ludibūdum offendissent, impositum in humeros per mediam ferebant multitudinem, plebi ostentantes, ac nepotulū Gordiani dictitantes vocantésque eum nominatim, quoad in Capitolium pertulerunt, populo subinde acclamante & conspergente puerum frondibus. Quum itaq; Senatus Cæsarem illum declarasset, quando adhuc per ætatem rempub. gerere non poterat, & iræ multitudinis resederant, passi videlicet sunt in aulam palatinam senes Imperatores commigrare.

Sed sibi gratū deposcit.

Et spe blanda pascitur. Gordianus puerulus, rerum istarū minimè capax, Cæsar renunciatur

9 SED incidit per eos dies ciuitati Rom. funesta calamitas, orta de nimia duorum senatorum audacia. Nam quum senatus haberetur de publicis negotiis, duo ex militibus Maximini quos in castris reliquerat, emeritæ iam ætatis, ad fores curiæ accesserunt exploratum quæ gererentur, inermes videlicet, tantúmque subarmalibus & sagis induti. Constiterant autem pariter cum reliqua multitudine, sed cæteris ante fores prestolantibus, duo trésve ad summam curiosiores audiendi, curiam ingressi, sic vt vltra aram quoque Victoriæ penetrarent. hîc senator quidam deposito nuper consulatu, Gallicanus nomine, ac genere Carthaginiensis, altérque item prætorius Mæcenas, nihil tale expectantes milites,

Sub tyrannica dominatione, qualis fuit Maximini, tāquā in profundis tenebris, omnia confusè geruntur: & audaciores consiliis turbulentis & iniusta vi rēp. euertunt: vt historia ac se-

lites,manúsque adhuc sub sagulis habentes,repentè adactis in corda pugionibus (quos in sinu conditos secum attulerant) interficiunt. Etenim omnis senatus ob recentē seditionem tumultúmq; superiorem, alij propalam,pars clanculum gladios gerebāt,quibus suam quisque salutem ab inimicorum insidiis tuerentur. Ita cæsi milites,quòd se de improuiso defendere haud quiuerant, prostrati ante altaria iacebant. Quo viso, cæteri confestim expauefacti commilitonum interitu,simul populi concursum formidantes, quòd erant inermes, fugam arripuere. Cæterùm Gallicanus raptim se curia in mediam multitudinem proripiens, gladiúmque & manum stillantem sanguine ostentans, ad persequendos occidendósque senatus populique Romani hostes,amicos sociósq; Maximini, vulgus adhortabatur. Quibus rebus inducta plebs,Gallicanum faustis excipit acclamationibus,militésque lapidibus incessit,quatenus licuit persequuta. Cæterùm quum se illi in castra recepissent, paucis tantummodo vulneratis, clausis portis,armísque arreptis, castrorum mœnia defensabant. Verum Gallicanus(quando semel tantum facinus ausus fuerat) bellum protinus ciuile atque omnibus perniciosum suscitauit. quippe iussis effringi publicis armamentariis,in quibus pompæ magis instrumenta quàm belli asseruabantur, vnde sibi quisque munimentum corporis accommodaret, apertísque item gladiatorum ludis, atque vnoquoque propriis armis ornato, præterea cunctis, quæcunque intra domos aut officinas essent, hastis, gladiis ac securibus direptis, quum quicquid occurrerat, furor in arma conuerteret, statim omnes conferti conglobatique ad castra contenderunt, ac velut vrbem aliquam expugnaturi, murum ipsum portásque circunsederunt. Cæterùm milites, vtpote pugnandi peritissimi, pinnis

ctione descripta luculenter ostendit.

Seditione & iniustis cædibus tyranni iugum excutere velle, idem est ac si quis ignē oleo aut igne extinguere studeat.

Qui furore armātur & incompositè feruntur in milites pugnandi pe-

vites, horrendam stragē maximo suo malo efficiunt. Populus superbus sanguine pastus, superstitione, crudelitate, luxuria, omni impietate & iustitia diffluens, meritas scelerum suorum nominatim verò insanæ seditionis & temeritatis, pœnas luit.

sese murorum clipeisque protegentes, sagittarum iactu crebro ac prælongis contis multitudinem repellebant. Postremò quum iam defatigato populo sauciisque magna ex parte gladiatoribus, atque in vesperam vergente die, regredi in vrbem decreuissent, conspicati milites securitaté abeuntium (quippe minime ausuros putabant Romani, adeo paucos aduersus tantam multitudinem castris eruptionem facere) confestim vniuersi sese portis patentibus in vulgus illud hominum concitauere. Ibi gladiatores ad vnum cæsi, magnáque pars populi collisa. Quo facto, quum haud procul castris recessissent, rursum sese intra munimenta receperunt. Hinc igitur maior senatui populóque Romano indignatio oborta, quare duces ex Italia omni probatissimum quenq; delegerunt, iuuentutémque omnem collectam in vnum, subitariis armis ac tumultuariis adornarunt. Horum potissimam partem secum Maximus eduxit, vt aduersus Maximinum præliaretur: reliqui ad vrbis custodiam tutelámque relicti. Interea quotidie ad muros castrorum dimicabatur, sed profectu nullo, defensantibus superne militibus, ictamque & sauciam multitudinem fœde repellentibus. At Balbinus domi se continens, populo per edictum supplicabat vt in gratiam cum militibus rediret, quibus etiam omnium quæ patrauerant, obliuionem atque impunitatem pollicebatur. Sed neutris id persuasum, gliscente in dies malo, ac populo indignante quòd tanta multitudo tam paucis contemptui foret: contra militibus ægerrimè ferentibus, ea se à Romanis passos quæ vix vnquam à barbaris expectassent. Postremò quando oppugnatio parum procedebat, visum ducibus interuertere omnes riuos qui in castra peruenirent, vt milites aquarum penuria sitique conficerent. Igitur abscindendo obstruendóque, cunctos è castris aquarum riuos auer-

tebant

tebant. Sed enim intellecto periculo milites ac rebus desperatis, erumpunt vniuersi patentibus portis, cõgressique multitudinem fugientem in vrbem vsque persequuntur. Sed vbi iam statario illo certamine plebs inferior intra domos se receperat, ac tegularum lapidúmque & testarum iactibus desuper vrgere ceperat milites, haud ausi illi ignota ædificia subire, clausis etiam domibus & tabernis, ignem ianuis ac ligneis ædificiorum proiecturis, quales in vrbe plurimæ sunt, ilico admouerunt. Quo factum est vt partim crebritate insularum, partim lignea materia, bona pars vrbis conflagrauerit: multique ex opulentis pauperes facti, maximis atque egregiis amissis possessionibus, vel prouentu vberrimis, vel splendore ipso & varietate pretiosis. Neque verò pauci extincti mortales, quòd ianuis igne occupatis, proripere se domo copia non fuerat. Bonáque diuitum direpta penitus, immiscente se militibus studio rapiendi facinorosissimo quoque & tenui plebecula. Sed adeo peruagatum longe latéque incendium est vt plus multo consumpserit quam quantum spatij maxima quæque vrbs ædificiis occupet.

Fortes viros desperatio ad multa audendum impellit. Turba autem stolida & imbelli nihil timidius, quũ pericula imminent.

Roma incendiis vastata.

10 Dvm hæc Romæ geruntur, interea Maximinus confecto itinere Italiam attigerat, ac sacrificato ad aras quæ in finibus ipsis erectæ sunt, pergit iter facere, iussis arma tenere, atque instructa acie progredi militibus. Posteaquam ad Italiæ fines peruenit, præmissis exploratoribus qui specularentur an vllæ in Alpium conuallibus & densissimis syluis insidiæ delitescerent, ipse in planum deductis militibus, iubet armatorum acies quadrato agmine incedere, in longum porrectas potius quam confertas: vt ab iis quamplurimum campi occuparetur, cunctisque in medium coactis impedimentis, iumentisque ac vehiculis, ipse cum suis stipatoribus veluti subsidio sequebatur, alis vtrinque discurrenti-

Tyrannus nihil prius habet quàm vt cruenta aduersus ciues & subditos cõsilia sua exequatur.

Non destituitur viribus & sæuitiæ ministris Non pauci enim semper reperti sunt tyrannorum satellites.

bus cataphractorum equitum, Maurisque iaculatoribus, sagittariisq; ex oriente & equitatu Germanorum, quos auxiliares asciuerat, quósque etiam præcipuè opponere hostibus consueuerat, vt primos videlicet impetus exciperent, feroces audacésq; initio pugnæ viri, simul vt (si in discrimen veniretur) vilis potissimùm barbaria illa periclitaretur. Sed vbi totam planitiem seruatis ritè ordinibus trãsmiserunt, ad Italiæ vrbem peruentum est, quæ Ema à cultoribus vocatur: Ea sita est in extrema planitie ad Alpium radices, vbi speculatores atque exploratores exercitus occurrentes narrant Maximino vacuam relictã vrbem, aufugisse omnes incolas, templorum etiam ac domorum ianuis incendio cõsumptis, atq; omnibus quę vel in vrbe vel in agris fuerant exportatis atq; igni corruptis, nihil aut iumentis aut hominibus alimentorum relictum. Quæ res grata imprimis Maximino fuit, quòd idem cæteros quoque populos suo quenque metu facturos arbitrabatur: contrà milites indignè tulerunt, quòd ab initio statim fame laborarent. Quúmque noctem exegissent, partim intra patentes communésque omnibus domos, partim in planitie ipsa, statim sole oriente, ad Alpes accesserunt. Hi sunt longissimi ac procerissimi quidam montes, vice murorum Italiæ circundati, adeo in altum editi vt etiam superare nubes videantur, itáque in longum porrecti vt vniuersam Italiam comprehendant, læua ad Tyrrhenum pelagus, dextra ad Ionium vsque pertingentes, densis vbique nemoribus infessi, atque angustissimis callibus & rupium prærupta altitudine, scopulorúmque asperitate vix peruij, nonnullis tamen quasi semitis magno veterum Italorum labore manufactis. Quapropter ingens transiturum illac exercitum formido tenebat, sperantem summa iuga teneri iam ab hoste, nullósque non obstructos exitus ad

Crudelis principis & exercitus ad uentus imbelles populos territat & in fugam coniicit.

Alpium descriptio.

Metuendi sunt hostes, in regionum faucibus & munitis natura locis.

se prohibendos. Neque is metus de nihilo erat, locorum naturam cõtemplantibus. Postea verò quam sine vllo impedimento, superatis Alpibus in castra descenderant, læti scilicet omnes instauratis animis vitulabantur, nihilque non sibi ex sententia cessurum Maximinus arbitrabatur, ne locorum quidem difficultati fidentibus Italis, intra quas latitare ipsi, & saluti suæ consulere, prętereáque insidiari hostibus, ac locis superne imminentibus pugnam capessere potuissent. Sed vbi planitiem attigerunt, nuntiant exploratores maximam Italiæ vrbem Aquileiam portas occlusisse, Pannoniorum acies quę præiuerant, acriter murum oppugnasse. Cæterum tentata re sæpe omnes incassum conatus euasisse. Itaque iam defatigatos recedere, lapidibus scilicet & hastis magnáque sagittarum vi desuper ingruentibus. At Maximinus iratus Pannoniis, quasi parum impigrè præliatis, ipse cum exercitu reliquo accelerabat, sperans nullo negotio se illius vrbis potiturum. Sed Aquileia priùs quoque (vt erat ingens vrbis eius magnitudo) populo abundabat: & velut Italiæ quoddam emporium ad mare sita, quasique terminus Illyriæ, copiam rerum è continenti per terram fluuiósque conuectam nauigantibus mercatoribus suggerebat: & ab ipso mari res ad vsum eorum qui continentem colunt, necessarias videlicet superioribus terris propter hyemis asperitatem minùs feracibus, maximè tamen vinum, cuius in ipsa regione maximus prouentus est, vicinis gentibus ne vitem quidem habentibus, affatim suppeditabat. Ex quo factum vti super ciuium ingentem numerum, etiam magna vis hospitum ac mercatorum eam vrbem frequẽtaret. Enimuerò tunc etiam aucta multitudo, confluentibus illuc ex agris quicunque oppidulis vicisque circa relictis fidebãt vrbis magnitudini, ac vetustis mœnibus dirutis quidẽ

Vrbs maxima & forti oppidano ac belli instrumentis munita tyranni sistit violẽtos conatus, & speratam frangit victoriam.

Oppidula sub magnarũ vrbium vmbra quiescunt.

antea magna ex parte. Quippe in tanta Romanorum potentia, neque murorum neque armorum Italiæ ciuitates indigebant, pacem altissimam agitantes, atque in participatum reip. asciτæ. Sed tunc vrgente videlicet necessitate, renouatis instauratisque mœnibus ac ruinis, præterea turribus ac propugnaculis excitatis, totáque vrbe ad eum modum communita, clausisque portis, noctem diémque vniuersi pro muro stantes, hostem fortissime propulsabant. Duces erant summa potestate duo consulares viri lecti a senatu, Crispinus ac Menephilus. Hi maxima diligentia procurauerant vti necessaria quæque in vrbem importarentur; sic vt diuturnior quoque sustineri oppugnatio potuerit. Erat item in vrbe magna aquarum abundantia, partim ex puteis sane frequentibus, partim e fluuio muros præterfluente, ac pariter fossæ obiectus, & aquarum præbente copiam.

Alta pax belli artes negligit: at necessitas, debiles & ignauos excitat.

Duces sapiẽtes populum seruant.

Leoninæ vulpinam assuit tyrannus.

II His ita intra vrbem comparatis, vt primùm defendi muros diligenter clausasque portas Maximinus audiuit, decreuit mittere legatorum specie, qui illos alloquerentur, ac (si possent) reserari sibi portas persuaderent. Habebat autem in exercitu tribunum quendam Aquileiæ ciuem, cuius nati atque vxor, præterea familia omnis in vrbe erant cõclusi. Quare eum centurionésque nonnullos quasi oratores mittit, sperãs facile illius autoritatem municipes sequuturos. qui vbi muro appropinquarũt, in hanc sententiam verba faciunt, *Iubere communem Imperatorem pacem depositis armis colere, seque amicum pro hoste accipere, sacrisque faciundis vacare quàm cædibus, miserari patriam paulo pòst (si obstinati perstiterint) ab ipsis vsque fundamentis ruituram: licere ipsis (si velint) vna opera sibi quenque & saluti patriæ consulere: quippe obliuionem veniámque omnium quæ fecerint, optimum principem polliceri, quãdo nihil ipsorum, sed omnia forent aliena culpa*

Instrumẽta ad rem susceptam perficiendam idonea seligere nouit.

Legatorũ tyranno seruiẽtium, oratio domini sui ingeniũ adumbrans.

culpa contracta. Talia quædam ſub muro legati magna voce pronũtiabant,ſic vt facilè exaudiri, ſi non plane ab omnibus, certe ab ea multitudine poſſent quæcunque ſupra muros turréſque conſtiterat. Etenim taciti omnes legatorum dictis aures dediderant. Quare metuens Criſpinus ne pollicitationibus illis, quæ vulgi inconſtantia eſt, ad mutandum pace bellum, reſerandaſque hoſti portas impellerentur, diſcurſans ipſe per muros rogare obteſtarique ſingulos, *vti audacter manerent fortitérque reſiſterent,neque fidem proderent ſenatui debitam* P. Q. R. *néve titulum ſeruatæ ac propugnatæ Italiæ totius aſpernarentur, neu promiſſis crederent periuri fraudulentique tyranni: néve item benigna oratione inescati, ruerent in manifeſtam perniciem,ſed confiderent belli fortunæ,ita plerunque dubiæ atque ancipiti vt magnus interim numerus à pauciſſmis,& qui potentiores creduntur, ab iis qui imbecilliores habeantur, victi ſuperatique ſint: néve vtique expauescerent exercitus illius magnitudinem. Nam qui pro altero dimicant, quum ſuæ victoriæ felicitatem(ſiquidem contingat)ad alios videant migraturam,minùs profectò acriter decertant:quippe qui intelligant ſe quidem in periculi participatum admitti, cæterùm extremos victoriæ fructus ad alium peruenturos. Qui autem pro patria pugnant, præterquam quòd ſpe meliore eſſe debẽ (neque enim aliena occupare, ſed tueri ſua contendunt) etiam animo ſunt maiore, vt quos non alienum imperium, ſed ſua quenque neceſſitas adigat, quoniam ſcilicet victoriæ fructus ipſis potiſſimùm debeantur.* Talia quædam nunc ſingulis, nunc vniuerſis ingerẽs Criſpinus homo ſuapte natura venerabilis,acRomana facundia pollens, præterea gratus omnibus, miti modeſtóque imperio,perſuaſit multitudini vt in officio fidéque permanerent, iuſſitque legatos rebus infectis ad Maximinum reuerti. Dicebatur autem Criſpinus ad bellum ſic audacter ſuſtinẽdum,etiam aruſpicum reſponſo, qui læta exta nuntiarent, ani-

Præfecti tẽpeſtiua prudentia.

Artes tyrannorum patefaciendæ, ne incautus & exiguo iudicio præditus populus, verbis & promiſſis illectus, libertate, honore, fortunis & vita momẽto priuetur.

Perſuaſionis neruí,probitas,eloquentia,beneuolentia, clementia.

matus. etenim magnopere fidem huiuſcemodi ſignis habere Itali conſuerunt. Cæterùm nonnulla quoque oracula ferebantur patrij cuiuſdam numinis, victoriam promittentia. Belem vocant indigenæ, magnáque eum religione colunt, Apollinem interpretantes. cuius etiam ſpeciem pro vrbe ipſa pugnantem, quidam e militibus Maximini viſam ſibi ſæpe in cælo affirmabant. Quod vtrum ſic eſſe nonnulli putauerint, an id commentum placuerit, ad leuandam infamiam tanti exercitus, qui bello impar foret aduerſus minorẽ multo numerũ oppidanorũ, vt ſcilicet victi potiùs à diis quàm ab hominibus viderentur, haud ſane ſatis exploratum habeo. Ceterùm nouitas euentus cunctá credibiliora facit.

Fata iuſtis armis fauẽt.

Tyrannici exercitus infamia.

12 POSTEA verò quàm infecto negotio legati reuerterunt, ira & furore inſtinctus Maximinus, magis magiſque accelerabat. Vt autẽ ad fluuium peruenit, qui ad lapidem duodecimum procul eſt ab vrbe, inuenit ipſum maxima aluei profunditate ac latitudine defluentem. Etenim anni tempore ſolutæ vicinorum montium niues, quas longa hyems durauerat, maximum torrentem effecerãt, ſic vt nullo pacto tranſire exercitus poſſet. Nam pontem, quod opus magnum atque pulcherrimum veteres Imperatores lapide quadrato conſtruxerant, pylis veluti quibuſdam paruis ſenſim creſcentibus, ruperant ac reſoluerant Aquileienſes. Ita quum neque ponte, neque nauigiis (quippe nulla ſuppeditabant) tranſire exercitus poſſet, ſubſtitit incertus conſilij. Sed enim Germani aliquot ignari, quàm rapido abruptóque impetu Italiæ flumina deferantur, ratique ſenſim influere campos, quemadmodum apud ipſos conſueuerunt (vnde etiam quia minimùm ſe concitant, perfacilè congelaſcunt) auſi ſéq; & equos natãdi peritos alueo credere, vi fluminis ablati perierunt. Igitur quũ biduum aut triduum in tentoriis

Vulpina, ceu inutili veſte depoſita, leoninã, id eſt, genuinã & ſibi conueniẽtem armaturam tyrannus induit.

fuiſſ

fuiſſet Maximinus ducta circum exercitum foſſa, nequi de improuiſo in caſtra ruerent, ſtabat in ſua ripa deliberabundus quonam tandem pacto fluuium ponte iungeret. Sed magna lignorum ac nauigiorum penuria, quibus inter ſe iunctis pontem fabricaretur, nuntiarunt quidam e fabris, eſſe permultas in agris illis deſertis inanes cupas, forma rotunda, quibus videlicet incolæ quondam ad vinum importandum vtebãtur. ea quum eſſent ad nauium ſimilitudinem concaua, deuincta mox inter ſeſe ſcapharum more, innatatura videbantur. Etenim ire peſſum vinculis inter ſe conſtricta, ac viminibus deſuper iniectis, & puluere multo, compluribus operam nauantibus, ſaburrata, non poterant. Quod vbi factum eſt, quum ille præeſſet, facile milites in vlteriorem ripam tranſgreſſi, ſuburbanis ædificiis, quæ deſerta inuenerunt, igne correptis, vites arboréſq; exciderunt, omnémque eius regionis ornatum fœdauerunt. Siquidem arborum comparibus ordinibus, ac vitibus inter ſe iunctis & in ſublime euectis, ad feſtæ celebritatis ſpeciem, quaſi coronis quibuſdam redimita omnis regio videbatur: quibus radicitus exciſis, exercitus ad ipſos vrbis muros contendebat. Sed omnibus defatigatis, non fuit Imperatoris conſilium vrbem ipſam ſtatim inuadere: ſed extra teli iactum conſtituto milite, diuiſóque in centurias & cuneos, ac partibus muri totius vnicuique attributis, vno tantùm die ad requieſcendum indulto, ſtatim deinde oppugnare vrbem aggreditur. Igitur machinamentis omnifariam admotis, quum genus oppugnationis nullum prætermitteretur, plurima ſc. ac propemodum quotidiana certamina edebãtur. Etenim circũdatis velut indagine quadam muris, magnáq; vi atq; alacritate pugnam capeſſente milite, reſiſtebant audacter Aquileienſes, clauſíſque templis & domibus, vniuerſi cum liberis

Et obſtacula omnia ſuperans, in inſtituto pergit.

Ad tempus proſpero euentu gaudet.

Et victoriã ad manum iam eſſe putat.

Ferocientis autem populus pro aris & focis fortiter pugnãs violentiam retundit.

& coniugibus vrbem desuper è turribus ac propugnaculis defensabant. Neque erat vlla tam inutilis ætas, quæ pugnare pro patria recusaret. Cæterum suburbana omnia, & quicquid extra vrbem ædificiorum fuerat, demolitus Maximinus, lignis materiáque omni ad machinas abutebatur, quibus muri saltem aliquam partem demoliretur, qua immissus exercitus diriperet vrbem ac dirueret, totámque eam vastam mox desertámque relinqueret. Neque enim decorum sibi aut honorificum fore iter Romam arbitrabatur, nisi vrbem deleuisset, quæ prima in Italia obstitisset. Quocirca multa pollicentes atque ostentantes, ipse cum filio quem Cæsarem fecerat, obequitabant militibus, eósque ad pugnandum acriter adhortabantur. Enimuero Aquileienses saxa desuper iaciebant, sulphúrque bitumine ac pice mixtum doliis, quorum manubria longiora immittebant, atque vt primum exercitus muris successerat, ignibus iniectis dispergebant vnanimiter imbrium ritu. Quamobrem pix illa cum cæteris quæ supra diximus, partes nudas corporis subiens, vndique diffundebatur: sic vt miles loricas armáque cætera ferro excandescente, coriísque ac lignis ardentibus, contrahentibúsque se, raptim abiiceret. Itaque cernere erat milites arma sibi ipsos detrahentes, quæ spoliorum speciem abiecta humi, commento magis artis quam vi pugnantium præferebant. Ex quo factum est vt plerisque militibus, aut oculi extinguerentur, aut summæ oris partes, manúsque item, & siqua præterea nuda in corpore patebant, ignibus labefactarentur. Sed & machinis quæ muro admouebantur, desuper tædas iniiciebant pice ac resina oblitas, quarum extremitas mucronem velut sagittæ haberet, quæ quum accensæ deferebantur, infixæ inhærentésque machinis, facilè scilicet illas concremabant.

Porrò tyrannus ira sua credens, Roma omissa, indecorũ putat innocentes Aquileienses intactos relinquere.

At ignominiam fugiẽs, exitiũ suis, deinde sibi, accersit.

13 SED

13 Sed primis sanè diebus par vtrinque librata fuit pugnæ fortuna. dein mora iniecta, minus minúsque iam alacer Maximini erat exercitus, sed quia spe falsus, tristiórque indies. Nam quos ne vnum quidem diem sperauerant suum laturos impetum, eos non modò non cedentes, sed resistentes etiam audacissimè animaduertebant. Contra Aquileienses magis magísque indies virium atque animorum implebantur: & assiduitate pugnandi peritiam pariter audaciámque consequuti, sic despiciebant milites vt etiam iocarentur in eos & cauillarentur, nihilque non contumeliæ obeunti muros Maximino exprobrarent, tum in ipsum iuxta filiúmque nulla non iacerent probra. Quibus irritatus ac furens, quum effundere in hostes iram non liceret, plurimos è suis ducibus, quasi parum strenuè atque acriter vrbem oppugnarent, extremo supplicio affecit. Quo factum vt infestiorem sibi atque iratiorem militem reddiderit & contemptibilior fieret aduersariis. Euenit præterea vt Aquileienses commeatu rebúsque cæteris abundarent, quoniam magna diligentia quæcunque ad homines aut equos sustentandos desiderantur, in vrbem fuerant comportata. Contrà exercitus omnium rerum egenus, excisis fetacibus arboribus, agróque omni peruastato, partim sub tumultuariis tentoriis agitabant, partim sub aperto cælo tolerabant solem, atque imbres ac fame conficiebantur: siquidem nihil alimenti, vel ipsis vel iumentis importabatur, obsessis omnibus Italiæ itineribus Romanorum diligentia, murisque & portis excitatis. Etenim viros consulares cum lectissimis ac spectatissimis hominibus ex Italia tota miserat senatus, qui littora portúsque tutarentur, neque cuiquam potestatem facerent nauigandi, sic vt inaudita incognitáque forent Maximino quæcumque Romæ agitabantur. Quin viæ quoque om-

Arcana, sed iusta quadam trutina, belli euentus librātur. Tandem verò ad iustā causam inclinant felices successus & liberatio.

Tyrannus ad supplicium currens, scelera sceleribus addit, vt pœna iustior appareat.

Senatus Romani prudentia, vt tyranni exercitum dissiparet.

nes & calles, nequis transiret, diligentissimè seruabantur. Ita eueniebat vt exercitus qui vrbem obsidebat, ipse inuicem obsideretur. Nam neque Aquileiam capere, neque Romam proficisci poterat, nauigiorum ac vehiculorũ penuria, quæ omnia prius occupata & conclusa fuerant. Rumores quoque suspicionibus in maius augebantur, esse vniuersum in armis Romanum populum, consensisse Italiam gentésque omnes Illyricas, barbarásque quascunque aut oriens aut meridies videt, ad exercitum contrahendum, coniuratas in Maximini odium. Quare desperantes milites, omnium rerum penuria laborabant, vixque aquæ satis habebant, quam etiam pollutam sanguine & cædibus de flumine hauriebant. Nam & Aquileienses cadauera suorum, quæ humari non poterant, in flumina præcipitabant: & qui ferro morbóque in exercitu perierant, itidem alueo demergebantur: inter quos etiam qui inopia ciborum confecti, vix adhuc spiritum retentabant. Quum igitur ad hunc modum mœstus atque inops exercitus esset, repentè dum sub tentorio quiescit Maximinus vacuo die à pugna, quum plerique aut in tabernacula, aut in suas quisque stationes cõcessissent, visum est militibus iis quorum ad vrbem Romam sub monte Albano castra erant, atque in his liberi eorum coniugésque relictæ, neci dedere Maximinum, vt aliquando à diuturna & inexplicabili obsidione requiescerent, neque Italiæ bellum inferrent in tyranni gratiam, damnati omnibus & inuisi. Quocirca occupata audacia, sub medium ferme diem ad illius tentoriũ contenderunt, conspirantibus vnà corporis custodibus. Ibique postquam de signis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, vt ad eos loquerentur, hoc illi non concesso continuò obtruncant, vnáque præfectum prætorio, & quoscunque carissimos

Tyrannum angustiæ premunt vndique.

Exercitus, merita clade affectus in tot malorum caput coniurat.

Et Sanior pars maturè sibi suisque prouidet.

Tyranni fiducia vana.

mos ille habuerat. Proiectáque ad ludibrium cadauera, canibus dein volucribúsque lanianda relinquunt, missis tantùm Romam Imperatorum capitibus. Hunc habuit finem Maximinus cum filio: ita malè gesti imperij dedere ambo supplicium.

Mors, sepultura, & pompa conueniens.

IVLII CAPITOLINI
Maximini duo.

BREVIARIVM.

1 *Maximinis ortu, pueritia, statura, ingenium, robur corporis, prodigiosa potatio & voracitas, militia. Sub Caracallo & Heliogabalo.*

2 *Alexandro Seuero gratus, ad honores euehitur, sed ingratus Dominum interficit.*

3 *Tyrannicæ artes Maximini descriptæ.*

4 *Eiusdem bellum aduersus Germanos, quos grauißimis damnis afficit.*

5 *Romani & Afri iugum Maximini excutere conantur. Gordiani pater & filius in Africa, appellantur Augusti, & à Senatu confirmantur, Maximino hoste S.P.Q. Romani declarato.*

6 *Maximinus furore percitus, arma sumit, & habita concione milites pertrahit ad bellum Romanis & Afris inferendum. Gordiani in Africa opprimuntur, quibus alii sufficiuntur à Senatu. Roma seditionibus domesticis & cruentis cædibus laborat.*

7 *Maximini ingressus in Italiam. Quibus consiliis Senatus tyrannum euerterit. Aquileia oppugnata, sed non expugnata. milites fame laborantes, & sibi suisque consulere cupientes, Maximinum & eius filium occidunt.*

8 *Quid post Maximinorum mortem acciderit.*

Senatus acclamationes tum aduersus Maximini nomen & memoriam, tum in honorẽ Gordianorũ & Augustorũ.

1 Authoris consilium in describendis Imperatorũ rebus gestis.

NE fastidiosum esset clementiæ tuæ, Constantine maxime, singulos quosq; principes, vel principum liberos per libros singulos legere, adhibui moderationem qua in vnum volumen duos Maximinos, patrem filiúmq;, congererem. Seruaui deinceps ordinem quem pietas tua etiam a Tatio Cyrillo clarissimo viro, qui Græca in Latinum vertit, seruari voluit, quod quidẽ non in vno tantùm libro, sed etiam in plurimis deinceps reseruabo, exceptis magnis Imperatoribus, quorum res gestæ plures atque clariores, longiorem desiderant textum. Maximinus senior sub Alexandro Imperatore enituit. Militare autem sub Seuero cœpit. Hic de vico Thraciæ vicino, barbaro etiam patre & matre genitus, quorum alter è Gotthia, alter ex Alanis, genitus esse perhibetur. Et patri quidem nomen Micea, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus, ipse prodidit, postea verò vbi ad imperium venit, oculi præcepit, ne vtroque parente barbaro genitus Imperator esse videretur. Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnunquam procer, qui latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret. Prima stipendia, equestria huic fuere. Erat enim magnitudine corporis conspicuus, virtute inter omnes milites clarus, forma virili decorus, ferus moribus, asper, superbus, contemptor, sæpe tamen iustus. Innotescendi sub Seuero Imperatore prima hæc fuit causa: Natali Getæ filij minoris, Seuerus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est armillis, torquibus & baltheolis. Hic adolescens & semibarbarus, & vix adhuc Latinę linguæ, propè Threcisca, Imperatorem publicè petiit vt sibi daret licentiam

Maximini ortus.

Ingratitudo superba.

Pueritia.

Tyrocinia belli.

Forma corporis & animi.

Honorum initia & progressus vnde.

contendendi cum iis qui iam non mediocri loco militarent. Magnitudinem corporis Seuerus miratus, primùm eum cum lixis composuit, sed fortissimis quibusque, ne disciplinam militarem corrumperet. Tunc Maximinus XVI lixas vno sudore deuicit, XVI acceptis præmiis minusculis, non militaribus, iussúsque militare. Tertia forte die quum processisset Seuerus ad campum, in turba exultantem more barbarico Maximinum vidit, iussitque statim tribuno vt eum coerceret, ac Romana disciplina imbueret. Tunc ille vbi de se intellexit Imperatorem loquutum, suspicatus barbarus & notum se esse principi & inter multos conspicuum, ad pedes imperatoris equitantis accessit. Tum volēs Seuerus explorare quantus in currendo esset, equum admisit multis circuitionibus, & quum Imperator laborasset, neque ille accurrendo per multa spatia desisset, ait ei, *Quid vis Threcisce? nunquid delectat luctari post cursum?* Tum *Quantum libet*, inquit, *Imperator.* Post hoc ex equo Seuerus descendit, & recentissimos quosque ac fortissimos milites ei comparari iussit. Tum ille more solito VII fortissimos vno sudore vicit, solúsque omnium à Seuero post argentea præmia torque aureo donatus est, iussúsque inter stipatores corporis sui semper in aula consistere. Hinc igitur factus conspicuus, inter milites clarus, amari à tribunis, á commilitonibus suspici, impetrare ab Imperatore quod vellet, locis etiam militiæ à Seuero adiutus quum esset adolescēs, longitudine autem corporis & vastitate, & forma, atque oculorum magnitudine & candore omnes excelleret. Bibisse autem illum sæpe in die vini capitolinam amphoram constat: comedisse & XL libras carnis: vt autem Cordus dicit, etiam LX. Quod satis constat, oleribus semper abstinuit, à frigidis propè semper, nisi quum illi potandi necessitas esset. Sudores sæpe suos

Robur corporis inustatum.

Celeritas pedum.

Lucta miranda.

Præmia & dignitas.

Prodigiosa potatio & voracitas.

Sudores, gi-

gantea molis corpus arguentes.

excipiebat, & in calices vel in vasculum mittebat, ita vt duos vel tres sextarios sui sudoris ostenderet. Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit, centuriatus, & cæteras militares dignitates, sæpe tractauit. Sub Macrino (quòd eum qui Imperatoris sui filium occiderat, vehementer odisset) a militia desiit, & in Thracia in vico vbi genitus fuerat, possessiones comparauit, ac semper cum Gotthis commercia exercuit. Amatus est autem vnicè à Getis quasi eorum ciuis. Alani quicunque ad ripam venerunt, amicum cum donis vicissim recurrentibus approbabant. Sed occiso Macrino cum filio suo, vbi Heliogabalum quasi Antonini filium Imperatorem comperit, iam maturæ ætatis ad eum venit, petiitque vt quod auus eius Seuerus iudicij circa se habuerat, & ipse haberet. Sed apud impurum hominem valere nihil potuit. Nam dicitur cum eo iocatus esse Heliogabalus turpissimè, dicens, *Maximine,* x[illegible] & xx & xxx *milites diceris aliquando lassasse, potes tr*[illegible]*es cum muliere perficere.* Tum ille vbi vidit infamem [illegible] principem sic exorsum, à militia discessit, & tamen retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoque illius famæ accederet quòd virum temporis sui fortissimum, & quem alij Herculem, alij Achillem, alij Aiacem vocabant, à suo exercitu dimoueret.) Fuit igitur Maximinus sub homine impurissimo tantùm honore præditus tribunatus, sed nunquam ad manum eius accessit, nunquam illum salutauit per totum triennium huc atque illuc discurrens, modò agris, modò otio, modò fictis languoribus occupatus est.

A militia cessatio.

Armorum repetitio, sed momentanea, propter impurissimi principis iocum.

Sub luxurioso principe fortitudo bellica luget.

Robusti & exercitati milites ac belli duces grati sunt principibus

2 Occiso Heliogabalo, vbi Maximinus comperit Alexandrum principem nominatum, Romam contendit, quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione suscepit, vt in senatu verba faceret talia, *Maximinus P. C. tribunus, cui ego latum*

claui

clauum addidi, ad me confugit, qui sub impura illa bellua militare non potuit. qui apud diuum parentem meum Seuerum tantus fuit quantum illum fama comperitis. Statim deinque illum tribunum legionis quartæ ex tyronibus quam ipse composuerat, dedit, & eum in hæc verba prouexit. *Veteres milites tibi, Maximine mi charissime atque amantissime, idcirco non credidi, quòd veritus sum ne vitia eorum sub aliis inolescentia emendare non posses. Habes tyrones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem: eos fac militiam addiscere, vt mihi multos Maximinos reip. optabiles solus efficias.* Accepta igitur legione, statim eam exercere cœpit. Quinta quaque die iubebat milites decurrere, simulacra bellorum agere: gladios, loricas, galeas, scuta, tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumspicere: calceamenta quinetiam ipsa prospiciebat, prorsus vt se parem militibus præberet. Sed quum eum quidam tribuni reprehenderent, dicentes, *Quid tantum laboras, quum eius loci iam sis, vt ducatum possis accipere?* dixisse fertur, *Ego verò quo maior fuero tanto plus laborabo.* Exercebat cum militibus ipse luctam, quinos, senos, & septenos iam grandæuus ad terram prosternens. Denique inuidentibus cunctis, quum quidam tribunus superbior, magni corporis, virtutis notæ, atque ideo ferocior ei dixisset, *Non magnam rem facis si tribunus tuos milites vincis*: Ille ait, *Visne congrediamur?* Quúmque aduersarius annuisset, venientem contra se palma in pectus percussum supinum reiecit, & continuò dixit, *Date alium, sed tribunum.* Erat præterea (vt refert Cordus) magnitudine tanta, vt octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo. Iam illa propè in vulgi ore sunt posita, quòd hamaxas manibus attraheret, rhedam onustam solus moueret: equo si pugnum dedisset, dentes solueret: si calcem, crura frangeret: lapides

magno animo præditis.

Maximinus maximis honorib. afficitur.

Munus sibi commissum diligenter exequitur.

Labore delectatur.

Aduersarium deiicit

Robore stupendo præditus gigas.

tophicios friaret, arbores teneriores scinderet. Alij denique eum *Crotoniatem Milonem*, alij *Herculem*, *Antæum* alij vocant. His rebus conspicuum virum Alexander, magnorum meritorum iudex, in suam perniciem omni exercitui præfecit, gaudentibus cunctis vbique tribunis, ducibus, & militibus. Denique totum eius exercitum qui sub Heliogabalo magna ex parte torpuerat, ad suam militarem disciplinam retraxit. Quod Alexandro, vt diximus, optimo quidem Imperatori, sed tamen cuius ætas ab initio contemni potuerit, grauissimum fuit. Nam quum in Gallia esset, & non longe ab vrbe quadam castra posuisset, subito immissis militibus, vt quidam dicunt, ab ipso, vt alij, à tribnnis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus est, Maximino iam Imperatore appellato. Et causam quidem Alexandri interimendi alij aliam fuisse dicunt. Quidam enim Mammæam dicunt autorem fuisse vt filius deserto bello Germanico orientem peteret, atque ideo milites in seditionem prorupisse. Quidam, quòd ille nimis seuerus esset, & voluisset ita in Gallia legiones exautorare, vt exautorauerat in oriente.

Imprudenter ab Alexandro ad maiores functiones promouetur.

Nam fit tandem ingratus & sceleratus parricida. Nebulones & terræ filij ad publicas functiones euecti, sunt maximè metuendi.

3 Sed occiso Alexandro, Maximinus primùm è corpore militari, & nondum senator, sine decreto senatus, Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatum dato: de quo pauca quæ nobis sunt cognita, mox dicemus. Maximinus autem ea fuit semper astutia vt milites non solùm virtute regeret, sed etiam præmiis & lucris sui amantissimos redderet. Nunquam annonam cuiuspiam tulit. Nunquam fuit qui in exercitu faber, aut alterius rei (vt plerique sunt) artifex esset. solis venationibus legiones frequentes exercebat. Sed inter has virtutes tam crudelis fuit vt illum alij *Cyclopem*, alij *Busiridem*, alij *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi

Tyranni artes sub Maximini persona descripta.

Astutia, militum corda corrumpens.

Crudelitas.

multi *Typhonem*, vel *Gygem* vocarent. Senatus eum tantum timuit vt vota in templis publice priuatímque mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille vnquam vrbem Romam videret. Audiebat enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos, atque omnia hæc sine delectu dignitatis, quum videretur disciplinam velle regere militarem, cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit, quod non conuenit principi qui velit diligi. Erat enim ei persuasum, *nisi crudelitate imperium non teneri.* Simul & verebatur ne propter humilitatem generis barbarica nouitate contemneretur. Meminerat præterea se Romæ etiam a seruis nobilium contemptum esse, ita vt ne a procuratoribus quidem eorum videretur. Et vt se habent stultæ opiniones, tales eos contra sperabat futuros, quum iam imperator esset. Tantum valet conscientia degeneris animi. Nam ignobilitatis tegendæ causa omnes conscios generis sui interemit: nonnullos etiam amicos qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis causa pleraque donauerant. Neque enim fuit crudelius animal in terris; omnia sic in viribus suis ponẽs quasi non posset occidi. Denique quum immortalem se propè crederet ob magnitudinem corporis sui virtutisque munus, quidam in theatro præsente illo dicitur versus Græcos dixisse, quorum hæc erat Latina sententia,

veterum immanitate persimilis, propter quã timetur & exosus est S.P.Q.R.

Immanitas

Suspicio.

Stultæ opiniones.

Degener & truculentus animus, in naturam ipsam peccans: sed quem & histriones apposite perstringunt, imminens exitium sæpius præsagiẽtes.

Et qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est, & occiditur:
Caue multos, si singulos non times.

Et hæc Imperatore ipso præsente iam dicta sunt. Sed quum Maximinus interrogaret amicos quid mimus scurra dixisset, dictum est ei quòd antiquos

versus cantaret contra homines asperos scriptos, & ille, vt erat Thrax & barbarus, credidit. Nobilem circa se neminem passus est, prorsus vt Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret. Præterea omnes Alexandri ministros variis modis interemit. Dispositionibus eius inuidit. Et dum suspectos habet amicos ac ministros eius, crudelior factus est. Quum esset ita moratus vt ferarum more viueret, tristior & immanior factus est factione Magni cuiusdam consularis viri contra se parata: qui cum multis militibus & centurionibus ad eum confodiendum consilium inierat, quum in se imperium transferre cuperet. Et genus factionis fuit tale. Quum ponte iuncto in Germanos transire Maximinus vellet, placuerat vt contrarij cum eo transirent, pons postea solueretur, ille in barbarico solo circumuentus occideretur, imperium Magnus arriperet. Nam omnia cœperat agere, & quidem fortissime, statim vt factus Imperator, peritus vtpote rei militaris, volens existimationem de se habitam tenere, & ante omnes Alexandri gloriam, quem ipse occiderat, vincere. Quare Imperator etiam in exercitio quotidie milites detinebat. Erátque in armis ipse magnus exercitio, & corpore multa semper ostendens. & istam quidem factionem Maximinus ipse finxisse perhibetur, vt materiam crudelitatis augeret. Denique sine iudicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit, omnium bona sustulit: & plus IIII millibus hominum occisis, se satiare non potuit. Fuit etiam sub eodem factio, desciscentibus sagittariis Osdroenis ab eodē ob amorem Alexandri & desiderium, quem à Maximino apud eos occisum esse constabat, nec aliud persuaderi potuerat. Denique etiam ipsi Titum ex suis sibi ducem atque Imperatorem fecerunt, quem Maximinus priuatum iam dimiserat: quem quidem & purp

Nobilium virorum repulsa, & bonorum excidium.

Intoleranda dominatio, factiones & coniurationes pariens.

Superbia temeraria.

Mens nefaria, in cudēdis cædibus iniquissimis.

Optimi principis amor & desideriū milites in tyrannum armat.

purpura circundederunt, regióque apparatu ornarunt, & quasi sui milites obsepserunt, & inuitum quidem. Sed hic Titus dormiens domi suæ ab vno ex amicis suis interfectus est, qui sibi doluit illum esse præpositum, Macedonio nomine, qui eum Maximino prodidit, quique caput eius ad Imperatorem detulit. Sed Maximinus primò ei gratias egit, postea tamen vt proditorem odio habuit, & occidit. His rebus in dies immanior fiebat, ferarum more quæ vulneratæ magis exulcerantur.

Proditor proditorem necat.

4 Post hæc transiit in Germaniam cum omni exercitu, & Mauris, & Osdroenis, & Parthis, & omnibus quos secum Alexāder ducebat ad bellum. Et ob hoc maxime orientalia secum trahebat auxilia, quòd nulli magis contra Germanos quam expediti sagittarij valent. Mirandum autem apparatum belli Alexander habuit, cui Maximinus multa dicitur addidisse. Ingressus igitur Germaniam Transrhenanam, per CCC, vel CCCC millia barbarici soli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit: cepit innumeros. & nisi Germani per amnes & paludes & syluas confugissent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegisset, ipse præterea manu sua multa faciebat, qum etiam paludem ingressus circumuentus esset à Germanis, nisi eum equo inhærentem sui liberassent. Habuit enim hoc barbaricæ temeritatis, vt putaret imperatorem manu etiam sua semper vti debere. Denique quasi nauale quoddam prælium in palude fecit, plurimósque illic interemit. Victa igitur Germania, litteras Romam ad senatum & ad populum misit, se dictante conscriptas, quarum sententia hæc fuit: *Non possumus tantum P. C. loqui quantum fecimus. Per CCCC millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occi-*

Maximinus bellis & sanguine, vt immanis bellua, pascitur.

Germaniam grauissimis damnis afficit.

Temeritate barbarica delectatur.

De parta victoria superbè loquitur, & sibi sacrificat.

dimus, in palude pugnauimus. Peruenissemus ad syluas nisi altitudo paludum nos transire non permisisset. Aelius Cordus dicit, hanc omnino ipsius orationem fuisse; quod credibile est. Quid enim in hac est quod non posset barbarus miles? qui pari sententia, & ad populum scripsit, sed maiori reuerentia, idcirco quòd senatum oderat, à quo se contemni multum credebat. Iussit praeterea tabulas pingi ita vt erat bellum ipsum gestum, & ante curiam proponi, vt facta eius pictura loqueretur: quas quidem tabulas post mortem eius senatus & deponi iussit & exuri. Fuerunt & alia sub eo bella plurima, ex quibus semper primus victor reuertit, & cum ingentibus spoliis atque captiuis. Extat oratio eiusdem missa ad senatum, cuius hoc exemplum est, *Breui tempore P. C. tot bella gessi quot nemo veterum. Tantum praedae in Romanum solum attuli quantum sperari non potuit. Tantum captiuorum adduxi vt vix sola Romana sufficiant.* Reliqua orationis verba non sunt ad rem necessaria. Pacata Germania Syrmium venit, Sarmatis inferre bellum parans atque animo habens, concupiens vsque ad oceanum septentrionales partes in Romanam ditionem redigere: quod fecisset si vixisset, vt Herodianus dicit Graecus scriptor, qui ei (quantum videmus) in odium Alexandri plurimum fauit.

Ambitione ridicula laborat, quam ignis extinxit.

Impudenti item iactatione.

Irrequietus alios turbare cogitat.

13.

5 SED quum Romani eius crudelitatem ferre non possent, quòd delatores euocaret, accusatorem immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes quicunque in iudicium venissent, ex ditissimis hominibus pauperrimos faceret, nec aliunde nisi malo alieno pecuniam quaereret: deinde sine delicto consulares viros & duces multos interimeret, alios Scythicis vehiculis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique praetermitteret quod ad crudelitatem videretur operari: contra

Tyrannicum iugum populis ad libertatem natis apprimè inuisum.

tra

tra eum defectionem pararunt. Nec solum Romani, sed, quia & in milites sæuiebat, exercitus qui in Africa erat subita & ingenti seditione Gordianum senem, virum grauissimum, qui erat proconsul, imperatorem fecerunt: cuius factionis hic ordo fuit. Erat fisci procurator in Lybia, qui omnes Maximini studio spoliauerat: hic per rusticanam plebem, deinde & quosdam milites interemptus est per eos qui rationalem in honorem Maximini defendebāt. Sed quum viderent autores cædis eius acrioribus remediis sibi subueniendum esse, Gordianum proconsulem, virum (vt diximus) venerabilem, natu grandiorem, omni virtutum genere florentem, ab Alexandro ex senatusconsulto in Africam missum, reclamantem & se terræ affligentem, opertum purpura imperare coegerunt, instantes cum gladiis & cum omni genere telorum. Et primò quidem inuitus Gordianus purpuram sumpserat: postea verò quum vidit neque filio, neque familiæ suæ tutum id esse, volens suscepit imperium, & appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud oppidum Tisdrum: inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus & fascibus laureatis, vnde Romam ad senatum literas misit quę occiso Valeriano duce militum prætorianorum, in odium Maximini gratanter acceptæ sunt. Appellati etiam Gordianus senex & Gordianus iuuenis à senatu Augusti. Interfecti deinde omnes delatores, omnes accusatores, omnes amici Maximini occisi sunt. Interfectus est Sabinus præfectus vrbis, percussus in populo. Vbi hæc gesta sunt, senatus magis timens Maximinum, apertè ac liberè hostes appellat Maximinum & eius filium. Literas deinde mittit ad omnes prouincias, vt communi saluti libertatique subueniant: quæ auditæ sunt ab omnibus. Denique vbique amici, & administratores, & duces,

Vndique cōueniunt & vnanimes fiunt qui crudelem dominationē detestantur.

Ac suo iudicio idoneū principē constituunt. Sed qua tumultuosum initium habent infelicem vident exitū.

Vt ignem extinguat Senatus, alium ignem accendit. Vide quid tyrannici principatus odium efficiat.

tribuni, & milites Maximini interfecti sunt. Paucæ ciuitates fidem hosti publico seruauerunt: quæ proditis iis qui missi ad eos fuerant, ad Maximinum citò per indices detulerunt. Literarum senatus exemplum hoc fuit, *Senatus populúsque Romanus, per Gordianos principes ab illa tristißima bellua liberari cœptus, proconsulibus, præsidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus, ac singulis ciuitatibus, & municipiis, & oppidis, & vicis, & castellis salutem, quam nunc primùm recipere cœpit, dicit. Diis fauentibus Gordianum proconsulem, virum sanctißimum & grauissimum senatorem, principem meruimus: Augustum appellauimus. Nec solum illum, sed etiam in subsidium reip. filium eius Gordianum nobilem iuuenem. Vestrum est consentire ad salutem reip. obtinendam, & ad scelera defendenda, & ad illam belluam Maximinum atque illius amicos vbicunque fuerint, persequendos. A nobis etiam Maximinus cum filio suo hostis est indicatus.* Senatusconsulti autem hoc fuit exemplum. *Quum ventum esset in ædem Castorum, VI Cal. Iunias, acceptas literas Iunius Syllanus consul ex Africa, Gordiani Imperatoris patris patriæ proconsulis, recitauit, Initum me P. C. iuuenes, quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt. Sed intuitu vestri neceßitatem libens sustineo. Vestrum est æstimare quid velitis. Nam ego vsque ad senatus iudicium incertus & varius fluctuabo.* Lectis literis, statim senatus acclamauit, *Gordiane Auguste, dii te seruent. felix imperes, tu nos liberasti. Saluus imperes, tu nos liberasti. Per te salua resp. omnes tibi gratias agimus.* Item cos. retulit, *P.C. De Maximinis quid places?* responsum est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Item consul dixit, *De amicis Maximini quid videtur?* acclamatũ est, *Hostes, hostes. Qui eos occiderit, præmium merebitur.* Ita acclamatum est, *Inimicus senatus in crucem tollatur. Hostis senatus vbicunque feriatur. Inimici senatus viui exurãtur. Gordiani Augusti, dii vos seruent.*

Literæ Senatus ad prouincias & ciuitates, in Maximinũ, qui hostis iudicatur.

Gordiani literæ ad Senatum, cuius authoritatẽ expectat: & à quo confirmatur.

Decretum & acclamationes in Maximinũ & eius amicos.

Amb

Ambo feliciter agatis, ambo feliciter imperetis. Nepoti Gordiani præturam decernimus, nepoti Gordiani consulatum spondemus. nepos Gordiani cæsar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat.

6 VBI hoc senatusconsultum Maximinus accepit, homo natura ferus, sic exarsit vt non hominem sed belluam putares. Iaciebat se in parietes, nonnunquam terræ se prosternebat. Exclamabat incondite, arripiebat gladium quasi senatum posset occidere, conscindebat vestem regiam, alios verberibus afficiebat & nisi de medio recessisset (vt quidam sunt autores) oculos filio adolescentulo sustulisset. Causa autem iracundiæ contra filium hæc fuit, quòd eum Romam ire iusserat quum primùm Imperator factus est, & ille patris nimio amore neglexerat: putabat autem quòd si ille Romæ fuisset, nihil ausurus esset senatus. Ardentem igitur Maximinum iracundia amici intra cubiculum receperunt. Sed quum furorem suum tenere non posset, vt obliuionem cogitationis acciperet, vino se primo die obruisse dicitur eousque vt quid gestum esset ignoraret. Alia die admissis amicis qui eum audire non poterant, sed tacebant, & qui factum senatus tacitè laudabant, consilium habuit quid facto opus esset: è consilio ad concionem processit, in qua concione multa in Afros, multa in Gordianum, plura in senatum dixit, cohortatúsque milites ad communes iniurias vindicãdas. Concio denique omnis militaris fuit, cuius hoc exemplum est, *Commilitones, rem notam vobis proferimus. Afri fidem fregerunt. quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt? Gordianus senex debilis & morti vicinus sumpsit imperium. Sanctissimi autem P. C. illi, qui & Romulum & Cæsarem occiderunt, me hostem iudicauerunt, quum pro his pugnarem & ipsis vincerem, nec solum me sed etiam vos & omnes qui mecum sunt, quos & senatui acceptissimos, & sibi aduersissimos esse credebant.*

Literis, decretis & acclamationibus, iram, exclamationes, minas concionem militarem, arma & bellum Maximinus opponit.

Nihil temperatum in tyranni mente.

Cõtemptum aliorum, direptiones & gladios loquitur.

Quare factum est (vt diximus) vt Gordianum adolescentulum principem peterent, qui statim factus est. Nec prius permissi sunt ad palatium stipati armatis ire quàm nepotem Gordiani Cæsaris nomine nuncuparent, & Gordianos patrē ac filium Augustos vocarent. Ergo si viri estis, si vires habetis, eamus contra senatum & Afros: quorum omnium bona vos habebitis. Dato igitur stipendio, & quidem ingēti, Romam versus cum exercitu proficisci cœpit.

Milites spe prada & ingenti stipendio numerato pertrahit ad bellum.

Sed Gordianus in Africa primum a Capeliano quodam agitari cœpit cui Mauros regenti successorem dederat. Contra quem filium iuuenem quum misisset, accerrima pugna interfecto filio, ipse laqueo vitam finiuit, sciens & in Maximino multum esse roboris & Afris nihil virium, multum quinimo perfidiæ, Tunc Capelianus victor pro Maximino omnes Gordiani partium, motu partium in Africa interemit atque proscripsit. Nec cuiquam pepercit, prorsus vt ex animo Maximini videretur hęc facere. Ciuitates denique subuertit, fana diripuit, donaria militibus diuisit, plebem & principes ciuitatum concidit. Ipse præterea militum animos sibi conciliabat, præludens ad imperium si Maximinus perisset.

Gordiani opprimuntur, tacito quodam Numinis iudicio, ad alias pœnas Maximinum reseruantis.

Hæc vbi Romam nuntiata sunt, senatus Maximini & naturalem & iam necessariam crudelitatē timēs, mortuis duobus Gordianis, Maximum Pupienum ex præfecto vrbi, & qui plurimas dignitates præcipue gessisset, ignobilem genere, sed virtutibus clarū, & Clodium Balbinum, moribus delicatiorē, Imperatores creauit. Quibus à populo Augustis appellatis, per milites & eundem populum etiam paruulus nepos Gordiani Cæsar est dictus. Tribus igitur Imperatoribus contra Maximinū fulta resp. est. Horum tamen Maximus vita seuerior, prudentia grauior, virtute constantior: denique ipsi contra Maximinum & senatus & Balbinus bellum tradiderunt. Profecto igitur ad bellum Maximo contra Maxi-

Gordianis sufficiuntur alij. Nec enim tantus Senatus iusta odia deponere potuit.

minum, Balbinus Romæ bellis inteſtinis & domeſticis ſeditionibus vrgebatur, occiſis præcipue per populum Gallicano & Mæcenate: qui quidem populus à prætorianis laniatus eſt, quum Balbinus reſiſtere ſeditionibus non ſatis poſſet. Denique magnā pars vrbis incenſa eſt.

At Roma, neque morbum neque medicinam ferre aſſueta, igne & ferro vaſtatur.

7 ET recreatus quidem imperator fuerat Maximinus, audita morte Gordiani atque eius filij, Capeliani victoria. verùm vbi & aliud ſenatuſconſultum accepit quo Maximus & Balbinus & Gordianus Imperatores appellati ſunt, intellexit ſenatus odia eſſe perpetua, & ſe verè hoſtem omnium iudicio haberi. Acrior denique Italiam ingreſſus eſt. Vbi quum comperiſſet Maximum contra ſe miſſum, vehementius ſæuiens, quadrato agmine Hemonā venit. Sed prouincialium omnium conſilium hoc fuit vt ſublatis omnibus quæ victum præbere poſſent, intra ciuitates ſe reciperent, vt Maximinus cum exercitu fame vrgeretur. denique vbi primùm caſtra in campo poſuit, neq; quicquam commeatus reperiret, incenſus contra eum exercitus ſuus, quòd fame in Italia laboraſſet, in qua poſt Alpes recreari ſe poſſe credebat, murmurare primùm cœpit, deinde etiam aliqua liberè dicere. Hęc quum vellet vindicare, multum exarſit exercitus, & odium tacitum in tempus diſtulit, quod loco ſuo ſtatim prodidit. Plerique ſanè dicunt, ipſam Hemonam vacuam & deſertam inuentam eſſe à Maximino ſtultè lætante quòd quaſi ciuitas tota ceſſiſſet. Poſt hoc Aquileiam venit, quæ contra eum armatis circa muros diſpoſitis, portas clauſit: nec oppugnatio defuit, Menophilo & Criſpino conſularibus viris autoribus. Quum igitur fruſtra obſideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem vrbem miſit. Quibus populus penè conſenſerat, niſi Menophilus cum collega reſtitiſſet, dicens, etiam deum Bellenum per aruſpices

Tyrānus ad debitum ſupplicium feſtinans, notis ſceleribꝰ pœnas aggrauat.

Conſilio, & exercitus beneuolentia, quum maximè fuit opus, priuatur.

Munitiſſimam vrbē ſtultè oppugnat.

Aſtutiâ vincere putat, ſed eluditur

Vim adhibet, sed frustra.

ſpopondiſſe Maximinū eſſe vincendum. Vnde etiam poſtea Maximini milites iactaſſe dicuntur, Apollinem contra ſe pugnaſſe, nec illam Maximini aut ſenatus, ſed deorum fuiſſe victoriam. Quod quidem idcirco ab his fictum eſſe dicũt, quòd erubeſcebant armatos ſe penè ab inermibus victos. Ponte itaque cuppis facto, Maximinus fluuium tranſiuit, & de proximo Aquileiam obſidere cœpit. Ingens autem oppugnatio & diſcrimen tunc fuit, quum ſe ciues ſulfure & flammis, cæteriſque huiuſmodi propugnaculis a militibus defenderent: quorum alij nudabantur armis, aliorum veſtes incendebantur, aliorum oculi extinguebantur, diruebantur etiam machinamenta. Inter hęc Maximinus cum filio ſuo adoleſcente, quem Cæſarem appellauerat, circumire muros quantum a teli iactu ſatis tutus eſſe poſſet, nunc ſuis verbis milites, nunc oppidanos rogare. verùm nihil profecit. Nam multa & in eum crudelitatis cauſa, & in filium qui ſpecioſiſſimus erat, probra congeſta ſunt. Quare Maximinus ſperans ſuorũ ignauia bellum trahi, duces ſuos interemit, eo tempore quo minimè oportebat, vnde ſibi milites etiam iratiores reddidit. Huc accedebat quòd deficiebant commeatus, quia ſenatus ad omnes prouincias & portuum cuſtodes literas dederat ne aliquid commeatuum in Maximini poteſtatem veniret. Miſerat præterea per omnes ciuitates prætorios & quæſtorios viros, qui vbique cuſtodias agerent, & omnia contra Maximinum defenderent. Effectum denique eſt vt obſeſſi anguſtias, obſidens ipſe, pateretur. Nuntiabatur inter hæc orbem terrarum conſenſiſſe in odium Maximini. Quare timentes milites, quorum affectus in Albano monte erant, medio fortè die quum à prælio quieſceretur, & Maximinum & filium eius quieſcentes, in tentorio poſitos occiderunt, eorũmque capita præfixa contis Aquileienſibus

Nihil intentatum relinquit, vt potiatur præda: at irridetur, vnde rabies tyrannica.

Senatus prudentia, instrumentum diuinæ vindictæ ad eradicandum tyrannum.

bus demonstrauerunt. In oppido igitur vicino statim Maximini statuę atque imagines depositę sunt, & eius præf. præt. occisus est cum amicis clarioribus. Missa etiam Romam capita sunt eorum.

Crudelis vita cruentus exitus.

8 HIC finis Maximinorum fuit dignus crudelitate patris, indignus bonitate filij. Quibus mortuis ingens lętitia prouincialium, dolor grauissimus barbarorum. Sed milites interfectis publicis hostibus recepti sunt ab oppidanis, rogantes: & primùm ita vt ante imagines Maximi & Balbini & Gordiani adorarent, quum omnes dicerent priores Gordianos in deos relatos. Post hoc ingens ex Aquileia commeatus in castra quæ laborabant fame, traductus est, fessisque militibus alia die in concionem ventum est, & omnes in Maximi & Balbini verba iurarunt, Gordianos priores diuos appellantes. Dici vix potest quanta lætitia fuerit, quum Romam per Italiam caput Maximini ferretur, occurrentibus cunctis ad gaudium publicum. Et Maximus quidem, quem multi Pupienum putant, apud Rauennam bellum parabat per Germanorum auxilia: qui vbi comperit consensisse exercitum sibi & collegis suis, occisos autem esse Maximinos, statim dimissis Germanorum auxiliis, quæ sibi cōtra hostem parauerat, Romam laureatas literas misit quæ in vrbe ingentem lætitiam fecerunt, ita vt omnes per aras, & templa, & sacella, & loca religiosa gratias agerent. Balbinus autem homo timidior natura, & qui quum Maximini nomen audiret, etiam tremeret, hecatomben fecit, iussitque per omnes ciuitates pari supplicari sacrificio. Deinde Maximus Romam venit, senatúmque ingressus, actis sibi gratiis, concionem habuit, atq; inde in palatium cum Balbino & Gordiano victores se receperunt. Interest scire quale senatusconsultum fuerit, vel qui dies vrbis, quum est nuntiatus interemptus Maximinus. Iam

Extincto tyranno, terras iucūdior aura reficit.

Exercitus, hoste oppresso, dimissus.

Gratiæ agendæ pro sublato tyranno.

Præclara victoria.

primùm is nuntius qui ex Aquileienſi vrbe Romam miſſus fuerat, tanto impetu, mutatis animalibus, cucurrit, vt quarta die Romani veniret, quum apud Rauennam Maximum reliquiſſet: & forte dies ludorum erat, quum ſubitò ſedente Balbino & Gordiano theatrum nuntius ingreſſus eſt: atque antequam aliquid indicaretur, omnis populus exclamauit, Maximinus occiſus eſt: ita vt nuntius præuentus, imperatores qui aderant, gaudium publicum nutu & conſenſu indicauerint. Soluto igitur ſpectaculo, omnes ſtatim ad ſuas religiones conuolarunt: atque inde ſenatus ad principem, populus ad concionem cucurrerunt. Senatuſconſultum hoc fuit: Recitatis in ſenatu per Balbinum Auguſtum literis acclamauit ſenatus, *Hoſtes populi Romani dii perſequuntur. Iupiter optime, tibi gratias. Apollo venerabilis, tibi gratias, Maxime Auguſte, tibi gratias: Balbine Auguſte, tibi gratias. Tibi gratias, Gordiane Auguſte. Diuis Gordianis templa decernimus. Maximini nomen olim eraſum, nunc animis eradendum. Hoſtis publici caput in profluentem abiiciatur, corpus eius nemo ſepeliat. Qui ſenatui mortem minatus eſt, qui ſenatui vincula minatus eſt, vt debebat interemptus. Sanctiſſimi Imperatores, gratias vobis agimus, Maxime, Balbine, Gordiane, dii vos ſeruent. Victores hoſtium omnes deſideramus: præſentiam Maximi omnes deſideramus. Balbine Auguſte, dii te ſeruēt. Præſentem annū* COSS. *vos ornetis, in locū Maximini Gordianus ſufficiatur.* Poſt rogatus ſententiam Cuſpidius Celerinus hæc verba habuit, *P.C. eraſo nomine Maximinorū, appellatiſq; diuis Gordianis, victoriæ cauſa principibus noſtris Maximo, Balbino & Gordiano ſtatuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, ſtatuas equeſtres decernimus, trophæa decernimus.* Poſt hæc miſſo ſenatu ſupplicationes per totam vrbem decretæ. Victores principes in palatium ſe receperunt, de quorum vita in alio libro deinceps dicemus.

Huius celer nuncius.

Populi præſenſio.

Gaudium publicum.

Acclamationes obſeruandæ, tum aduerſus hoſtis memoriam, tum in honorem & gratiam Gordianorū atque Auguſtorum.

Conſulis ſententia.

Supplicationes publicæ.

IVLII

IVLII CAPITOLINI

Maximinus iunior.

BREVIARIVM.

1 *Maximini iunioris forma corporis eximia, & mores describuntur. Charus est Alexandro Seuero.*

2 *Omina imperii & mortis eiusdem. Pulchritudo oris eius, etiam capite ab humeris auulso.*

Ad Constantinum Augustum.

MAXIMINVS iunior, de cuius genere superius dictum est, tantæ pulchritudinis fuit, vt passim amatus sit à procacioribus fœminis. Nonnullæ etiam optauerunt de eo concipere. Proceritatis videbatur posse illius esse vt ad staturam paternam perueniret. Siquidem anno vicesimo & primo periit, in ipso flore iuuentutis (vt aliqui autem dicunt, octauodecimo) literis & Græcis & Latinis imbutus ad primam disciplinam. Nam vsus est magistro Græco literatore Fabilio, cuius epigrammata Græca multa extant, maximè in imaginibus ipsius pueri: qui versus Græcos fecit ex illis Latinis Vergilij, quum ipsum puerum describeret,

1 Maximini filij eximia oris pulchritudo.

Proceritas.

Eruditio.

Qualis vbi Oceani profusus lucifer vnda
Extulit os sacrum cœlo, tenebrásque resoluit,
Talis erat iuuenis primo sub nomine clarus.

Grammatico Latino vsus est Philemone, iurisperito Modestino, oratore Tatiano filio Tatiani senioris, qui prouinciarum libros pulcherrimos scripsit,

Præceptores

& qui dictus est *simia temporis sui*, quòd cuncta imitatus esset. Habuit & Græcum rhetorem Eugamium sui temporis clarum. Desponsata illi erat Iunia Fadilla, proneptis Antonini: quam postea accepit Toxotius eiusdem familiæ senator, qui periit post præturam, cuius etiam poemata extant. Manserunt autem apud eam arræ regiæ, quæ tales fuerunt: vt Iunius Cordus loquitur, ex iis qui harum rerum perscrutatores fuisse dicuntur: monolium de albis nouem, reticulum de prasinis vndecim, dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas, & omnes regias, cæteráque insignia sponsaliorum. Adolescens autem ipse Maximinus superbiæ fuit insolentissimæ, ita vt etiam quum pater suus homo crudelissimus plerisque honoratis assurgeret, ille resideret. Vitæ lætioris, vini parcissimus, cibi auidus, maxime syluestris, ita vt nonnisi aprugnam, anates, grues, & omnia captiua ederet. Infamabant eum ob nimiam pulchritudinem amici Maximi, & Balbini, & Gordiani, & maxime senatores, qui speciem illam vel diuinitus lapsam incorruptam esse noluerunt. Denique illo tempore quo circum Aquileiam muros circumueniens cum patre deditionem vrbis petebat, nihil aliud ei quàm spurcities obiecta est, quæ longe ab illius fuit vita. Vestibus tam accuratus fuit vt nulla mulier nitidior esset in mundo: amicis paternis immane quantum obsequutus est, sed vt donaret ac largiretur. Nam in salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, genua sibi osculari patiebatur, & nonnunquam etiam pedes: quod nũquam passus est senior Maximinus, qui dicebat, *Dii prohibeant vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Et quoniam ad Maximinos reuertimur, res iucũdæ prætereundę nõ sunt. Nam quum esset Maximinus pedum, vt diximus, octo & propè semis

Sponsa. *Mores.* *Aduersarij.* *Cultus.* *Superbia.* *Pater gigas.*

ſemis, calceamẽtum eius, id eſt campagum regium, quidam in luco qui eſt inter Aquileiam & Arziam poſuerunt, quod conſtat pede maius fuiſſe hominis veſtigio atque menſura: vnde etiam vulgò tractum eſt, quum de longis & ineptis hominibus diceretur, *Caliga Maximini*. Quod idcirco indidi, ne qui Cordũ legeret, me prætermiſiſſe crederet aliquid quod ad rem pertineret. Sed redeam ad filium. De hoc adoleſcente Alexander Aurelius ad matrẽ ſuam ſcribit Mammæam, cupiens ei ſororẽ ſuam Theocliam dare, in hæc verba, *Mi mater, ſi Maximinus ſenior, dux noſter, & quidem optimus, non aliquid in ſe barbarum contineret, iam ego Maximino iuniori Theocliam tuam dediſſem. Sed timeo ne ſoror mea Græcis munditiis erudita, barbarum ſocerum ferre non poſſit: quamuis ipſe adoleſcens & pulcher & ſcholaſticus, ad Græcas munditias eruditus eſſe videatur. Hæc quidem cogito, ſed te tamen conſulo, Maximinum Maximini filium generum velis, an Meſſalam ex familia nobili oratorem potentiſſimum eundémque doctiſſimum, & (niſi fallor) in rebus bellicis ſi applicetur, fortem futurum.* Hæc Alexander de Maximino, de quo nos nihil ampliùs habemus quod diceremus. Sanè nequid prætermiſſum eſſe videatur, etiam epiſtolam indidi patris Maximini imperatoris iam facti, qui dicit idcirco ſe etiam filium ſuum appellaſſe Imperatorẽ, vt videret vel in pictura vel in veritate qualis eſſet iunior Maximinus in purpura. Fuit autem talis epiſtola: *Ego cùm propter affectum quem pater filio debet, Maximinum meum Imperatorem appellari permiſi, tum etiam vt pop. Rom. & ſenatus ille antiquus iuraret ſe nunquam pulchriorem Imperatorem habuiſſe.* Vſus eſt autem idem adoleſcens & aurea lorica exemplo Ptolemæorum: vſus eſt argentea, vſus & clypeo gemmato inaurato, & haſta inaurata. Fecit & ſpathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quicquid eius pulchritudinem poſſet iuuare. Fecit & galeas

Maximinus iunior charus Alexandro Aurelio Seuero.

Et patri Maximino, ob pulchritudinem infirmũ principatus fulcrum oris pulchritudo & corporis curioſus ornatus.

gemmatas, fecit & bucculas. Hæc sunt quæ de puero sciri & dici decuit. Reliqua qui volet nosse de rebus venereis & amatoriis, quibus eum Cordus aspergit, eundem legat. Nos enim hoc loco finem libri faciemus, ad alia, vt iubetur velut publico iure, properantes.

Omina Imperij, varia.

2 OMINA sanè imperij hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circundedit. Posita ab eodem vitis intra annum ingentes vuas purpureas attulit, & miræ magnitudinis facta est. Scutum eius sub sole arsit. Lanceola sic fissa est fulmine vt tota etiam per ferrum scinderetur, & duas partes faceret: vnde dixerunt aruspices, duos imperatores non diuturnos ex vna domo, iisdem nominibus futuros. Lorica patris eius non, vt solet, ferrugine, sed tota purpureo colore infecta à plurimis visa est. Filio autem hæc fuerunt: Quum grãmatico daretur, quædam parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit, aureis literis scriptos. Ipse puerulus quum ad cœnam ab Alexãdro esset rogatus in patris honorem, quòd ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit. Quum infans esset, subitò per publicum veniente vehiculo Antonini Caracalli, quod vacuum erat, conscendit & sedit, & vix ægréque à mulionibus carrucariis deturbatus est. Nec defuerunt qui cauendum infantem dicerent Caracallo. Tum ille dixit; *Longè est vt mihi succedat iste.* Erat enim illo tempore inter ignobiles, & nimis paruus. Mortis omina hæc fuerunt: Venienti contra Maximum & Balbinum Maximino cum filio, mulier quædam passis crinibus occurrit lugubri habitu, & exclamauit, *Maximini, Maximini, Maximini*: neq; quicquam ampliùs dixit: & mortua est. videbatur enim dicere voluisse, *Succurrite.* Canes circum tentorium eius in secunda mansione vltra duodecim vlularunt, & animam quasi flendo posuerunt, ac prima luce mortui sunt

Mortis omina.

Primum.

Alterum.

depre

deprehensi. Lupi vrbem quingenti simul ingressi sunt in quam se Maximinus contulerat: plerique dicunt Hemonam, alij Archimeam, certe quæ deserta à ciuibus venienti Maximino patuit. Longum est omnia persequi: quæ qui scire desiderat, is velim (vt sæpe dixi) legat Cordum, qui hæc omnia vsque ad fabellam scripsit. Sepulchra eorum nulla extant: in profluentem enim cadauera eorum missa sunt, & capita eorum in campo Martio insultante populo exusta. Scribit Aelius Sabinus (quod prætermittendum non fuit) tantam pulchritudinem oris fuisse in filio, vt etiam caput eius mortui iam nigrum, iam sordens, iam maceratum, defluente tabo, velut vmbra pulcherrima videretur. Denique quum caput Maximini pilo circunferretur, & ex hoc ingens gaudium esset, propè par mœror erat quòd & filij caput pariter portaretur. Addit Dexippus tantum odium fuisse Maximini, vt interfectis Gordianis, viginti viros senatus creauerit, quos opponeret Maximino: è quibus fuerunt Balbinus & Maximus, quos contra eum principes fecerunt. Idem addidit in conspectu Maximini iam deserti à militibus, Anolinum præfectum prætorio ipsius & filiùm eius occisum. Nec desunt historici qui dicant ipsum Maximinum, vbi desertus est, & vbi filium interemptum ante oculos suos vidit, manu sua se interfecisse, nequid ei muliebre contingeret. Prætereundum ne illud quidem est, quòd tanta fide Aquileienses contra Maximinum pro senatu fuerunt, vt funes de capillis mulierum facerent quum deessent nerui ad sagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Vnde in honorem matronarum templum Veneri caluæ senatus dicauit. Sanè quod nullo in loco tacendum est, quum & Dexippus & Arrianus & multi alij Græci scripserunt, Maximum & Balbinum Imperatores contra Maximinum factos: Ma-

Tertium.

Sepulchra nulla Maximinis.

6.

Filij pulchritudo oris, etiam post necem.

Maximini patris atrocia ante supplicium supplicia.

Aquileiensium fides laude dignissima.

7

ximum autem cum exercitu missum, & apud Rauennam bellum parasse, Aquileiam autem nisi victorem non vidisse: Latini scriptores nō Maximum, sed Pupienum contra Maximinum apud Aquileiam pugnasse dixerunt, eundémque vicisse. qui error vnde natus sit scire non possum, nisi fortè idem est Pupienus qui & Maximus. Quod ideo testatum posui, nequis me hoc nescisse crederet quod reuera magnum stuporem ac miraculum creat.

Conclusio, nauos quosdā ex Maximinorū historia tollens.

IVLII CAPITOLINI
Gordiani.

BREVIARIVM.

1 *Gordiani senioris stemmata, diuitiæ, functiones, mores, eruditio, spectacula, soboles.*

2 *Proconsul Africæ gratus omnib. ob vitā eximiam, à plebe ad Imperium capessendum inuitus pertrahitur.*

3 *Quid deinceps actum in Africa, & Romæ, tum à vulgo, tum à Senatu.*

4 *Maximinus aduersus Gordianos & Senatum arma parat. Gordianus filius in prælio cadit. Pater laqueo finit vitam.*

5 *Gordiani filii vita luculenter descripta.*

Ad Constantinum Augustum.

I *Consiliū authoris in describenda Gordianorū vita.*

Erat quidem consilium venerabilis Auguste, vt singulos quosque Imperatores exemplo multorum, libris singulis ad tuam clementiam destinarem. Nam id multos fecisse vel ipse videram, vel lectione conceperam. sed improbum visum est, vel pietatem tuam

mult

multitudine distinere librorum, vel meum laborem plurimis voluminibus occupare. Quare tres Gordianos hoc libro contexui, consulens & meo labori, & lectioni tuæ, ne cogereris plurimos codices voluendo vnam tamen penè historiam lectitare. Sed ne ego qui longitudinem librorum fugi, multitudinémque verborum, in eam incurrisse videar, quam me vrbanè declinare confingo, iam rem aggrediar. *Gordiani* non, vt quidam imperiti scriptores loquũtur, duo, sed tres fuerunt. ídque docente Arriano scriptore Græcæ historiæ, docente item Dexippo Græco autore, potuerunt addiscere. Qui etiam si breuiter, ad fidem tamen omnia persequuti sunt. Horum *Gordianus senior*, id est primus, natus ex patre Metio Marullo, matre Vlpia Gordiana, originem paternam ex Gracchorum genere habuit, maternam ex Trajani Imperatoris: patre, auo, proauo, coss. socero, prosocero, & item alio prosocero, & duobus absoceris coss. ipse cos. ditissimus ac potentissimus, Romæ Pompeianam domum possidens, in prouinciis tantum terrarum habens quantum nemo priuatus. Ipse ex consulatu quem egerat cum Alexandro, ad proconsulatum Africæ missus est ex senatusconsulto. Sed priusquam de imperio eius loquar, dicam pauca de moribus. Adolescens quum esset Gordianus, de quo sermo est, poemata scripsit, quæ omnia extant, & cuncta illa quæ Cicero ex Demetrio & Arato, & Alcionas, & Vxorium, & Nilum: quæ quidem ad hoc scripsit vt Ciceronis poemata nimis antiqua viderẽtur. Scripsit præterea quemadmodum Virgilius Aeneidos, Statius Achilleidos, & multi alij Iliados: ita etiam ille Antoniniados, hoc est Antoninum Pium & Antoninum Marcum, versibus disertissimis, libris xxx, vitam illorum, & bella & publicè priuatímque gesta perscribens. Et hæc quidem puerulus. Postea verò vbi

Tres fuere Gordiani.

Senioris stẽmata nobilissima.

Familiæ honores.

Diuitiæ.

Functiones publicæ.

Mores.

Eruditio, scriptis disertissimis testata.

Et declamationibus.

adoleuit, in Athenæo controuersiis declamauit, audientibus etiam Imperatoribus suis. Quæsturam magnificentissimè gessit ędilitatis suę tempore. XII populo Rom. munera, id est per singulos menses singula de suo exhibuit, ita vt gladiatorum nonnunquam quingena paria exhiberet, nunquam minus centenis quinquagenis: Feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsos vna die mille. Extat sylua eius memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompei, quæ ipsius & patris eius & proaui fuit, quã Philippi temporibus vester fiscus inuasit. In qua pictura etiam nunc continentur cerui palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri XXX, oues feræ C, alces X, tauri Cypriaci C, struthiones Mauri miniati CCC, onagri XXX, apri CL, ibices CC, damæ CC. Hæc autem omnia populo rapienda concessit die muneris quod sextum edebat. Præturam nobilem gessit: post iurisdictionem consulatum primum iniit cum Antonino Caracallo, secundum cum Alexandro. Filios duos habuit, vnum consularem, qui cum ipso Augustus appellatus est, qui iuxta Carthaginem in Africa bello absumptus est: & filiam Meriam Faustinam, quę nupta est Iunio Balbo consulari viro. In consulatibus clarior fuit sui temporis consulibus, ita vt ei Antoninus inuideret, modò prætextas eius, modò latum clauum, modò circenses vltra imperatorium mirans modum. Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum priuatus suam propriam habuit, quum antè Imperatores etiam de Capitolio acciperent vel de palatio. Equos Siculos C, Cappadoces C, permittentibus imperatoribus factionibus diuisit. Et per hæc populo satis charus qui semper talibus commouetur. Cordus dicit in omnibus ciuitatibus Campaniæ, Hetruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni, de proprio illum per quatriduum ludos scenicos & iuuenalia edid

Spectacula magnificentissima, ab eodem exhibita.

Pretura & consulatus eiusdem.

Filij.

Qui patiuntur inuidiã, splendidè vitam degunt.

edidisse. Scripsit & laudes soluta oratione omnium Antoninorum qui ante eum fuerunt. Tantum autem Antoninos dilexit vt sibi quoque, vt multi dicunt, *Antonini*: vt plerique autem asserunt, *Antonii* nomen adscripserit. Iam illud satis constat quod filium Gordianum nomine Antonini, & signo illustrauit, quum apud præfect. ærarij more Romanorum professus filium publicis actis eius nomen insereret.

Illustres viri laudem apud posteros & laudatores inueniunt.

2 POST consulatum proconsul Africæ factus est, adnitentibus cunctis qui Alexandri imperium etiam in Africa clarum per proconsulis dignitatem haberi atque esse voluerunt. Extat epistola ipsius Alexandri, qua senatui gratias agit quòd Gordianum ad Africam proconsulem destinauerit, cuius hoc exemplum est: *Neque gratius mihi quicquam P.C. neque dulcius potuistis efficere quàm vt Antoninum Gordianum proconsulem ad Africam mitteretis, virum nobilem & magnanimum, disertum, iustum, continentem, bonum.* & reliqua. Ex quo apparet quantus vir eo tempore Gordianus fuerit. Amatus est ab Afris ita vt nemo antea proconsulum: ita vt eum alij Scipionem, Catonem alij, multi Mutium, ac Rutilium, aut Lęlium dicerent. Extat eorum acclamatio, quæ à Iunio in literas relata est. Nam quum quadam die factum imperatorium legeret, atque à proconsulibus Scipionibus cœpisset, acclamatum est, *Nouo Scipioni, vero Scipioni, Gordiano proconsuli.* Hæc & alia frequenter audiuit. Et erat quidem longitudine Romana, canitie decora & pompali vultu, ruber magis quàm candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte, verendus. Corporis qualitate subcrassulus. Moribus ita moderatus vt nihil possis dicere quod ille aut cupidè, aut immodestè, aut nimiè fecerit. Affectus suos vnicè dilexit: filium & nepotem vltra morem, filiam & neptem religiosè.

Gordianus propter eximias virtutes, teste ipso Alexandro Seuero proconsul Africæ factus.

Ab Afris amatus.

Et vt alter Scipio agnitus.

Corporis & animi egregia forma conspicuus, & moribus probatus ornatus.

5. 6 7

Socero suo Annio Seuero tantum detulit, vt in familia eius quasi filium migrasse se crederet, vt nunquam cum eo lauarit, nunquam illo præsente sederit. Ante præturam COS. quum esset, aut in domo eius semper mansit, aut si in Pompeiana domo, ad illum vel manè vel serò processit. Vini parcus, cibi parcissimus, vestitu nitidus, lauandi cupidus, ita vt & quater & quinquies in die lauaret æstate, in hyeme bis. Somni plurimi, ita vt in tricliniis si forte apud amicos ederet, etiã sine pudore dormiret: quod videbatur facere per naturam, non per ebrietatem atque luxuriam. Sed boni mores nihil ei profuerũt. Hic enim vita venerabilis, cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Vergilio, cæterísque veteribus agens, alium quàm merebatur exitũ passus est. Nam quum temporibus Maximini hominis sæui atque truculenti, proconsul Africam regeret, eíque legatus filius esset à senatu datus, quúmq; quidam rationalis acriùs cõtra plurimos Afrorum sæuiret quam Maximinus ipse pateretur, proscribens plurimos, interficiens multos, & sibi vltra procurationem omnia vindicans, retunsus deinde à proconsule atque legato, quum nobilibus & consularibus viris ipse minaretur, quúmque Afri tam insolentes iniurias ferre nequirẽt, primùm ipsum rationalem adiunctis sibi plerisque militibus occiderũt. Occiso deinde eo, quum iam orbis terrarum odio contra Maximinum arderet, cœperunt cogitare quemadmodum in Maximinos & rusticos vel Afros ortæ inimicitiæ placarentur. Tunc quidam Mauricius nomine, potens apud Afros decurio, iuxta Tysdrum nobilissima post hæc oratione apud plebem in agro suo velut concionabundus est loquutus, *Gratias habeo diis immortalibus, ciues, quòd occasionem dederunt, & quidem necessariam, prouidendi nobis contra hominem furiosissimum Maximinum. Nos enim qui procuratorem*

Felix ad omnia, præterquam ad imperium.

Sub infelici enim seculo & principe natus, à seditiosis & leuibus hominib. ad summæ dignitatis fastigium euectus, nec sibi, nec suis, nec Reip. vt decebat, consuluit.

torem eius moribus & vita consimilem occidimus, nisi facto Imperatore salui esse non possumus. Quocirca si placet, quoniam non longè est nobilissimus vir proconsul cum filio consulari legato, quorum vtrique mortem pestis illa est minata, sublata de vexillis purpura, Imperatores eos dicemus, adhibitisque insignibus Romano iure firmabimus. Tunc acclamatum est, *Aequum est, iustum est: Gordiane Auguste, dii te seruent feliciter. Imperator es, cum filio imperes.* His actis propere ventum est ad oppidum Tysdrum, inuentúsq; senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lecto, qui circunfusus purpura humi se abiecit, ac retractans eleuatus est. Et quum aliud facere nihil posset, euitandi periculi gratia, quod a Maximini furoribus haud dubie imminebat, Imperatorem se appellari passus est. Erat autem iam octogenarius, & plurimis prouinciis (vt diximus) antè præfuerat: populo Romano ita commendatus suis actibus erat vt toto dignus videretur imperio. Alij quidé occiso iuuene Gordiano filio suo, quod Gordianus antè nescierat: sed vbi rem comperit, iam morti vicinus, & filio magis timens, maluit honestas causas habere moriendi quam dedi vinculis & carceri Maximini.

Inconditis clamoribus multitudinis efferatæ non satis fortiter cedit.

Vitandi periculi causa nihil agendũ quod te & Remp. in maius periculũ detrudat.

3 APPELLATO igitur Gordiano Imperatore, iuuenes qui autores huius facinoris erant, statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus erasérũt. Ipsum etiam Gordianum *Africanum* appellauerunt. Addunt quidam Africani cognomentum Gordiano idcirco inditum, nó quòd in Africa imperare cœpisset, sed quòd de Scipionum familia originem traheret. In plurimis autem libris inuenio & hunc Gordianum, & filium eius pariter Imperatores appellatos, & *Antoninos* cognominatos: alij verò *Antonios*. Post hoc Carthaginem ventum cum pompa regali & fascibus laureatis: filiúsque legatus patris, exemplo Scipionum, (vt De-

Iuueniles impetus nõ refrenat. Stabiliendũ prius fuit imperiũ, & legitimis rationibus tyrannus opprimẽdus: deinde statuæ & imagines perfringendæ.

xippus Græcæ historiæ autor est) gladij potestate succinctus est. Missa deinceps legatio Romam est cum literis Gordianorum, hæc quæ gesta fuerant in Africa indicans: quæ per Valerianum principem senatus, qui postea imperauit, gratanter accepta est. Missæ sunt & ad amicos nobiles literæ, vt homines potentes & rem probarent & amiciores fierent ex amicis. Sed tanta gratulatione factos contra Maximinum Imperatores senatus accepit, vt non solùm gesta hæc probarent, sed etiam viginti viros eligerent, inter quos erat Maximus siue Pupienus, & Clodius Balbinus: qui ambo imperatores sunt creati, posteaquam Gordiani duo in Africa interempti sunt. Illos sanè viginti, senatus ad hoc creauerat vt diuideret his Italicas regiones contra Maximinum pro Gordianis tuendas. Tunc legationes à Maximino Romam venerunt abolitionem præteritorum spondentes. Sed vicit Gordianorum legatio, quæ bona omnia pollicebatur, ita vt eidem crederetur: & ingens militibus stipendium, populo agri atque congiaria promissa. Vsque adeo autem magis Gordianis quam Maximinis est creditum, vt Vitalianus quidam, qui prætorianis militibus præerat, per audacissimos quæstorem & milites iussu senatus occideretur: quòd se antea crudeliter egerat, & tunc eius magis immanitas timebatur, amica & familiaris moribus Maximini. de cuius morte hæc fabella fertur. Fictæ sunt literæ Maximini, signatæ quasi eiusdem annulo, & missi cum quæstore milites qui eas ferrent, addentes quædam præter literas secretò esse dicenda. Longam igitur porticum petierunt: & quum ille ea quæ sibi erant secretò dicenda, perquireret, hortantibus vt priùs signum inspiceret epistolæ, dum considerat, interemptus est. Persuasum deinde est militibus, iussu

Quanuis autem Senatus authoritatem prudēter requisiuerit: quæ maioris erāt & potioris momenti nō erant omittenda: Reip. nempe certa salus & cura diligentissima.

Inde Vitaliani cædes intempestiua.

Proditione & mēdaciis velata.

iussu Maximini Vitalianum interemptum: peractisque rebus, in castris Gordianorum & literæ & vultus sunt propositi. Interest vt senatusconsultum, quo Gordiani Imperatores appellati sunt, & Maximinus hostis, literis propagetur. Non legitimo sed indicto senatus die COS. iam domi conuentus cum prætoribus, ædilibus, & tribunis plebis venit in curiam. Præfectus vrbis, cui nescio quid redoluerat, & qui publicas literas non acceperat, à conuentu se abstinuit. Sed profuit: nam COS. ante solitas acclamationes priusquam aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ait, *P.C. Gordiani duo, pater & filius, ambo ex COSS. vnus vester proconsul, alter vester legatus, magno Afrorum consilio Imperatores sunt appellati. Gratias igitur agamus Tysdritanæ iuuentuti, gratias Carthaginensi populo semper deuoto, qui ab immani nos bellua, ab illa fera vindicauerunt. Quid timidè auditis? quid circumspicitis? quid cunctamini? hoc est quod semper optastis. Hostis est Maximinus: dii faciant vt esse iam desinat, & Gordiani senis felicitatem atque prudentiam, iuuenis virtutem atque constantiam læti experiamur.* Post hæc literas legit Gordianorum, ad senatum & ad se missas. Tunc clamauit senatus, *Dii vobis gratias. Liberati ab hostibus sumus, si penitus liberemur. Maximinum hostem omnes iudicamus. Maximinum cum filio diis inferis deuouemus. Gordianos Augustos appellamus. Gordianos principes agnoscimus. Imperatores de senatu dii conseruent: Imperatores nobiles victores videamus: Imperatores nostros Roma videat. Hostes publicos qui occiderit, præmium merebitur.* Dicit Iunius Cordus istud senatusconsultum fuisse tacitum: quod quale sit, aut quare sic appellatum, breui exponam. Omnino exemplum senatusconsulti taciti non aliud est hodie quàm quòd vestra clementia, conuocatis ad interiora maioribus, ea disponit quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adiurare

Et Gordianorum electio in Africa tacito Senatuscõsulto sancitur. Vbi animaduerte hominum in mediis tumultuum & seditionum ciuilium vndis fluctuantium artes.

Quid sit tacitum Senatusconsultũ.

etiam ſoletis nequis ante rem completam quicquam vel audiat vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres neceſſitates publicæ repererunt, vt ſi forte aliqua vis ab hoſtibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare conſilia, vel aliqua conſtituere quæ non prius oporteret dici quam effici, vel ſi nollent ad amicos aliqua permanare, ſenatuſconſultum tacitum fieret: ita vt non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actibus intereſſent, ſenatores exciperent, ſenatores omnium officia cenſualium ſcribarúmque complerent, nequid forte proderetur.

Cur inductum apud veteres.

4 FACTVM eſt ergo ſenatuſconſultum tacitum ne res ad Maximinum perueniret. Sed ſtatim ille (vt ſe habent hominum mentes, eorum duntaxat qui erubeſcunt per ſe ea nō agnoſci quæ ſciunt, & qui humiles ſe putant ſi commiſſa non prodant) omnia comperit Maximinus, ita vt exemplum ſenatuſconſulti taciti acciperet, quod nunquam antè fuerat factitatum. Extat denique eius epiſtola ad præf. vrbis talis, *Senatuſconſultum tacitum veſtrorum illorum principum legi, quod præfectus vrbis factum eſſe fortaſſe non noſti: nam nec interfuiſti. cuius exemplum ad te miſi, vt ſcires quomodo Romanam remp. regeres.* Enarrari autem non poteſt quæ commotio fuerit Maximini quum audiuit contra ſe Africam deſciuiſſe. Nam ſenatus autoritate percepta, incurrere in parietes, veſtem ſcindere, gladium arripere, quaſi omnes poſſet occidere, prorſus furere videbatur. Præfectus vrbis acceptis literis acrioribus, populum & milites alloquutus eſt, dicens, Maximinum iam occiſum. Ex quo maius fuit gaudium, ſtatimque deiectæ ſunt ſtatuæ atque imagines eius qui hoſtis fuerat iudicatus. Vſus eſt ſane ſenatus pendente bello poteſtate qua debuit. Nam delatores, calumniatores, procuratores, & omnem illam fæcem Maximinianæ tyran

Nihil principibus abs conditū, præſertim quū inter reip. conſiliarios ſedent improbi & viמarum pleni homines.

Tyranni cōmotio graphicè delineata.

Populi violentus impetus.

tyrannidis occidi senatus iussit. Atque parum fuit quod senatus iudicauerat, illud populi iudicium fuit quod occisi tracti sunt, & in cloacam missi. Tūc & præfectus vrbi Sabinus, consularis vir, fuste percussus, occisus & in publico derelictus est. Hæc vbi comperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere concionis, *Sacrati commilitones, imò etiam mei consecranei, & quorum mecum plerique verè militatis, dum nos in Germania Romanam defendimus maiestatem, dum nos Illyricum à barbaris vindicamus, Afri fidem Punicam præstiterunt. Nam duos nobis Gordianos, quorum alter senio ita affectus est vt non possit assurgere, alter ita luxurie perditus vt debilitatem habeat pro senectute, Imperatores fecerunt. Et nec hoc parum est, sed factum Afrorum nobilis ille senatus agnouit, & pro quorum liberis arma portamus, hi contra nos viginti viros statuerunt, & omnes velut contra hostes sententias protulerunt. Quinimo agite vt viros decet. Properandum est ad vrbem. Nam & viginti viri consulares contra nos lecti sunt, quibus resistendum est nobis fortiter agentibus, vobis feliciter dimicantibus.* Lentas militum mentes & suorum minus alacres animos hac concione Maximinus sæpe cognouit. Denique statim ad filium scripsit, qui longe pòst sequebatur, vt accelerararet, nequid contra eum se absente milites cogitarent. Literarum exemplum tale Iunius Cordus dicit: *Referet ad te stipator meus Tycannius, quæ gesta cognoui vel in Africa vel Romæ: referet quæ sint militum mentes. Quæso quantum potes, properes: nequid, vt soles, militaris turba plus faciat. Quid verear, ex eo audies quem ad te misi.* Dum hæc aguntur, in Africa contra duos Gordianos Capelianus quidam, Gordiano & in priuata vita semper aduersus, & ab ipso imperatore iam quum Mauros Maximini iussu regeret veteranus dimissus, cum lectis Mauris & tumultuaria manu accepto Gordiano successore Carthaginem petiit, atque omnes fide Punica Car-

In tyrannidis mancipia seuera animaduersio.

Inde tyranniconiuratio in perniciem S.P.Q.R. acerba oratione & minacibus verbis testata.

Sed militibus non satis probata.

Vnde metus, quasi imminentis exitij præsagium.

Prius verò Gordiani in Africano, tacito quodam Numinis iudicio, sua impru-

dentis cunctationis luũt pœnas: & populi illi tumultuantes ac inconstantis fidei meritò puniuntur, Maximinis patre & filio, ad fatales pœnas, quas suis sceleribus attrahunt, reseruatis.

thaginensium populos inclinauit. Gordianus tamen fortunam belli experiri cupiens, filium suum iam natu grandiorem, XL & VI annos agentem, quem tunc legati loco (vt diximus) habuerat, contra Capelianum & Maximinianos misit, virum de cuius moribus suo loco dicemus. Sed quum in re militari & Capelianus esset audacior, & Gordianus iunior non tam expertus, quippe qui nobilitatis deliciis tardabatur, pugna commissa vincitur & in eodem bello interficitur. Fertur autem tanta multitudo Gordiani partium in bello cecidisse, vt quum diu quæsitum sit corpus Gordiani iunioris, non potuerit inueniri. Fuit præterea ingens, quæ rarò in Africa est, tempestas, quæ Gordiani exercitum ante bellum ita dissipauit vt minus idonei milites prælio fierent, atque ita facilis esset Capeliani victoria. Hæc vbi comperit senior Gordianus, modicas vires suas, Maximini magnas, instantem Capelianum, rarámque Punicam fidem considerans, & acri dolore percitus, vt vincula etiam hostium euitaret, laqueo vitam finiuit, & vitam cum imperio reliquit. Hic exitus duorum Gordianorum fuit, quos ambo senatus Augustos appellauit, & postea inter diuos retulit. Imperauerunt anno vno, mensibus sex.

Gordiani iunioris vitá.

5 GORDIANVS iunior hic Gordiani senis proconsulis Africæ filius, qui cum patre & ab Afris & a senatu Augustus appellatus est, literis & moribus clarus fuit præter nobilitatem: quam, vt nonnulli, ab Antoninis, vt plurimi, ab Antoniis duxit. Siquidem argumento ad probandam generis qualitatem alij hoc esse dixerunt, quòd *Africanus* Gordianus senior appellatus est, cognomine Scipionum, quòd domum Pompeianam in vrbe habuit quòd Antoninorum cognomine semper est nuncupatus, quòd *Antoninum* filium suum ipse significari voluit in senatu: quæ singula videntur familias designare

Cognomen.

ſignare. Sed ego Iunium Cordum ſequor, qui dicit ex omnibus his familiis Gordianorum coaluiſſe nobilitatem. Idem igitur natus patri primus ex Fabia Oreſtilla Antonij pronepte, vnde Cæſarum quoque familiam contingere videbatur. Et primis diebus ſui natalis Antoninus eſt appellatus. Mox in ſenatu Antonini nomen eſt editum, vulgò deinde Gordianus haberi cœptus. In ſtudiis grauiſſimæ opinionis fuit, forma conſpicuus, memoriæ ſingularis, bonitatis inſignis, adeo vt ſemper in ſcholis ſi quis puerorum verberaretur, ille lacrymas non teneret. Sereno Sammonico, qui patri eius amiciſſimus, ſibi autem præceptor fuit, nimis acceptus, & charus vſqueadeo vt omnes libros Sereni Sammonici patris ſui, qui cenſebantur ad ſexaginta & duo millia, Gordiano minori moriens ille relinqueret: quod eum ad cælum tulit. Siquidem tantæ bibliothecæ copia & ſplendore donatus in famam hominum literatorum decorè peruenit. Quæſturam Heliogabalo autore promeruit, idcirco quòd luxurioſo imperatori laſciuia iuuenis, non tamen luxurioſa neque infamis, prædicata eſt. Præturam Alexandro autore vrbanam tenuit, in qua tantus iuriſdictionis gratia fuit, vt ſtatim conſulatum quem pater ſerò acceperat, mereretur. Maximini, ſeu eiuſdem Alexandri, temporibus ad proconſulatum patris miſſus legatus eſt obſequutus: atque illic ea quæ ſuperius dicta ſunt, contigerunt. Fuit vini cupidior, ſemper tamen vndecunque conditi, nunc roſa, nunc maſtiche, nunc abſinthio, cæteriſque rebus quibus gula maximè delectatur. Cibi parcus, ita vt intra punctum temporis vel prandium, ſi pranderet, vel cœnam finiret. Mulierum cupidiſſimus: habuiſſe enim decretas ſibi concubinas xx & II fertur. Ex quibus omnibus ternos & quaternos filios reliquit. Appellatúſque eſt *ſui temporis Priamus*, quem vulgò

Mater. *Studia.* *Forma.* *Mores.* *Fama ob ſtudium erga literas & literatos.* *Quæſtura.* *Prætura.* *Conſulatus.* *Legatio.* *Luxuria multiplex, vnde illi ob ſcænum cognomen.*

vocantes, quòd esset naturæ propensioris, *Priapum* non Priamum sæpe vocitarunt. Vixit in deliciis, in hortis, in balneis, in amœnissimis nemoribus. Nec pater aspernatus est, sæpissimè dicens illum quandoque in summa claritate citò esse moriturum. Nec tamen in vita sua fortunæ bonis vnquam degenerauit, sempérque inter illustrissimos fuit, nec ciuibus nec reip. ad consultationem defuit. Denique etiam senatus libentissime illum Augustum appellauit, atque in eo spem publicam posuit. Vestitu cultissimus, seruis & omnibus suis charus. Cordus dixit vxorem eum nunquam habere voluisse. Contrà Dexippus putat eius filium esse Gordianum tertium, qui post hoc cum Balbino & Pupieno, siue Maximo, puerulus adeptus est imperium. Quum senior Gordianus mathematicum aliquando consuleret de genitura huius, respondisse ille dicitur, hunc & filium imperatoris, & ipsum Imperatorem futurum. Et quum senior Gordianus rideret, ostendisse constellationem mathematicum ferunt, & de libris veteribus dictasse, ita vt probaret se vera dixisse. Qui quidem & seni & iuueni, & diem & genus mortis, & loca quibus essent perituri, obstinata constantiæ veritate prædixit. Quæ omnia postea Gordianus senior in Africa iam Imperator & quando nihil timebat, narrasse perhibetur: de morte quinetiam sua filiíque, & de genere mortis dixisse. Cantabat preterea versus senex, quum Gordianum filium vidisset, hos sæpissimè,

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Esse sinent, nimium vobis Romana propago
Visa potens superi, propria hac si dona fuissent.

Extant dicta & soluta oratione & versibus Gordiani iunioris, quæ hodie ab eius affinibus frequentantur, non magna, non minima, sed media, & quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed luxuriantis & suum

Prudentia. *Dignitas.* *Munditiet.* 20. *Genitura, et imperii prædictio mira.* *A Gordiano patre narrata.* *Eruditio qualis.*

suum deferentis ingenium. Pomorum & olerum auidissimus fuit, in reliquo ciborum genere parcissimus: adeò vt semper pomorum aliquid recentium deuoraret: frigidorum percupidus. Nec facilè per æstatem nisi frigida, & quamplurimùm, bibit. Et erat corporis vasti: quare magis ad frigida vrgebatur. Hæc de Gordiano iuniore digna memoratu comperimus: non enim nos talia dicere voluimus quæ Iunius Cordus ridicule ac stultè composuit de voluptatibus domesticis cæterisque infimis rebus. quę qui velit scire, ipsum legat Cordum, qui dicit & quos seruos habuerit vnusquisque principum, & quos amicos, & quot penulas, quótve chlamydes: quorum etiam scientia nulli prodest. *Siquidem ea debent in historia poni ab historiographis, quæ aut fugienda sint aut sequenda.* Sane quidem quod apud Vulcatium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, videtur mirabile, inserendum censui. Dicit enim Gordianum seniorem Augusti vultum sic repręsentasse, vt & vocem & morem & staturam eiusdem ostentare videretur: filium verò, Pompeio simillimum visum. quanuis Pompeius obesi corporis fuisse denegatur. Nepotem autem cuius etiam nunc videmus imagines, Scipionis Asiatici faciem retulisse. quod pro sui admiratione tacendum esse non credidi.

Auiditas circa certos quosdam cibos.

Quid historia complecti debeat, appositum Iul. Capitolini iudiciũ.

Mirabile quid de Gordianis.

HERODIANI

Maximus & Balbinus.

BREVIARIVM.

1 *Post cædem Maximinorum Aquileiæ & Romæ status.*

2 *Maximus, Imperator, quo affectu sit ab Aquileiesib. & exercitu exceptus. Eiusdé oratio ad milites, qua habita Romam reuertitur.*

3 *Milites, nefaria conspiratione inita, Imperatores Maximum & Balbinum interficiunt. Gordianus tertius, annos natus tredecim, princeps ab vniuersis declaratus Romanum suscipit imperium.*

1 *Milites strenuo duce orbati perterrentur.*

EXERCITVS audita nece Maximinorum hærebat. Neque enim perinde omnibus grata, præsertimque Pannoniis Thracibúsque barbaris, qui scilicet imperium illi tradiderant. Sed quando infectum fieri iam nequibat, ferebant, quanquam inuiti, & se gaudere cum cæteris simulabant. Quare depositis armis, pacatorum habitu, ad Aquileiæ muros accesserunt: nuntiatáque cæde Maximini, petebant vti sibi portæ aperirentur amicis iam, qui pridie hostes fuissent. Enimuero Aquileiensium duces haud passi, proponunt Maximi & Balbini, ac Gordiani Cæsaris imagines, coronis & lauro redimitas. Quibus ipsi acclamantes, etiam hortabantur exercitum vt agnoscerent salutaréntque, & lætis exciperent vocibus, quos senatus populúsq; Romanus Imperatores elegisset. nam Gordianos illos superiores in cœlos migrasse, & cum diis agere æuum. Sed & forum rerum venalium supra

Simulatio vindictæ mater.

Exercitui reconciliationē & amicitiam simulanti non leuiter fidendum.

pra

pra muros exposuerunt, magna ciborum vinique copia, prætereáque vestium & calceorum, rerúmque adeo omnium quas præbere hominibus posset ciuitas beata & florens. Igitur magis magisque ea res exercitum obstupefecit, cogitantem fuisse illis abundè omnia, etiam ad longiorem obsidionem suffectura: contráque se magna egestate omnium, prius aliquanto fuisse perituros quam vrbe omnibus circunfluente copiis potirentur. Ita manente sub muris exercitu, & quæ cuique vsui forent, inde sumentibus, colloquentibúsque inter se, pacis erat amicitięque velut habitus, manente adhuc obsidionis specie, quum scilicet clausa mœnia Romanus circunsideret exercitus. Dum hæc ad Aquileiam geruntur, interea equites qui Maximini caput Romam ferebant, magno studio accelerantes, patentibus vbique portis, ac laureata popularium frequentia excepti, stagnis paludibúsque inter Altinum ac Rauennam enauigatis, Maximum in vrbe Rauenna inuenerunt, delectos ex vrbe & Italia contrahentem milites, ac Germanorum auxiliares qui beneuolentiæ nomine publicè à popularibus missi fuerant, quibus olim Maximus cum imperio diligentissimè præfuerat. Ergo paranti copias aduersus Maximinum repentè occurrunt equites, capita ferentes principum victoriámque nuntiantes, & rerum prosperos successus, consensúmque exercitus & populi ad eosdem colendos principes quos senatus elegisset. His igitur præter spem nuntiatis, statim ad aras sacrificatum discurritur, victoriam canentibus vniuersis, quam citra pulueris iactum sibi pepererant. Enimuero Maximus peracto sacrificio, Romam dimittit equites vt rem gestam populo narrent, & capita illa perferant. Qui postquam peruenere in vrbem, atque infixa contis hostilia capita omnibus conspicienda prætulerunt, nemo vtique

Sed ad officium vlcerati animi modis qui tempori, loco & personis conueniunt, sunt reuocandi.

Faustũ nuntium ferentes pedibus addat alas: nec suo tamen nec aliorum voto tempestiuè satisfacient.

Tyrannis extinctis, incredibilis fit liberati populi lætitia.

verbis vllis consequi posset festum lętitiámque eius diei. Nulla quippe fuit ętas quę non ad aras & templa festinaret, nemo qui domi se continuerit: sed ibant ceu lymphati gratantes inuicem, atque in circum veluti futura concione frequentes concurrebant. Ipséque Balbinus hecatombas immolabat, nullíque non magistratus, nulli non è senatorio ordine lætabundi supra quàm dici posset agitabant, quasi securim ceruicibus imminentem excussissent. Igitur nuntij legatique per omnes prouincias laureati dimittebantur.

Cui lætitiæ Optimates participant ante alios: his enim præcipuè securis imminebat.

2 QVVMQVE ad hunc modum tanta Romanum populum lætitia tenebat, interea Maximus Rauenna profectus, Aquileiam peruenit transmissis paludibus, in quas fluuius Eridanus ac vicina exundant stagna, sic vt per ora septem in mare præcipitentur. Itaque indigenæ patria lingua paludem illam, septem maria appellant. Statim igitur Aquileienses Maximum reseratis portis excepere, nullæque non Italiæ ciuitates legatos mittebant, principes viros candidatos ac laureatos: & deorum patriorum simulacra aureásque coronas, siquæ in donariis fuerant, comportantes, qui fausta omnia Maximo acclamarent, & frondibus eum conspergerent. Quin exercitus etiam qui Aquileiam circunsederat, pacato habitu prodibat laureatus, non tam vero concordique affectu vniuersorum, quàm ficta beneuolentia & honore temporario ad præsentem fortunam principis accommodato: plerisque tamen indignantibus ac dolentibus clanculum, quem ipsi elegerãt, cecidisse, rerum potiri quem senatus creauerat. Enimuero Maximus vno alteróque die sacrificiis absumpto, tertio dein, exercitum omnem in planitiem conuocauit, atque ex tribunali ad hunc modum verba fecit, *Quam fuerit ex vsu vobis pænitentia & reconciliata cum Romanis gratia, re ipsa didicistis, pacem*

Maximi placidi principis ad Aquileienses sitos imperij subditos gratus aduentus.

Ingratus autem militibus bellis et prædæ sub truculento duce assuetis.

pacem videlicet pro bello agitantes, seruato etiam militari iureiurando, quod est vnum Romani principatus mysterium sanctissimum. Quare debetis etiam deinceps huiuscemodi commodis frui, fidem populo seruantes senatuique Rom. & nobis Imperatoribus, quos à nobilitate & rebus gestis, longáque serie generis, quasi per gradus quosdam prouectos, pari iudicio S.P.Q.R. elegerunt. Neque enim vnius tantùm hominis peculiaris possessio principatus est, sed communis antiquitus totius Romani populi. Siquidem in illa vrbe sita est imperii fortuna, nobis autem dispensatio tantùm atque administratio principatus vnà vobiscum demandata est. Qui si ordinem, quem decet, at modestiam retinebitis, si debitum principibus honorem ac reuerentiam exhibebitis, cum ipsi beatam vitam bonisque omnibus affluentem adipiscemini, tum nationes ac ciuitates vniuersæ pacem colentes in officio permanebunt. Viuetis autem cuncti ex animi vestri sententia domi suę quisque, neque in externis regionibus conflictabimini. Vt autem barbaræ etiam gentes pacem quietémque tueantur, nobiscum erit hic labor. Nam quum duo sint Imperatores, facilius vrbanæ res administrabuntur atque externæ, sicubi necessitas vrgeat, præsto scilicet futuro facilè alterutro, quocunque vsus vocauerit. Neque verò suspicemini rerum superiorum memoriam vllam superfore, aut in nobis (quippe nihil non iussi fecistis) aut in Rom. pop. nationibúsque aliis quæcunque ob acceptas iniurias desciuerunt. Sit omnium obliuio, sit fœdus constantis amicitiæ, fidésque beneuolentiæ ac moderationis sempiterna. Hæc loquutus Maximus, ac pecunias magna copia pollicitus, paucos Aquileiæ commoratus dies, Romam reuerti constituit. Igitur dimisso exercitu reliquo in prouincias castráque propria, Romam reuertitur ipse cum stipatoribus iis quibus Imperatorum custodia incumbebat, quique delecti à Balbino fuerant, neque nō auxiliaribus Germanis, quorum potissimùm fidei confidebat, vtpote quibus olim nondum adepto imperio cum potestate præfuerat, mo-

Quos tamen moderata et imperatore digna oratione (vt decuit) ad bonam mentem reuocare conatur.

Additis præmiorum pollicitationib. At effera animi nunquam placantur.

deratè se gerens. Ingredienti vrbem etiam Balbinus occurrit, Gordianum Cæsarem secum adducens. Senatus autem populúsque vniuersus, lætis acclamationibus veluti triumphantes exceperunt.

Nec principum cũ modestia & grauitate imperantium authoritatem suscipiunt.

3 Post id autem, quum publice priuatímque magna modestia & grauitate imperium gubernaretur, omnésq; omnia bona dicerent, lætaretúrque populus & gloriaretur patritiis imperióque dignis principibus, militum tamen vlcerosi animi populares illas acclamationes haud æquis auribus accipiebant, ipsámque illam nouitatem grauabantur, indignè ferentes datos sibi à senatu principes. Angebant præterea eos Germani quos in vrbe secum Maximus retinuerat. Nam futuros vindices sperabant, siquid ipsi maius ausi forent: etiámque insidias suspectabant, ne forte ab illis per fraudem exarmarentur, illique vt præsentes, facilè in ipsorum locum substituerétur: memores Seueri principis, qui etiam Pertinacis interfectores exautorauerat. Quum itaq; ludi Capitolini celebrarentur, deditis festo ac spectaculis omnium mentibus, repente dissimulatum diu sensum milites indicarunt. Nanque ira instincti ac vesano quodam motu vnanimiter ad regiam cócurrentes, senes principes ad necem deposcebant. Fortè accidit vt ne ipsi quidé inter se satis congruerent: sed (vt est regnandi inexhausta auiditas atque incommunicabilis natura potestatis) vterque ad se summam imperij trahebat. Etenim Balbino claritudo natalium, atque iterum gestus consulatus, Maximo autem præfectura vrbis, & quòd rerum peritus habebatur, animos faciebant: vtrunq; tamen patritia nobilitas, & quantum satis esset, illustre genus, ad summum imperium stimulabant. Quæ res imprimis ambos perdidit. Nam audito Maximus venisse ad se occidendum milites qui prætoriani appellantur, arcessere statim Germanos auxiliares statuerat

Immò temporis, & diffidij ex ambitione ipsorum principum exorti, occasione arrepta, parricidium animo conceptum manu pariunt.

tuerat

tuerat, qui scilicet in vrbe ipsa erãt, ac posse resistere prætorianis videbantur. At Balbinus dolum contra se compositámq; aliquam suspectans fraudem, quòd studere Maximo Germanos cognouerat, prohibuit acciri illos, negans ad prohibendos repellendósque prætorianos conuocari, sed id agi vt summa rerum solus Maximus potiatur. Ac dum inter se ad hunc modum disceptant, ecce tibi vnanimiter milites impetu in aulam facto, turbatis ianuarum custodibus, senem corripiunt vtrunque, laceratisque vestibus quas gerebant, vilioribus sanè, vtpote domi se cótinentium, nudos ipsos ex aula abstrahunt, ac per omnem ignominiam cótumeliámque cædentes irridentésq; senatorios Imperatores, barbámque & supercilia vellentes, neq; vlli parcẽtes corporis totius ludibrio, per mediam vrbem ad castra deducebant, ne occidere quidem illos in regia decreti, sed lento mortis genere prius excarnificare, quo dolorẽ diutius perpeterẽtur. Sed vbi Germanos re deinde cognita, raptis armis in auxilium concurrere nuntiatum prætorianis est, statim illos nullo non ludibrio prius affectos contrucidant. Relictisq; in ipsa via cadaueribus, tollentes in altum manibus Gordianum Cæsarem, quando aliud nihil in præsens occurrit, Imperatorem consalutabant: idẽtidem ad populum vociferãtes, iacere ipsorum manu, quos populus ab initio recusauerat, electúmque Gordianũ Gordiani nepotem, quem ipse Rom. pop. ad imperium cópulisset. Hunc igitur secum deducẽtes, coiere in castra, clausisque portis quieti agitabant. At Germani vbi occisos proiectósq; audierunt quorum causa properauerant, quum nollent irritũ bellum pro viris vita defunctis suscipere, in sua diuersoria reuertuntur. Hunc finẽ vitæ habuerunt, indignũ videlicet ac nefariũ, sancti & venerabiles senes, claritudine generis atq; egregiis meritis ad imperij fastigium prouecti.

Et proculcato omni officio ac pudore, immaniter seuiunt in venerabiles principes. Nulla fides barbaris & mercenariis qui castra sequuntur.

Populo deinde illudunt: & Germani irritum bellum detrectant. Horrenda imperij Romani facies, & mira rerum humanarum vicissitudo.

Cæterùm Gordianus quum annorum esset fermè tredecim, princeps ab vniuersis declaratus, Romanum suscepit imperium.

IVLII CAPITOLINI
Maximus & Balbinus.

BREVIARIVM.

1 *Maximus & Balbinus, post Gordianorum interitum, Imperatores eligũtur contra Maximinos, à Senatu.*

2 *Populus Romanus imperio Maximi contradicens Gordianum adolescentu lum principem petit, qui Cæsar appellatur. Maximi & Balbini genus & mores.*

3 *De munere gladiatoris & venatu digressio. Seditio cruenta Romæ, Maximo ad bellum profecto, qua ratione sedata. Maximinus nouis Imperatoribus formidabilis variis artibus pessundatur, cùm maxima Balbini lætitiæ demonstratione.*

4 *Maximo victoria decernitur. Milites à Senatu irritati, Imperatores acerrimo odio prosequuntur. Discordiæ tacitæ inter Maximum & Balbinum, qui à militibus intercepti & occisi sunt. Gordianus Cæsar, à militibus sublatus Imperator appellatur.*

5 *De Maximi et Balbini dictis et rebus gestis miscellanea quædam. Gratulatoria Claudii Iuliani Consulis ad eosdem epistola, de Republ. restituta post Maximinorum cædem.*

1 *Sublatis bonis principibus, Senatus trepidat.*

INTEREMPTIS in Africa Gordiano Seniore cum filio, cùm Maximinus ad vrbem furens veniret, vt, quod Gordiani Augusti appellati fuerant, vindicaret, Senatus

natus pertrepidus in ædem Concordiæ VII. Cal. Iunij concurrit, ludis Apollinaribus, remedium cõtra furorem hominis improbissimi requirẽs. Quum igitur duo cõsulares, & eminentes quidem viri, Maximus & Balbinus (quorum Maximus a plerisque in historia reticetur, & loco eius Pupieni nomen infertur: quum & Dexippus & Arabianus Maximum & Balbinum dicant electos contra Maximinum post Gordianos, quorum alter bonitate, virtute alter ac seueritate, clari habebantur) ingressi essent curiam, ac præ se timorem Maximini aduentu ferrent ostenderentque, referente COS. de aliis rebus, qui primam sententiam erat dicturus, sic orsus est, *Minora nos solicitant, & propè aniles res feruentissimo tempore tractamus in curia. Quid enim opus est de restitutione templorum, de basilicæ ornatu, de thermis Titianis, de exædificatione amphitheatri agere: quum immineat Maximinus, quem hostem mecum antè dixistis: Gordiani duo, in quibus præsidium fuerat, interempti sint, neque in præsenti vllum sit auxilium, quo respirare possimus? Agite igitur P.C. principes dicite. Quid moramini? ne dum singulatim pertimescitis, in timore potiùs quàm in virtute opprimamini.* Post hæc tacentibus cunctis, quum Maximus, qui & natu grandior erat & meritis, & virtute ac seueritate clarior, dicere sententiam cœpisset, qua ostenderet duos principes esse faciendos, Vectius Sabinus ex familia Vlpiorum, rogato consule vt sibi dicere atque interfari liceret, sic orsus est, *Scio P.C. hanc rebus nouis inesse oportere constantiam, vt rapienda sint consilia non quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, vbi res perurget. Ceruices suas quisque respiciat, vxorem ac liberos cogitet, auitas patriásque fortunas, quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis, causa verò (vt sibi videtur) satis iusta, truculentior. Ille quadrato agmine, castris vbique positis, ad vrbem tendit, vos sedendo &*

Et remediũ aduersus crudelis tyranni violẽtiam quærit

Consultatio solicita & difficilis.

Remedium à Maximo propositum.

A Vectio Sabino probatum & rationibus con firmatum.

consultando diem teritis. Longa oratione opus non est: faciendus est Imperator, imò faciendi sunt principes: vnus qui res domesticas, alter qui bellicas curet. vnus qui in vrbe resideat, alter qui obuiam cum exercitu latronibus pergat. Ego principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite. Maximum igitur atque Balbinum. quorum vnus in re militari tantus est vt nobilitatem generis splendore virtutis allexerit: alter ita clarus nobilitate est, vt & morum lenitate reipublicæ sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper ac lueris tenuit. Habetis sententiam P. C. mihi fortasse periculosiorem quàm vobis: sed nec vobis satis tutam, si non aut alios aut hos principes feceritis. Post hæc acclamatum est vno consensu, *Aequum est, iustum est. sententiæ Sabini omnes consentimus. Maxime & Balbine Augusti, dii vos seruent, dii vos principes fecerunt, dii vos conseruent. Vos senatum à latronibus vindicate, vobis bellum contra latrones mandamus. Hostis publicus Maximinus cum filio pereat, hostem publicum vos persequemini. Felices vos iudicio senatus: felicem rempublicam vestro imperio. Quod vobis senatus detulit, fortiter agite: quod vobis senatus detulit, libenter accipite.* His atque aliis acclamationibus Imperatores facti sunt Maximus atque Balbinus.

Imperatores duo nominati: nẽpe Maximus & Balbinus, ad tantum onus ferendũ pares, propter eximias fortunæ, corporis & animi dotes.

Acclamationes, Imperatoriũ munus designãtes.

3.

2 EGRESSI igitur à senatu, primùm Capitolium ascenderunt, ac rem diuinam fecerunt. Sed dum in Capitolio rem diuinam faciunt, populus Romanus imperio Maximi contradixit. timebant enim seueritatem eius homines vulgares. Quare factum est vt Gordianum adolescentulum principem peterent, qui statim factus est: nec priùs permissi sunt ad palatium stipati armis ire quàm nepotem Gordiani, Cæsaris nomine nuncuparent. Deinde ad rostra populum conuocarunt. Vbi quum orationem de senatus sententia & de sua electione habuissent, populus Romanus cum militibus qui forte conuenerant, acclamauit,

Imperij auspicia, à Religione. At populus Seuerum principem detrectat.

Gordianum Cæsarem omnes rogamus. Hic nepos erat Gordiani ex filia, vt quidam: vel vt alij, ex filio qui est in Africa occisus, annum agens ætatis XIIII, vt plerique dicunt: qui statim raptus est, & nouo genere senatusconsulti quum eadem die senatuscons. factum esset, inductus in curiam, Cæsar est appellatus.

Et iuuenem principem senioribus adiungit.

¶ Prima igitur relatio principum fuit, vt duo Gordiani diui appellarentur. Aliqui autem vnum putant appellatum, seniorem videlicet: sed ego libris quos Iunius Cordus affatim scripsit, legisse memini ambos in deos relatos si quidem senior laqueo vitam finiuit: iunior autem in bello consumptus est, qui vtique maiorem meretur reuerentiam quòd eum bella rapuere. Post has igitur relationes præfectura vrbis in Sabinum collata est, virum grauem, & Maximi moribus congruentem: prætoriana in Pinarium Valentem. Sed prius quàm de actibus eorum loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere non eo modo quo Iunius Cordus est prosequutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus & Valerius Marcellus: quanuis Curius Fortunatianus, qui omnem hanc historiam perscripsit, plura congerit: Cordus verò tam multa vt etiam pleraque & minus honesta perscripserit.

Prima relatio Imperatorum.

Sabinus vrbi præfectus.

Iunius Cordus decorū in historia scribenda non seruat.

Maximo pater fuit Maximus, vnus è plebe, vt nonnulli dicunt, faber ferrarius: vt alij rhedarius vehicularius fabricator. Hunc suscepit ex vxore Prima nomine. cui fratres quatuor viri fuerunt, & quatuor puellæ: qui omnes in pubertate interierūt. Nato Maximo, carnem bubulam, & quidem multam, aquila in cellam eorum proiecisse fertur, quæ angusto patebat impluuio: eam denique quum iaceret, nec quisquam attingere auderet religionis timore, iterum sustulisse, & in proximum sacellum quod erat Iouis Præstitis, detulisse. Id eo tempore nihil visum est ominis habere, sed non sine causa factum probauit impe-

Maximi stemma.

Imperij omen.

Pueritia. rium. Pueritiam omnem in domo patrui Pinarij fecit, quem statim ad præfecturam prætorij subuexit vbi factus est Imperator. *Institutio.* Operam grammatico, rhetori non multam dedit. Siquidem semper virtuti & militari seueritati studuit. *Militia.* Attamen militaris tribunus fuit, & multos egit numeros, & postea præturam, sumptu Pescenninæ Marcellinæ, quæ illum loco filij susceperat & aluerat. *Munera publica.* Inde proconsulatum Bithyniæ egit, & deinceps Græciæ, ac tertio Narbonæ. Missus præterea legatus, Sarmatas in Illyrico contudit: atque inde translatus ad Rhenum, rem contra Germanos satis feliciter gessit. *Præfectura vrbis.* Post hæc præfectus vrbis prudentissimus, ac ingeniosissimus, & seuerissimus approbatus est. Quare veluti senatus ei homini, quod non licebat, nouæ familiæ, imperium tamen detulit, confessis omnibus eo tempore in senatu aptiorem non esse qui deberet principis nomen accipere.) Et quoniam etiam minora plerique desiderant, *Viuendi ratio.* fuit cibi auidus, vini parcissimus, ad rem veneream nimis rarus, domi forisque semper seuerus, ita vt & *tristis* cognomen acciperet. *Asperitas.* Vultu grauissimus, & verecundus, *Statura.* statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis, attamē iustus, neque vnquam vsque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens. *Mores.* Rogatus semper ignouit, nec iratus est nisi vbi eum irasci decuit. Factionibus se nunquam præbuit, iudicij tenax fuit, neque aliis potius quàm sibi credidit. Quare & à senatu multum dilectus est, & à populo timori habitus: siquidem sciebat populus eius censoriam præfecturam, quam videbat posse in imperio vehementius conualescere.

Balbini genus & functiones publicæ. |*Balbinus* nobilissimus, & iterum cos. rector prouinciarum infinitarum. Nam & Asiam & Africam, & Bithyniam, & Galatiam, & Pontum, & Thracias, & Gallias ciuilibus administrationibus rexerat, duct

ducto nonnunquam exercitu: sed rebus bellicis minor fuerat quam ciuilibus, attamen bonitate, nimia sanctitate ac verecundia ingétem sibi amorem conciliauerat. Familiæ vetustissimæ (vt ipse dicebat) a Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium ciuitatem meruerat, quum esset suæ patriæ nobilissimus, idemque historiæ scriptor. Statura æquè procerus, corporis qualitate conspicuus, in voluptatibus nimius, quam quidem adiuuabat diuitiarum abundantia. nam erat a maioribus diues, & multa hæreditatibus per se ipse collegerat. Eloquentia clarus, poemata inter sui temporis poetas plurima fecit præcipiti vsu. vini, cibi, rei venereæ auidus, vestitu cultus: nec quicquam defuit quod illũ populo non cómendabilem redderet. Amabilis etiam senatui fuit. Hæc de vtriusque vita comperimus. Denique nonnulli quemadmodum Catonem & Cæsarem Sallustius comparat, ita hunc quoque comparandum putant, vt alterum seuerum, clementem alterum: bonum illum, istum constantem: illum nihil largientem, hunc affluentem copiis omnibus dicerent. Hæc de moribus atque genere.

Mores. *Statura.* *Statura & habitus corporis.* *Fortunæ bona.* *Ingenii dotes.* *Naui.* *Comparatio Maximi & Balbini.*

3 DECRETIS ergo omnibus imperatoriis honoribus atque insignibus, percepta tribunitia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo, patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium. His gestis, celebratisque sacris, datis ludis scenicis ludisque circensibus, gladiatorio etiam munere, Maximus susceptis votis in capitolio, ad bellum contra Maximinum missus est cum exercitu ingenti, prætorianis Romæ manentibus. Vnde autem mos tractus sit vt proficiscentes ad bellum Imperatores, munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt, apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam vt ciuium sanguine

Honores Maximo & Balbino delati. *De munere gladiatorio & venatu, proficiscẽtibus ad bellum Imperatoribus.*

ratoribus dato, historica digressio Capitolini.

litato specie pugnarum se Nemesis, id est vis quædam fortunę, satiaret. Alij hoc literis tradunt (quod verisimilius credo) ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut vulnera & sanguinem perhorrescerent.) & Maximo quidem ad bellum profecto, Romæ prætoriani remanserunt. Inter quos & populum tãta seditio fuit vt ad bellum intestinum

Seditio inter prætorianos & populum.

veniretur, vrbis Romę pars maxima incenderetur, templa fœdarentur, omnes plateæ cruore polluerentur, quum Balbinus homo senior seditionem sedare non posset. Nam & in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit, & pene ictum lapidis passus est. Alij dicũt etiam fuste percussum esse, neque sedasse tumultum nisi infantem Gordianum purpuratum ad populum longissimi hominis collo

Quam Gordiani Cæsaris præsentia sedat. Principis dilecti præsentia, seditionis remediũ præsentissimum.

superpositum produxisset. Quo viso, populus & milites vsqueadeo placati sunt vt amore illius in concordiam redirent. Neque vnquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito aui & auunculi, seu patris, vt quidam dicũt, qui pro populo Romano contra Maximinum in Africa vitam finierant. tantum apud Romanos memoria bonarum rerum valet. Maximo igitur ad bellum profecto, senatus per omnes regiones consulares, prætorios, quæstorios, ædilitios, tribunitios etiam viros misit: ita vt vnaquæque ciuitas frumentum arma & propugnacula & muros pararet vt per singulas vrbes Maximinus fatigaretur. Iussum tunc tamen vt omnia ex agris in ciuitates colligerentur, nequid hostis publicus inueniret. Scriptum est præterea ad omnes prouincias

Bellicis artibus tyrannorum Maximinorum potentia eneruatur.

missis frumentariis, iussúmque vt quicunque Maximinum iuuisset, in hostium numero duceretur. Inter hæc Romæ iterum seditiones inter populum & milites ortæ sunt. Et quum mille edicta Balbinus

prop

proponeret nec audiretur, veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos cœpit populus obsidere: nec vnquam ad amicitiam essent redacti nisi fistulas aquarias populus incidisset. In vrbe autem priusquam dictum esset milites pacatos venire, & tegulæ de tectis iactæ sunt, & omnia quæ domibus erant vasa, proiecta. atque ideo maior pars ciuitatis periit, & multorum diuitiæ. Nam latrones se militibus miscuerunt ad vastanda ea quæ norant vbi reperirent. Quum hæc Romæ geruntur, Maximus siue Pupienus apud Rauennam bellum parabat ingenti apparatu, timens vehementissimè Maximinum: de quo sæpissimè dicebat, se non contra hominem sed contra Cyclopem bellum gerere. Et Maximinus quidem apud Aquileiam ita victus est vt à suis occideretur: capútque eius & filij perlatum est Rauennam, quod à Maximo Romam transmissum est. Non tacenda hoc loco deuotio est Aquileiensium pro Romanis, qui etiam crines mulierum pro neruis ad sagittas emittendas totondisse dicuntur. Tantum sanè lætitiæ fuit in Balbino qui plus timebat, vt hecatomben faceret, statim vt Maximini caput allatum est. *Hecatombe* autem tale sacrificium est: cêtum aræ vno in loco cespititiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oues mactantur. Nam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, & cætera huiusmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam fecisse dicuntur quum pestilentia laborarent: & à multis imperatoribus id celebratum constat.

Roma per seditionem penè funditus euersa.

Tyrannus cyclops formidabilis.

Meticulosus princeps in summam lætitiæ testificationem facilè delabitur.

Hecatombe, quid.

4 His igitur peractis Balbinus cum summa gratulatione Maximum redeuntem è Rauêna cum exercitu integro & copiis expectabat. Siquidem Maximinus ab oppidanis Aquileiensibus, & paucis qui illic erant militibus ac Crispino & Menophilo

Maximinorum interitus.

consularibus, qui a senatu missi fuerant, victus est. Ipse autem Maximus Aquileiam idcirco accesserat, vt omnia tuta & integra vsque ad Alpes relinqueret: ac siquæ essent barbarorum qui Maximino fauerant reliquiæ, compesceret. Missi sunt denique ad eum legati senatores xx. quorum nomina sunt apud Cordum: (in his consulares IIII, prætorij VIII, quæstorij VIII) cum coronis & senatusconsulto, in quo ei statuæ auratæ equestres decernebantur. Ex quo quidem Balbinus subiratus est, dicens, Maximum minus quàm eum laborasse, quum ipse domi tanta bella compressisset, ille autem otiosus apud Rauennam resedisset. Sed tãtum valuit bellum Maximo quia profectus est contra Maximinum, vt etiam victoria decerneretur, quam impletam ille nesciuit. Exercitu igitur suscepto Maximini, ad vrbem cum ingenti pompa & multitudine Maximus venit, mœrentibus militibus quòd eum Imperatorem quem ipsi delegerant, perdiderant, & eos habebant quos senatus legerat. Nec dissimulari poterat mœror, quia apparebat in frontibus singulorum, & iam quidem nec verbis abstinebatur; quamuis Maximus & apud milites sæpe dixisset, obliuionẽ præteritorum esse debere, & stipendia magna donasset, & auxilia in ea loca quæ delegerant, dimisisset. Sed animi militum semel imbuti odio, refrenari nequeunt. Denique quum audissent senatus acclamationes quæ milites tangerent, acriores contra Maximum & Balbinum extiterunt, secum quotidie cogitantes quos imperatores facere deberent. 13. Senatusconsulti autem quo moti sunt, hæc forma est: Quum ingredienti vrbẽ Maximo Balbinus & Gordianus & senatus & populus Rom. obuiam processissent, acclamationes primùm publicæ fuerũt quæ milites contingerent: inde in senatum itum est: vbi post illa quæ communia solent esse festa, dictum est,

Maximo maximi honores delati.

Vnde Balbini ira, & tandem vtriusque cædes. Nulla fides regni sociis.

Milites & senatus aduersarij.

Animi militum odio imbuti, refrenari nequeunt.

Sapienter electi principes sic agũt, per imperitos electi principes sic pereunt: quum constaret a militibus factum esse Maximinum, Balbinum autem & Maximum a senatoribus. His auditis milites grauius sæuire cœperunt in senatum, præcipuè qui sibi triumphare de militibus videbatur. Et Balbinus quidem cum Maximo vrbem cum magna moderatione gaudente senatu & populo Romano regebant: senatui plurimum deferebatur: leges optimas condebant, moderatè causas audiebant, res bellicas pulcherrimè disponebant. Et quum iam paratum esset vt contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos, puer autem Gordianus Romæ remaneret, milites occasionem quærentes occidendorum principum, quum primò vix inuenire possent, quia Germani stipabant Maximum atque Balbinum, quotidie ingrauescebant. Et erant quidem discordiæ inter Balbinum & Maximum, sed tacitæ & quæ intelligerētur potius quàm viderentur: quum Balbinus Maximum quasi ignobilem contemneret, Maximus Balbinum quasi debilem calcaret. Quare occasio militibus data est intelligentibus *facilè discordes Imperatores posse interfici*. Ludis denique scenicis quum multi & milites & aulici occupati essent, & in palatio soli cum Germanis principes remansissent, impetũ in eos fecerunt. Turbãtibus igitur militibus quum nuntiatum primùm esset Maximo, turbam illam tempestatémque vix euadi posse nisi ad Germanos mitteretur, & fortè in alia parte palatij Germani cum Balbino essent, mittit ad Balbinum Maximus, petens, vt ei præsidium mitteret. Sed ille suspicatus quòd cõtra se eos peteret, quem putabat monarchiam velle: primùm frustratus est, deinde vsq; ad litem peruentũ est. In hac tamen seditione illis contendentibus milites superuenerunt, atque ambos eos nudatos vestibus regali-

Scitè dictũ, sed intempestiuè, vt pote quod milites ad seditionem & parricidia impellat.

Imperatorũ administratio.

A tacitis discordiis turbata.

Discordia res maximæ dilabuntur.

Suspicio & odium, exitij causa.

Maximi & Balbini tristis interitus ex discordia & tacito odio subortus.

bus,de palatio cum iniuriis produxerũt, & per mediam ciuitatem ad castra raptare voluerunt,magna ex parte laniatos. Sed vbi compererunt Germanos ad defensionem illorum superuenire, ambos occiderunt,& in itinere medio reliquerũt. Inter hæc Gordianus Cæsar sublatus a militibus, imperator est appellatus, id est augustus, quia non erat alius in præsenti,insultantibus militibus senatui & populo, qui se statim in castra receperunt. Germani sanè ne sine causa pugnarent, occisis Imperatoribus suis, extra vrbem vbi suos habebant,se contulerunt.

Bonis Imperatoribus indigna fuit sanguinaria hæc Rom. Respublica.

5 HVNC finem habuerunt boni imperatores, indignum vita & moribus suis. Nam neque Maximo siue Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quicquam:quod re ipsa intelligi potest. Neque enim quum esset potestas, malos senatus eligeret, Huc accedit quòd multis honoribus ac potestatibus explorati sunt, quum alter bis COS. & præfectus, alter COS. & præfectus, ad imperium longæui peruenissent, amabiles senatui,& populo etiã, quia Maximinum iam leuiter pertimescebant. Hæc sunt quæ de Maximo ex Herodiano Græco scriptore magna ex parte collegimus. Sed multi non à Maximo, verum à Pupieno Imperatore apud Aquileiam Maximinum esse victum dixerũt, & ipsum cum Balbino esse occisum, ita vt Maximi nomen prætereant. Tanta est autẽ historicorum inter se errantium imperitia, vel vsurpatio, vt multi eundem Maximum quem Pupienum velint dici, quum Herodianus vitæ suę temporum scriptor Maximum dicat nos Pupienum: quum & Dexippus Græcorũ scriptor,Maximum & Balbinum Imperatores dicat factos contra Maximinum post Gordianos duos & à Maximo victum Maximinũ, non à Pupieno. His accedit alia scriptorum imperitia qui præfectum prætorij fuisse Gordianum paruulum dicunt,ignorantibus multis

De rebus eorum gestis discordes sententiæ & imperitæ.

Alia opinio imperita.

coll

collo sæpe vectum vt militibus ostenderetur. Imperarunt autem Maximus & Balbinus anno vno, quum Maximinus imperasset cum filio, vt quidam dicunt, per triennium: vt alij, per biennium. Nec reticendum est quod Maximus, quum & sibi & Balbino deferretur iudicio senatus imperium, Balbino dixisse fertur, (vt Herodianus dicit) *Quid tu, Balbine, & ego merebimur, quum hanc tam immanem belluam exitio dederimus?* Quumque Balbinus dixisset, *Senatus populique Romani feruentissimum amorem & orbis terrarum,* dixisse fertur Maximus, *Vereor ne militum odium sentiamus, & mortem.* Domus Balbini etiam nunc Romæ ostẽditur in Carinis, magna & potens, & ab eius familia hucusq; possessa. Maximus quem Pupienum plerique putant, summæ tenuitatis, sed virtutis amplissimæ fuit. Sub his pugnatum à Carpis contra Mœsos fuit, & Scythici belli principium, & Histriæ excidium eo tẽpore: vt autem Dexippus dicit, Histricæ ciuitatis. Dexippus Balbinum satis laudat, & dicit forti animo militibus occurrisse, atque interfectum: vt mortem non timeret, quem in omnibus disciplinis instructum fuisse dicit. Maximum verò negat eiusmodi virum fuisse qualem Græci plerique dixerunt. Addidit præterea contra Maximinũ Aquileiensium odium fuisse, vt de crinibus mulierum suarum arcubus neruos facerent, atque ita sagittas emitterẽt. Dexippus & Herodianus qui horum principũ historiam persquuti sunt, Maximum & Balbinum fuisse principes dicũt, delectos à senatu cõtra Maximinum post interitum duorum Gordianorũ in Africa cũ quibus etiam puer, tertius Gordianus, electus est. Sed apud Latinos scriptores plerosque Maximi nomẽ non inuenio, & cum Balbino Pupienum imperatorem reperio, vsqueadeo vt idem Pupienus cũ Maximino apud Aquileiam pugnasse dicatur, quum memoratis historicis afferen-

Tempus imperij.

Obseruandus Maximi & Balbini dialogus.

16.

Eorum bella externa.

De vtroque, Dexippi iudicium.

Et Herodiani.

Latinorum item historicorum.

tibus, ne Maximus quidem contra Maximinum pugnasse doceatur, sed resedisse apud Rauennam, atque illic patratam audisse victoriam: vt mihi videatur, idem esse Pupienus, qui Maximus dicitur. Quare etiam gratulatoriam epistolam subdidi, quæ scripta est à cos. sui temporis de Pupieno & Balbino, in qua lætatur redditam ab his post latrones improbos esse rempub. *Pupieno & Balbino Augustis Claudius Iulianus. Quum primùm Iouis opt. max. & deorum immortalium senatúsque iudicio, & consensu generis humani suscepisse vos remp. à nefarii latronis scelere seruandam reddendámque Romanis legibus, domini sanctißimi & inuictissimi Augusti, quanquam nondum ex vestris literis, sed tamen ex scripto quod V. C. Celsus Aelianus collega transmiserat, comperissem: gratulatus sum vrbi Romæ, cuius ad salutem estis electi: gratulatus senatui, cuius pro iudicio quod in vos habuit, reddidistis pristinam dignitatem: gratulatus Italiæ, quam cum maxima ab hostibus vastatione defendistis: gratulatus prouinciis, quas inexplebili auaritia tyrannorum laceratas ad spem salutis reduxistis: denique legionibus ipsis & auxiliis, quæ vbique terrarum iam vultus vestros adorãt, qui deposito dedecore pristino, nunc in vestro nomine dignam Romani principatus speciem receperunt. Quocirca nulla vox fortis, nulla oratio felix, nullum ingenium tam fæcundum vnquam fuerit, quod poßit publicam felicitatem dignè exprimere. Quæ quanta & cuiusmodi sint, iam in ipso exordio principatus vestri cognoscere potuimus: qui leges Romanas, æquitatémque abolitam, & clementiam quæ iam nulla erat, & vitam, & mores, & libertatem, & spem succeßionum atque heredum reduxistis. Hæc enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate. Nam quod nobis vita per vos reddita est, quum dimissis paßim per prouincias carnificibus, sic elatus latro surrexit vt se ordini profiteretur iratum, quomodo dicam aut prosequar? præsertim quum mediocritas mea non modò publicam felicitatem, sed ne peculiare quidem gaudium animi*

Gratulatoria C. Iuliani ad Maximum & Balbinum epistola post Maximinorum cædem.

Crudelis & clementis principatus descriptio.

meî

mei poßit exprimere, quum eos Auguftos & Principes generis humani videam; quorum ante hac perpetuo cultu mores & modeftiam meam tanquam veteribus cenforibus meis cuperem probatam: & etiamfi confidam in priorum Principum teftimoniis, veftris tamen vt grauioribus iudiciis glorior. Dii præftent præftabúntque hanc vrbi Romanæ felicitatem. Nam quum ad vos refpicio, aliud nihil optare poffum quàm quod apud Deos dicitur victor Carthaginis precatus, vt fcilicet in eo ftatu Rempublicam feruarent in quo tunc effet, quòd nullus melior inueniretur. Ita ego precor, vt in eo ftatu nobis Rempub. feruent, in quo eam vos adhuc nutantem collocauiftis. Hæc epiftola probat Pupienum eundem effe qui à plerifque Maximus dicitur nomine paterno: fiquidem per hæc tempora apud Græcos non facilè Pupienus, apud Latinos non facile Maximus inueniatur, & ea quæ funt gefta contra Maximinum, modò à Pupieno, modò à Maximo acta dicantur. Sed Fortunatiano credámus, qui dicit Pupienum dictum nomine fuo, cognomine verò paterno Maximum: vt omnium ftupore legentibus aboliti videantur.

Maximus cognomen Pupieni.

IVLII CAPITOLINI

Gordianus Iunior, feu tertius.

BREVIARIVM.

1 *Maximo & Balbino, militari feditione interemptis, Gordianus Adolefcens Auguftus appellatur. Mira folis eclipfis, factio Sabiniani in Africa opprimitur.*

2 *Bellum Perficum,*

Misithei (qui Gordiani socer) viri eximii industria & opera feliciter conficitur. Literæ Misithei & Gordiani, quæ imperii Romani statum ostendunt.

3 *Terræ motus horrendus. felices Gordiani successus. Misithei virtutes & officia in Rempub. celebrantur.*

4 *Philippi dolis nefariis Misitheus dux sapientiss. & fortiss. tollitur è medio. Nouæ eiusdem Philippi artes quibus tandem euertitur Gordianus, & impii parricidæ iussu spoliatur ac occiditur.*

5 *Gordiani, principis eximii, virtutes, familiæ priuilegia, opera, pro triumpho apparatus. Iusta Numinis vindicta in Gordiani interfectores. Gordiani sepulchrũ & elogium.*

1 *Populus & milites Gordianum Cæsarem appellari petunt & obtinent. Diuisiones in Repub. periculosissima.*

POST mortem duorum Gordianorũ, Senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti viris quod ad rempub. tuendam delegerat, Pupienum siue Maximum, & Clodium Balbinum, Augustos appellauit, ambos ex consulibus. Tunc populus & milites Gordianum paruulum, annos agentem, vt plerique asserunt, vndecim: vt nonnulli, tredecim: vt Iunius Cordus dicit, sexdecim (nam vigesimo & secundo eum perisse dicit) petiuerunt vt Cæsar appellaretur: raptúsque ad senatum, atque inde in concione positus, indumento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus. Hic natus est, vt plures asserunt, ex filia Gordiani, vt vnus aut duo (nam amplius inuenire non potui) ex filio qui in Africa periit. Cæsar factus apud matrem educatus est. Et quum extinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, qui biennio imperauerant, Gordianus adolescens qui Cæsar eatenus fuerat, à militibus & populo & senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio & gratia Augustus est appell

pellatus. Amabatur autem merito aui & auunculi, siue patris, qui ambo pro senatu & pro populo Rom. contra Maximinum arma sumpserunt, & militari vel morte vel necessitate perierunt. Post hæc veterani ad curiam venerũt, vt discerẽt quid actum esset. Ex quibus duo ingressi capitolium, quum illic senatus ageretur, ante ipsam aram, a Gallicano ex cõsulibus & Mæcenate ex ducibus, interempti sunt: atque bellum intestinum ortum est, quum essent armati etiam senatores, ignorantibus veteranis quòd Gordianus adolescens solus teneret imperium. (Dexippus quidẽ asseuerat, ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum: & posteaquam constitit apud veteranos quoque, solum Gordianum imperare, inter populum & milites ac veteranos pax roborata est: & hic finis belli intestini fuit, quum esset delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit quòd eclipsis solis facta est, vt nox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset. Post hæc tamen voluptatibus & deliciis populus Rom. vacauit, vt ea quæ fuerant aspere gesta, mitigaret. Venusto & Sabino coss. inita est factio in Africa contra Gordianum tertium duce Sabiniano: quem Gordianus per præsidem Mauritaniæ obsessum à coniuratis, ita oppressit vt ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & crimina confitentes & veniam sceleribus postulantes.

Ex his tamẽ tenebris lumen aliquod effulget, summi rerum arbitri politias & hominum societates conseruare volentis, beneficio.

Finis belli intestini.

Indicium imperij non diu duraturi.

Factio in Africa opprimitur.

2 Finita igitur solicitudine in Africa Gordiano iam iterum & Papiniano coss. bellum Persicum natum est. Quare adolescens Gordianus priusquam ad bellũ proficisceretur, duxit vxorem filiam Misithei, doctissimi viri, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua putauit, & præfectum statim fecit. post quod non puerile iam & contemptibile videbatur imperium: siquidem & optimi soceri con-

Bellum aduersus Persas Misithei, viri doctissimi, consiliis & fortitudine, feliciter inchoatum &

filiis adiuuaretur, & ipse pro pietate aliquantulum saperet, nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantiæ conniuentia venderetur. Extat denique & soceri eius ad eum epistola, & ipsius Gordiani ad socerum, qua intelligitur eius seculum emendatius ac diligentius socero adiuuante perfectum. quarum exemplum hoc est, *Domino filio & Augusto, Misitheus socer & præfectus. Euasisse nos grauem temporum maculam, qua per spadones & per illos qui amici tibi videbantur (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis est, & eo magis quo tibi gratior emendatio est: vt siqua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet: mi fili venerabilis. neque enim quisquam ferre potuit datas eunuchis suffragantibus militum præposituras, negatum laboribus præmium, aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non decebat: vacuatum ærarium per eos qui quotidie insidiosissimè frequentabant: initas factiones, vt tu deciperreris, quum inter se de bonis pessimi quique haberent consilia tibimet suggerenda: bonos pellerent, detestandos insinuarent, omnes postremò tuas fabulas venderent. Diis igitur gratias quòd volente teipso emendata respub. est. Delectat sanè boni esse principis socerum, & eius qui omnia requirat & omnia velit scire, & qui pepulerit homines per quos antea velut in auctione positus nundinatus est.* Item Gordiani ad ipsum, *Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri & præfecto. Nisi dii omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur. Denique nunc demum intelligo neque Felicem prætorianis cohortibus præponi debuisse, neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse: & ne omnia dinumerem, multa non esse facienda quæ feci: sed diis gratias quòd te insinuante, qui nihil vendis, didici ea quæ inclusus scire non poteram. Quid enim facerem, quòd nos Maurus venderet, & consilio cum Gaudiano & Reuerendo & Montano habito vel laudaret aliquos, vel vituperaret:*

absolutum. Gordiani prudentia in deligendo socer. Eruditionis fructus maximus, quando cum ea iustitiæ amor cohæret.

Iuuenes principes felices, si prudentes consiliarios nacti fuerint, ei ectis adulatoribus & ignobilibus ministris.

Contra, omnium sunt infelicissimi, nisi diuina tecti beneuolentia, sapientúmque ministrorũ freti autoritate & consilijs, vera audiunt & sua dignitati conuenientia exequũtur.

& illorum consensu quasi testium quod dixerat approbarem? Mi pater, verũ audias velim: miser est imperator apud quem vera reticentur: *qui quum ipse publicè ambulare non possit, necesse est vt audiat, & vel audita vel à plurimis roborata confirmet.* His epistolis intellectum est, adolescentem soceri consiliis emendatum atque correctum. Et Misithei quidem epistolam Græcam quidam fuisse dicunt, sed in hanc sententiam. Tantum autem valuit eius grauitas & sanctimonia, vt ex obscurissimo preter nobilitatem gestis etiam Gordianum clarum principem fecerit.

Fidelia consilia, nerui corporis politici.

3 FVIT terræ motus eousque grauis imperante Gordiano, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, sacrificia per totam vrbem totúmque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit; inspectis libris Sibyllinis celebratisque omnibus quę illic iussa videbãtur, mundanum malum esse sedatũ. Sedato terræmotu, Prætextato & Attico coss. Gordianus aperto Iano gemino (quod signum erat indicti belli) profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro vt vel auxiliis vel militibus facilè Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam, atque in ipso procinctu quicquid hostium in Thraciis fuit, deleuit, fugauit, expulit, atque submouit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Persis iam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnauit & vicit, Sapore Persarum rege submoto. Et post Artaxerxẽ Antiochiam recepit: Carras & Nisibin, quę omnia sub Persarum imperio erant. Rex sane Persarum tantum Gordianum principem timuit, vt quum instructus esset & suis copiis & nostris, tamen ciuitatibus ipse pręsidia sponte deduceret, eásque integras suis ciuibus redderet, ita vt nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed hæc omnia per Misitheum socerum Gordiani, eundémque pręfectum, gesta sunt.

Terræ motus horrendus luctuosæ mutationis proxime in imperio præsagium.

26

Expeditio bellica in Persas.

Felices Gordiani successus.

27

Quandiu Misithei cõsiliis & opera vsus est.

Effectum denique est vt Persæ qui iam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totúmque orientem Romana respubl. detineret. Extat oratio Gordiani ad senatum, qua de rebus gestis scribens, Misitheo præfecto suo & socero ingentes gratias agit: cuius partem indidi, vt ex eo vera cognosceres. *Post hæc P.C. quæ dum iter agimus gesta sunt, quæ vbique singulis digna sunt actitata, etiam Persas, vt breui multa connectam, ab Antiochensium ceruicibus, quas iam nexas Persico ferro gerebant, & reges Persarum, & leges amouimus. Carras deinde cæterásque vrbes imperio Rom. reddidimus. Nisibin vsque peruenimus: &, si dii fauerint, Ctesiphonta vsque veniemus. Valeat tantùm Misitheus præfectus parens noster, cuius ductu & dispositione & hæc transegimus & reliqua transigemus. Vestrum est igitur supplicationes decernere, nos diis commendare, Misitheo gratias agere.* His in senatu lectis, quadrigę elephantorum Gordiano decretę sunt, vtpote qui Persas vicisset, vt triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum & triumphalis currus & titulus huiusmodi, *Misitheo eminenti viro, parenti principum, prætorii præfecto & totius vrbis, tutori reip. S.P.Q.R. vicem reddidit.*

Cuius etiam virtutes & officia in Rempub. collata agnoscit, & alios agnoscere iubet. Grati & boni principis effigies.

Senatus prudentia & candor.

4 Sed ista felicitas longior esse non potuit. Nam Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi, qui post eum præfectus prætorij est factus: vt alij, morbo extinctus est hærede Rom. rep. vt quicquid eius fuerat, vectigalibus vrbis accederet. Cuius viri tanta in rep. dispositio fuit vt nulla esset vnquam ciuitas limitanea potior, quæ non posset exercitum populi Rom. ac principem ferre, quę totius anni in aceto, frumento, & clarido, atque hordeo & paleis condita non haberet: minores verò vrbes, aliæ xxx dierum, aliæ xl, nonnullæ duorum mensium: quæ minimum, xv dierum. Idem quum esset præfectus, arma militũ semper inspexit.

Tristis rerum humanarum vicissitudo. Ambitio Philippi Arabis perniciosissima lues. Virtus Misitheipost fata splendidior.

Null

Nullum ſenem militare paſſus eſt, nullum puerum annonas accipere. Caſtra omnia foſſato circuibat, noctibus etiam plerunque vigilias frequentabat. Amabatúrque ab omnibus quod ſic & rempublicam amaret & principem. Tribuni eum & duces vſqueadeo timuerunt & amauerunt, vt neque vellent peccare, neque vlla ex parte peccarent. Philippus eum propter pleraque vehementer timuiſſe fertur, atque ob hoc per medicos inſidias eius vitæ paraſſe & quidem hoc genere: Quum effuſione alui Miſitheus laboraret, atque à medicis ſiſtendi ventris gratia poculum iuberetur accipere, mutatis quæ fuerant, id fertur datum quo magis ſolueretur: atq; ita exanimatus eſt. Quo mortuo, Apriano & Papo coss. in eius locum præfectus prætorij factus eſt Philippus Arabs, humili genere natus, ſed ſuperbus, qui ſe in nouitate atque enormitate fortunæ non tenuit: ita vt ſtatim Gordiano, qui eum in locum parentis aſciuerat, inſidias per milites faceret, quæ tales fuerunt. Miſitheus tantum quantum diximus, habuerat conditorum, vt vaciliare diſpoſitio Romana non poſſet. Verùm artibus Philippi primùm naues frumentariæ ſunt auerſæ: deinde in ea loca deducti ſunt milites in quibus annona haberi non poſſet. Hinc Gordiano infeſtos milites ſtatim reddidit, non intelligentes artibus Philippi iuuenem eſſe deceptum. Sed Philippus etiam addidit vt rumorem per milites ſpargeret, adoleſcentem eſſe Gordianum, imperium non poſſe regere: melius eſſe illum imperare, qui militē gubernaret, qui rempublicam ſciret. Corrupit præterea etiam principes, effectúmque vt palam Philippus ad imperium poſceretur. Amici Gordiani primùm vehementiſſimè reſiſtebant. Sed quum milites fame vincerentur, imperium Philippo mandatum eſt, iuſſúmque à militibus vt quaſi tutor eius Philippus cum eodem

Sapiētiſſimi & fortiſſimi ducis deſcriptio.

Philippus ambitioſus & meticuloſus.

Ignobilis, proditor, ſuperbus, facilè fit parricida.

Non momento, ſed ſenſim & artibus huiuſmodi hominib: admodū familiaribus, quas ſequentia ſecula ſæpiùs renouarunt.

Iuuenis principis, fido cõsilio & forti exercitu exuti aduersus veteranum & armatum ducem inanes velitationes, unde petitiones inde cora.

Gordiano pariter imperaret. Suſcepto igitur imperio, quum & Philippus ſe contra Gordianum ſuperbiſſime ageret, & ille ſe Imperatorem atque Imperatorum prolem, & virum nobiliſſimæ familiæ recognoſceret, nec ferre poſſet improbitatem hominis ignobilis, apud duces & milites, aſtante præfecto Metio Gordiano, affine ſuo, in tribunali proceſſit, ſperans poſſe imperium Philippo abrogari. Sed hac conqueſtione nihil egit, quum illum incuſaſſet quòd immemor beneficiorum eius ſibi minùs gratus exiſteret. Et quum milites rogaſſet, quum aperte duces ambiſſet, factione Philippi minor apud omnes fuit. Denique quum ſe videret minorem haberi, petiit vt æquale ſaltē inter eos eſſet imperium, nec impetrauit. Dehinc petiit vt loco Cæſaris haberetur, nec id obtinuit. Petiit etiam vt præfecti loco eſſet Philippo: quod & ipſum negatum eſt. Vltimæ preces fuerunt, vt eum Philippus pro duce haberet, & pateretur viuere. Ad quod quidem penè conſenſerat Philippus, ipſe tacitus, ſed omnia per amicos agens nutibus atque conſiliis. Verùm quum ſecum ipſe cogitaret amorem populi Romani & ſenatus circa Gordianum, & totius Africæ ac Syriæ, totiúſque orbis Romani, quum & nobilis eſſet, & nepos ac filius Imperatorum, & bellis grauibus totam rempublicam liberaſſet: poſſe fieri vt factione quandoque militum Gordiano redderetur imperium, quum recentes in Gordianum iræ militum famis cauſa vehementes eſſent, clamantem ante conſpectum duci iuſſit, ac ſpoliari & occidi. quod quum primùm dilatum eſſet, pòſt, vt iuſſit, impletum eſt. Ita Philippus impiè non iure obtinuit imperium. Imperauit Gordianus annis ſex. Et dum hæc agerentur, Arгunthis Scytharum rex finitimorum regna vaſtabat, maximè quòd compererat Miſitheum periſſe, cuius conſilio reſpublica fuerat guberna

Philippus ſcelerato & impio parricidio imperium arripit.

Interea hoſtes proſperè agunt.

bernata. Philippus autem ne a crudelitate nancisci videretur imperium, Romam literas misit quibus scripsit Gordianum morbo perisse, seque a cunctis militibus electum. Nec defuit vt senatus de his rebus quas non nouerat falleretur. Appellato igitur principe Philippo, & augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter deos retulit.

Parricidæ artes nouæ.

5 FVIT iuuenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita iucundus, in literis nobilis, prorsus vt nihil præter ætatem deesset imperio. Amatus est a populo, & senatu, & militibus ante Philippi factionem, ita vt nemo principum. Cordus dicit, omnes milites eum filium appellasse, ab omni senatu filium dictum, omnem populum delicias suas Gordianum dixisse. Denique Philippus quum eum interfecisset, neque imagines eius tolleret, neque statuas deponeret, neque nomen abraderet, sed diuum semper appellans etiam apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrina calliditate veneratus est. Domus Gordianorum etiam nunc extat, quam iste Gordianus pulcherrime exornauit, & villa eorum via Prænestina ducentas columnas vno peristylo habēs, quarum L. Carysteę Claudianę, L. Symnades, L. Numidicę, pari mēsura sunt. In qua basilicæ centenariæ tres: cætera huic operi conuenientia, & thermæ quales præter vrbem, vt tunc nusquam in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc senatus decreuit, vt à tutelis atque legationibus & à publicis necessitatibus, nisi si vellent, posteri eius semper vacarent. Opera Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam nymphæa & balneas. Sed balneæ priuati hominis fuerunt & ab eo in vsum priuatum exornatę sunt. Instituerat porticum in campo Martio sub colle pedum mille, ita vt ab altera parte æquè mille pedum porticus fieret, atque inter eas pateret spatium pedum quingē-

Principis eximij dotes

Omnib. charus est.

Arabica calliditas Philippi, qui domino suo nefariis artibus sublato statuas relinquit, & Diuum esse iubet, modò nō sit viuus.

Priuilegia familiæ Gordiani.

Opera eius.

torum: cuius spatij hinc atque inde viridaria essent, lauro, myrto & buxo frequentata: medium verò lithostrotum breuibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille: quod esset deambulatorium, ita vt in capite basilica esset pedum quingentorum. Cogitauerat præterea cum Misitheo, vt post basilicam, thermas æstiuas sui nominis faceret, ita vt hyemales in principio porticus poneret, & suo vsui essent vel viridaria vel porticus. Sed hęc omnia nunc priuatorum & possessionibus & hortis & ędificiis occupata sunt. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti xxx & II. quorum ipse XII miserat, Alexander x: alces x, tigres x, leones mansueti LX, leopardi mansueti xxx, belbi (id est hyænæ) x, gladiatorũ fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros vnus: archoleontes x, camelopardali x, onagri xx, equiferi XL: & cætera huiusmodi animalia, innumera & diuersa: quæ omnia Philippus ludis secularibus vel dedit vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Persicum: sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit secularibus ludis & muneribus atque circensibus, quum millesimum ab vrbe condita annum in consulatu suo & filij sui celebrauit. Quod de Cæsare memoriæ traditum est, hoc etiam de Gordiano Cordus euenisse perscribit. Nam omnes quicunque illum gladio appetiuerunt (qui nouem fuisse dicũtur) postea interemptis Philippis, sua manu suisque gladiis, & iisdem quibus illum percusserant, interisse dicuntur. Trium igitur Gordianorum hæc fuit vita, qui omnes augusti appellati sunt duobus in Africa interemptis, in Persidis finibus tertio. Gordiano sepulchrum milites apud Circeium castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum huiusmodi addentes, & Græcis & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Aegyptiac

Pro triumpho apparatus.

Quos Philippus sibi reseruat.

Iusta Numinis vindicta in Gordiani interfectores. Qui in legitimos principes insurgunt, non sine sanguine ad Plutonem descendent.

Gordiani sepulchrum in

ptiacis literis, vt ab omnibus legeretur: *Diuo Gordiano victori Persarum, victori Gotthorum, victori Sarmatarum, depulsori Romanarum seditionum, victori Germanorum: sed non victori Philipporum.* quòd ideo videbatur additum, quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prælio victus abscesserat: simul etiam quòd à Philippis videbatur occisus. Quem titulum euertisse Licinius dicitur eo tempore quo est nactus imperium, quum se vellet videri a Philippis originem trahere. Quæ omnia, Constantine maxime, idcirco sum persequutus, nequid tuæ cogitationi deesset quod dignum scientia videretur.

iudiciũ Philippi & Romani exercitus.

Licinius, memoriæ Gordiani hostis.

ZOSIMI
Philippus.

BREVIARIVM.

1 *Philippus, ambitione correptus, nefariis artibus milites in Gordianum Augustum incitat, quem interficiunt, & Philippum Imperatorem appellant. Vsurpatam dignitatẽ quibus rationib. conseruare studuerit. Fœdus cum Carpis init.*

2 *Rebus perturbatis trepidè prouidens Philippus, Decium ad militaria munia subeunda cogit. Legiones autem Decium ad Imperium capessendum cogunt. Aduersus eum mouens Philippus, ipse cum filio cæsus est.*

CVM Imperator Gordianus vniuerso cum apparatu aduersus Persas mouisset, & Romanus exercitus visus esset primo prælio victor extitisse, Timesicles præfectus prætorio vita functus, non parum Imperatoribus de securitate regni

Præstantissimo belli duce Timesicle siue Misitheo sublato, sceleratus Arabs successit.

fiduciam imminuit. Nam Philippo in eius locum suffecto, paulatim beneuolentia militum erga Imperatorem extincta est. Ortus enim Philippus ex Arabia, gente nequissima, nec meliori ratione fortunam ad ampliorem progressus, vt primum hunc magistratum accepit, ad imperij se conuertit adfectationem: conciliánsque sibi milites, ad res nouas propensos, quod, militares abunde conuehi cerneret, Imperatore propter Carras & Nisibin adhuc cum exercitu hærente, naues quæ commeatum militarem continebant, ad interiora penetrare iussit: vt fame pressus & inopia rerum necessariarum exercitus, ad seditionem se commoueret. Euentus consilio respondit. Milites, arrepta de penuria commeatus occasione, Gordianum, nulla decori ratione habita circumuentum, veluti cuius culpa interiret exercitus, interficiunt, & *Philippum* ex composito purpura vestiunt. Is sacramentis interuenientibus amicitia cum Sapore constituta, bellóque sopito Romam proficiscitur, militum animos amplis largitionibus demulcens, Romamque nuncios mittens, qui Gordianum morbo extinctum dicerent. Vbi Romam venisset, ordinis Senatorij viris oratione benigna sibi conciliatis, magistratus amplissimos hominibus sibi coniunctissimis tradendos statuit. Itaque Priscum fratrem Syriacis exercitibus præfecit, Seueriano genero Mysiæ Macedoniæque copiis creditis. Hoc modo stabili se potiturum imperio arbitratus, ipse contra *Carpos* expeditionem suscepit, qui iam Istro vicina loca populabantur. Prælio conserto, quum impressionem Barbari non sustinerent, fuga quoddam ad castellum facta obsidebantur. Vbi suos hinc inde dispersos rursus colligi cernerent, receptis animis egressi, Romanum in exercitum irruebant. Sed quòd impetum Maurorum ferre non possent, mentionem pangendi fœderis iniecerunt: quib

Qui pessimis dolis dominũ suum pessun dat. Videãt principes quos ad summas præfecturas euehunt.

Sibi deinde consulit, quã tum potest, sed frustra.

quibuſcum Philippus eo non difficulter inito, diſceſſit.

2 QVVM autem rerum perturbationes eodem tempore plures incidiſſent, orientales quidem partes tum exactionibus tributorũ grauatæ, tum quod Priſcus iis nationibus præeſſe iuſſus, intolerabilis omnibus eſſet, ideóque nouas ad res conuerſæ, *Tapianum* ad ſummam rerum prouexerunt, itidémque Myſorum & Pannoniorum legiones *Marinum*. Ob has res conturbato Philippo, Senatúmque rogante, vel opem ad rerum præſentem ſtatum ſibi ferrent: vel ſi ſuum eis diſpliceret imperium, hoc ſe abdicarent: nemine prorſus quidquam reſpondente, Decius familia dignitatéque præſtans, & omni præterea virtutum genere ornatus, fruſtrà dixit ob hæc eum trepidare. Quippe leui momento futurum, vt per ſe ipſa hæc euaneſcerent, quòd nulla poſſent ex parte ſtabilitatem aliquam habere. His Decij coniecturis, quas ex ipſo rerum vſu ſumpſerat, licet euentus reapſe reſpõdiſſet, Tapiano Marinóque non magno labore deturbatis: nihilo tamen minùs in metu Philippus verſabatur, qui odium militum erga tribunos & duces in iis locis perſpectum haberet. Itaque Decium obſecrabat, vt earum legionum, quæ eſſent in Mœſia Pannoniáque, imperium ſuſciperet. Illo recuſante, quod iſtuc neque ſibi, neque Philippo expedire duceret, Theſſalica, quam vocant, perſuaſione Philippus vſus, quę eſſet cum coactione coniuncta, hominem ablegat in Pannoniam, caſtigaturum ibi Marinianæ factionis complices. At illorum locorum milites, quum Decium viderent ad eos multandos venire, qui deliquerunt: conſultius ſibi fore putabant, ſi & periculum, quod ante pedes eſſet, amolirentur, & eadem opera principem ſummæ Reipublicæ præficerent, qui eam meliùs gereret, & abſque labore ſuperior futurus eſſet, vt

Principatus etenim parricidio ſtabilitus diu cõſiſtere nequit.

Primùm mala & ſanguinaria mens trepidat, ſuiipſius carnifex.

Deinde meticuloſa admodum & incauta ſibi laqueos nectit.

qui ciuili virtute pariter & vsu militari Philippum anteiret. Igitur amictum purpura Decium, & ibi iam metuentem, ad procurationem rerum vel inuitum compellunt. Philippus, accepto de appellatione Decij nuntio, coactis exercitibus, velut hostem aggressurus, in eum mouit. Qui verò stabant a Decio milites, licet ab aduersariis numero se vinci nossent: tamen Decij tam peritia, quam in omnibus rebus prouidentia freti, fidentibus erant animis. Vbi concurrissent exercitus, altero nomine multitudinis, altero ducis superiore: cōplures à Philippi partibus ceciderunt: inter quos & ipse cum filio, quem Cæsaris dignitate cohonestauerat, cæsus fuit. Hoc modo Decius summo potitus est imperio.

Tertiò, de rerum fastigio deiicitur

Et tandem mali consilij & horrendi sceleris præmiū refert.

SEXTI AVRELII VICTORIS

Philippus.

Ex S. Aur. Victoris Epitome.

MARCVS Iulius Philippus imperauit annos quinque. Veronæ ab exercitu interfectus est, medio capite supra ordines dentium præciso. Filius autem eius Caius Iulius Saturninus, quem potentiæ sociauerat, Romæ occiditur agens vitæ annum duodecimum: adeo seueri & tristis animi, vt iam tum a quinquenni ætate, nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solui potuerit: patrémque ludis sécularibus petulantius cachinnantem, quanquam adhuc tener, vultu notauerit auersato. Is Philippus humillimo ortus loco fuit, pa-

tre

tre nobilissimo latronum ductore.

Ex S. Aur. Victoris lib. de Cæsarib.

MARCVS Iulius Philippus Arabs Thraconites, sumpto in consortium Philippo filio, rebus ad Orientem compositis, conditóque apud Arabiam Philippopoli oppido, Romam venere: exstructóque trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat, annum Vrbis millesimum ludis omnium generum celebrant. Et quoniam nomen admonuit, nostra quoque ętate post mille, centesimus, consule Philippo, excessit, nullis, vti solet, sollennibus frequentatus: adeo indies cura minima Romanæ vrbis. Quod equidem denunciatum illo tempore prodigiis portentisque. Ex quîs vnum memorare breui libet. Nam cùm Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis vtero matris, feminarum genitalia apparuere. Id haruspices solutionem posterorum portendere, vitiáq; fore potiora interpretati: Quod frustratum iri æstimans Imperator Philippus, tum quia fortè præteriens, filij similem pro merito Ephebum conspexerât, vsum virilis scorti remouendum honestissimè consultauit. Verumtamen manet: quippe conditione loci mutata peioribus flagitiis agitatur: dum auidius periculosa, quibúsque mortales prohibentur, petunt. Huc accedit, quod longè aliud Etruscorum artes cecinerant, quæ bonis parte plurima iacentibus, mollissimum quemque beatum fore asserebant. Eos ego ignorasse verum planè puto: etenim quamuis rerum omnium prospero successu, pudore amisso tamen, fortunatus quis esse potest? cùm eodem retęto, cætera tolerabilia sint. His actis, filio Vrbi relicto, ipse quanquam debili per ætatem corpore, aduersus Decium profectus, Veronæ cadit, pulso amissóque exercitu: quîs Romæ compertis, apud castra prætoria filius interficitur. Annos potentiæ quinque egêre.

POMPONII LÆTI
Philippus.

BREVIARIVM.

1 *Senatus, Gordiano subflituit Marcum, deinde Seuerum Hoftilianum, his autem defunctis Philippum, cuius initia, progressus, & nefaria aduersus Gordianum consilia describuntur. Eiusdem res in imperio gestæ.*

2 *Ludos seculares ingenti pompa & sumptu celebrat. Tumultus à Scythis & Marino quodam excitatos per Decium compescere studet. Decius inuitus, ab exercitu Imperatore salutatur. Hunc euertere conatur Philippus, sed à militib. Veronæ, filius eius antè Romæ à prætorianis interficitur.*

1 *Marcus Gordiano substitutus.*

SENATVS de morte Gordiani factus certior, Marcum quendam virum grauem ac sapientem, Imperatorem legit, qui subita morte in palatio vbi habitabat, deceſſit: nec succeſſor dilatus eſt: ſtatimque lectus à patribus Seuerus Hoſtilianus, qui repentè quum incidiſſet in morbum, medicis malè venam ſoluentibus, occubuit. Interea literæ Philippi ad Senatum adferuntur: in iis ſcriptum erat Gordianum graui morbo affectum obiiſſe, & Philippum ab exercitu imperatorem factum, rogaréque vti patres probarent. Senatus qui rem nondum nouerat, Auguſtum Philippum confirmauit, Gordianum inter diuos retulit. Marcus Iulius Philippus, Voſtris Arabiæ vrbe, obſcuris parentibus natus eſt: cuius fortunæ, humilitas generis non obfuit. Ab teneris annis relicto patrio ſolo militare cœpit: nec difficile hoc puero fuit. Nam Arabes optimi

Marco Hostilianus.

Hostiliano Philippus.

Qui obscura natus familia.

ptimi sunt equites, & militiam Romanam noscere cœperunt, in oriente res gerente Pompeio, Philippus haud parum diligens, per gradus promotionis ascendit, comes ordinis, deinde dux, pòst præfectus prætorio. Tandem in Perside post mortem Misithei, exercitui a Gordiano præficitur, & loco parentis, iuuenis imper. eum habuit. Misitheus, qui & idem Timessocles, vir modestus ac frugi, reip. & militibus moderandis tanta dexteritate vsus, vt vtrisque charissimus fuerit: propter cuius bonitatem simul & ingenitam eloquentiam, eius filia adolescenti Gordiano nupsit, præfectúsque vrbi factus, tanti viri consilio imperium ex omni parte augebatur. bello Persico senis prouidentia fugatus est Sapores rex, Artaxerxis filius: (erat autem Sapores statura procerus & corpore horribilis) recuperatæ vrbes, Antiochia quæ est Nisibis, & Carræ: exercitui commeatus nunquam defuit. In eo exigendo prouincialibus minimè molestus. Senatus hominem quadrigis & titulo honestauit, MISITHEO PARENTI PRINCIPVM POP. ROM. TVTORI REIP. S.P.Q.R. Sunt qui scribunt & hunc consilio Philippi obiisse. Nam quum medici poculum decreuissent ventris profluuio cohibendo, aliud fraude porrectum quo magis solueret. Post huius obitum factio Philippi plurimum creuit, frumentariæ naues eius opera interceptæ sunt, exercitúsque esurie quum laboraret, ad loca difficiliora traductus ad quæ per Euphratem commeatus aduehi non posset, amici Philippi negligentiæ principis id ascribebant. cæteri quum esurirent, facilè crediderunt. Iámque palàm princeps accusabatur, adolescentia culpabatur quòd non digna imperio esset: tandem fames impulit penè omnes imperium commendare Philippo, qui vna cum iuuene imperaret: quod diu durare non potuit. nam & Philippus fraudulenter omnia agebat,

Strenuitate sibi viam ad altiora aperit.

Misitheo inclito duci succedit.

Impiis artibus optimũ principẽ & Dominum Gordianum per milites interficit.

per clandestinos amicos noua crimina fingebat: & iuuenis Scipionum proles & augustorum hæres, æquatum sibi imperium cum indignitate Philippi ægre ferebat. Ea res cædem Gordiano festinauit. Accessit etiam ne amor S.P.Q.R. & militum, intellectis hominis Arabici fraudibus, imperium abrogaret. Hac via iam Aug. Philippus proficiscendi ad vrbem concionem habuit, percussoque cum Persis fœdere, Mesopotamiam & Assyriam hostibus reliquit, passus victricium armorum dedecus, vt ad vrbem è Syria aduolaret. In natali agro vrbem sui nominis condi iussit Philippopolin. & nequis ambigat, aut nominis similitudine decipiatur, altera est in Thracia Philippopolis, quam Scythæ diripuerũt, regum Macedoniæ opus. In itinere consortem imperij fecit Philippum filium. Reuersus ad vrbem iam voti compos, plura largitus est. Sed ipsius aduentu lætitia haud ingens, quòd prouincias amiserat, studens sedare animos omnium, inducto cum Persis decreto, illis bellum indixit, sperans ignominiam abolere. Res sine sanguine peracta est, Persis prouincias restituere pollicentibus.

Vt suæ ambitioni satisfaciat, summum patitur dedecus.

Quod postea abolere conatus, nouo dedecore cumulat.

2 HVIVS imperij anno II, ante XI cal. Maij, ingenti pompa magnóque sumptu & apparatu seculares ludi anno A. V. C. M. celebrati sunt. Beluæ triumpho Persico & iis ludis à Gordiano asseruatæ (nam iuuenis natali vrbis triumphare decreuerat) hæ fuisse memorantur. Elephanti XXXII, alces X, tigrides X, leones mãsueti LX, leopardi cicures XXX, hyænæ X, hippopotamus vnus, rhinoceros vnus, arcoleontes X, cameleopardi X, onagri XX, equi feri XL, gladiatorum paria mille. Quæ omnia in circo maximo exhibita, & scenicos ludos in Pompeij theatro tribus diebus totidémque noctibus (mirum dictu) peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus: & quum multitudo solen

Meticulosa ambitio ludicris pascitur.

Mira populi Rom. vanitas, incendio. i. conuenientissimo supplicio repressa.

solennibus ludis intenta esset, incendium aut ex luminaribus aut ex ignibus coalitum, in curia diuagatum est. Theatrum Pompeij arsit, & ei propinquum hecatonstylon, centum columnarum in campo Martio opus. centenariam porticum appellabant. Circenses dati, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum e carcere missus numeratus est. De ludis secularibus pauca referre haud ab re est. Eos instituisse fertur, exactis regibus, M. Valerius Publicola, & appellatos quòd plerunque hominis ætas semel intueri potest: idque aliquandiu seruatum est. postea ambitione Cæsarum cupientium id solenne suis temporibus exhiberi, ordo corruptus est, & pro libidine seculares ludi habiti. Interea Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, & illius nutu quieti erãt, facta irruptione limites transgressi, vrbes & agros imperij Romani vastare, prædas abducere, cædes vndique facere, incendia suscitare, domos, villas, tuguria euertere, metum haud inanem inferebant. Expeditioni properè præficitur Marinus quidam, dux limitis Sarmatici: ab exercitu Illyricorum Imperator est appellatus. quod quum nuntiatum esset Romæ, Philippus aduocato senatu, plurimum de Marini ingratitudine questus est. Decius, vir clarus, hortatus est principem ne timeret, quòd Marinus pœnas daturus esset: qui post paulò cæsus seditione militari, pœnas luit. Confirmatus Imperator vaticinio Decij, contra Scythas cum supplemento copiarum ipsum Decium misit: qui quum ad exercitum peruenisset, concordi assensu milites Illyriciani Imperatorem fecerunt, renuentem ac repugnantem, strictis ensibus coegerunt. Dux experientiâ rerum cautus, ne à principe accusari posset, néve locum calumniis præberet, fidissimo nuntio literas ad Philippum dedit, quibus se excusabat, suppliciter exorans ne turbato animo

Ludi seculares.

Dum stulti principes et populi ludunt, hostes agunt seriò.

Et vindex æternæ iustitia manus gladios acuit, quibus paulò post nefarios parricidas excindat.

ferret, promittens abdicaturum se dignitate, ad quam inuitus tractus esset. Philippus vero, homo Punica fraude deterior, qui, vt scelera tegeret, cultum Christiani nominis simulabat, expeditionem scriptis etiam nouis legionibus contra Decium parauit: & quum posset per duces bellum gerere, ipse eductis copiis profectus est, minis ingentibus palam asserens, se Decium cum toto scelerato exercitu perditurum. Hac mente turbatus, velut furore concitus ferebatur. Itaque à militibus ipse Veronæ cæsus est, & Romæ filius à prætorianis. Is traditur fuisse agelastos, & ludis secularibus ridentem patrem seuero vultu inspexisse, velut illum corrigeret. Ambo Philippi vixerunt annis quinque, & immeritò inter diuos relati.

Philippi filius, agelastos, & veluti patris censor arcanus.

ZOSIMI

Decius.

Decius vir bellicosus.

POST cædem Philipporum, quum plenæ perturbationis res essent, ob inertem Philippi patris socordiam in omnibus, Scythæ Tanaim transgressi, vicina Thraciæ loca prædis agendis infestabant: quos adgressus Decius, & omnibus præliis superior, præda quoque recepta, qua potiti fuerant, quominus domum reuerterentur, iter eis occludere conabatur, & vniuersos ad internecionem delere cogitabat, ne denuo coactis copiis irruerent. Quúmque Gallum ad Tanaidis ripam, satis magnis cum copiis collocasset, ipse cum reliquis ad hostem propius accedebat. Rebus ex animi sententia succedentibus, Gallus ad

Galli fraudibus irretitur.

molien

moliendum res nouas conuersus, ablegatis ad barbaros suis, vt in societatem insidiarum aduersus Decium venirent, hortabatur. Illis cupidissimè quod imperatum erat accipientibus, Gallus quidem custodiendæ ripæ Tanaidis intentus erat. Barbari verò, trifariam diuisi, quodam in locò primam instructam aciem collocabant, quem locum palus quædam à fronte muniebat. Vbi multos ex eis Decius interemisset, legio secunda superuenit, qua ipsa quoque in fugam acta, pauci quidam ex acie tertia propter paludem conspecti sunt. Ibi quum Gallus Decio significasset, vt eos per ipsam paludem inuaderet, imprudenter, ob locorum ignorationem, progressus, & cum copiis quas secum ducebat in luto defixus, & à barbaris vndique telis petitus, cum iis quos propter se habebat, nemine prorsus euadendi facultatem nancto, periit. Ac Decius quidem optimè administrato regno, huiusmodi vitæ finem habuit.

Ab hostibus prouocatus, strenuè agit.

Multitudine autem pugnantiũ obrutus perit.

SEXTI AVRELII VICTORIS

Decius.

DECIVS è Pannonia inferiore, Bubaliæ natus, imperauit menses triginta. Hic Decium filium suum Cæsarem fecit: vir artibus cunctis, virtutibúsque instructus, placidus & communis domi; in armis promptissimus. In solo Barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri. Filius verò eius bello extinctus est.

Ex epitome.

Vixit annos quinquaginta. Huius temporibus Valens Licinianus Imperator effectus est.

Ex lib. de Cæsaribus.

DECIVS Syrmiensium vico ortus, militiæ gradu ad imperium conspirauerat, lætiórque hostium nece, filium, Etruscum nomine, Cæsarem facit: statímque eo in Illyrios præmisso, Romæ aliquantum moratur mœnium gratia, quæ instituit, dedicandorum. Et interea ad eum Iotapiani, qui Alexandri tumens stirpe, per Syriam tentans noua, militum arbitrio occubuerat, ora (vti mos est) inopinato feruntur, simúlque per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas præsidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concursu, postquam direptis Thraciæ plerisque illò peruenerant. Qua caussa Decio, quàm potuit maturrimè Roma digresso, Iulius Valens cupientissimo vulgo imperium capit: verum vtrique mox cæsi, cum Priscum nobilitas hostem patriæ censuisset. Decij Barbaros trans Danubium persectantes Bruti fraude cecidere, exacto regni biennio. Sed Deciorum mortem pleriq; illustrem ferunt: namque filium audacius congredientem cecidisse in acie: patrem autem cùm perculsi milites ad solandum Imperatorem multa præfarentur, strenuè dixisse, Detrimentum vnius militis parum videri sibi: ita refecto bello cùm impigrè decertaret, interiisse pari modo.

*

P. OMP

POMPONII LÆTI

Decius.

BREVIARIUM.

1 *Decius, princeps eximius, sed Christianorum hostis, constituta Republica & motibus ciuilibus in Gallia sedatis, mouet in Scythas, quos variis cladibus debilitat.*

2 *Gallus, proditor factus, Decii consilia Scythis aperit, vnde Romani exercitus strages & vtriusque Decii interitus.*

1 IMPER. Cæs. M. Q. Trajanus Decius Aug. Decius, Bibali inferioris Pannoniæ vrbe natus, claris parentibus, ab ineunte ætate spem optimæ indolis præbuit: in quo virtutes cum ætate creuerunt. Ad amplissimas dignitates non ambitio, non empta suffragia, non corruptę amicitiæ, sed boni mores perduxere. Igitur qui à militibus Illyricianis ante Imperator factus fuerat, ab senatu Augustus est appellatus. Is quum magnitudinem imperij contemplaretur, P. Cornelium Licinium Valerianum, qui postea imperauit, exercitui præfecit, virum militarem & bonis moribus nutritum, tunc sexagesimum sextum agentem annum. & quum de censore eligendo potestas senatui data esset ab Decio, Valerianus absens Censor lectus, in æde Castoris & Pollucis, in parte fori Romani versus palatium, cuius vestigia effodi vidimus. Ea censura probata, Decio patre ac filio consule, modestia Decij hoc passa est. Nam postquam resp. vnius nutu gubernari cœpta est, ipsi Imperatores censores erant. Decius, cuius vita sanctissimis institutis nunquam

Decij stemma & indoles.

Laus.

Prudentia.

Modestia.

aduersata, cupiens nihil agere nisi quantum senatus iuberet, censuram amplissimo ordini permisit. Huius Imperatoris vita, quæ & ciuilis & militaris fuit, multos habuisset laudatores, si ab Christianorum cruciatibus se temperasset. Nam ius quintæ relationis, & proconsulare imperium, vnde Augusti omnes proconsulibus, necnon & ius tribunitiæ potestatis, quod Augustus primus sibi perpetuo vindicauerat, arbitrio senatus populique Romani permisit, patris patriæ cognomen accepit. Sed priusquam ad vrbem rediret, ciuiles in Gallia motus sedauit. Parum in vrbe commoratus, cogente senatu, filium suum Decium Cæsarem fecit. Patribus rempublicam commendauit, & vna cum filio ad liberandas Thracias profectus est. Nam Scythæ & naualibus & terrestribus copiis omnia infestabant. Victor in primis congressibus, hostes in angustias locorum, quæ in Dardaniis sunt, compulit & obsedit: expugnassetque fame ni proditus ab suis fuisset. Hostium dux per legatos petiit vti relicta omni præda sineret cum suis abire trans Istrum, Romanus Imperator negauit, auidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperant, & qui prouincias Romani imperij quiescere non sinerent, & sua strage vix domiti, amisso rege Decebalo, Neruæ Trajano illuserint. Iamque fere voti compos, Trebonianum Gallum ducem limitis Mysiæ, ad obsidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum misit.

Crudelitas & odium in Christianos.

Reipublicæ cura.

Bellum aduersus Scythas strenuè gestum.

Quos Decius perdere decernit.

2 GALLVS consilium barbaris patefecit, & eos monuit vt se diuiderent: & alij consisterent in insidiis prope paludem, alij in primo congressu fugam simularent paludem versus. Barbari nonnihil addentes consilio Galli, rem peragunt. Quum in pugnam descenderent, admiratus est Decius quòd qui modò perculsi metu erant, iam arma poscerent:

Sed à Gallo proditus.

Se ad prælium comparat.

igna

ignarúsque proditionis, certus victoriæ, copias educit. Illi statim terga dant, Imperator insequitur: quum ventum est ad insidias, atrocissima fit pugna, vtrinque magnę cædes. Deciani difficillime prælia-bantur, luco palustri afferente cladem, tamen non moriuntur inulti, & loco & fato aduersantibus pereunt. Decius pater cum filio occubuere. Senior forte equo sedens, ne viuus aut contra in manus hostium perueniret, insiliit in voraginem paludis. nam quæsitum eius cadauer, nusquam repertum est. Regnauerunt biennio nondum finito. Hic fuit Deciorum finis, qui (vt credibile est) se pro futura victoria deuouerunt. Ita enim Deciorum nomen facere consueuit. Decij mares duo, prioribus seculis, alter bello Hetrusco, alter bello Latino, constanti animo inter confertissimos hostes pro victoria patriæ se deuouentes occubuere. Hunc deuouendi morem primus creditur introduxisse Linus Codri F. qui pro patria bello Dorico se deuouit. Hic Miletum coloniam Atheniensium deduxit in Ionia. Quidam scribit Decium cupientem Philippopoli ferre opem, citò petiisse Berœam: & inde fugatum ab Echina rege Gothorum, reparatisque in Mœsia viribus, rediisse ad hostes, qui Philippopolin ceperant, & Priscum ducem sibi conciliauerant. In ipso congressu ictum sagitta Decium filium decessisse: & patrem, vel, vt cædem filij vlcisceretur, vel, vt morte sua finem dolori inueniret, in confertissimos se immisisse hostes, & nusquam apparuisse, & diis ante congressum immolasse, ad Abrittum Mœsię vrbem. inde factum loco nomen, Ara Decij appellatur. Decius pater bonitate Trajano adæquatus, noménque optimi principis iudicio senatus meruit, appellatúsque est *Imper. Cæs. M. Q. Traianus Decius Aug.* Exercitum Illyricianum mire dilexit, quia ab eo primùm imperatoris nomen accepit. Senatus Decij nomine,

Sed ad locũ insidiarum pertractus occumbit cũ filio.

Deciorũ votum.

De morte Deciorũ varia sententia.

Decij patris elogium.

Decianas thermas in Auentino ædificauit.

ZOSIMI

Gallus, Volusianus, Æmilianus.

BREVIARIVM.

1 *Galli ignauia, hypocrisis, immanitas. Scytharum noui motus, & lues horrenda Rom. imperium vastans.*

2 *Variis populis Romanas prouincias vastantibus cum Gallus non occurreret, Aemilianus propter rem bene gestam adu. Barbaros, à legionibus Pannoniæ salutatur Imperator. Gallus tandem excitatus, cristas erigit, sed à militibus cum filio iugulatur. Paulò post Aemilianum veluti regno non idoneum etiam interficiunt.*

1 *Galli ignauia, reipublicæ perniciosissima.*

GALLVS, quum ad imperium peruenisset, ac *Volusianum* filium Augustum appellasset, tantúmque non clamaret, Decium cum exercitu suis insidiis perditum, prosperæ barbarorum res incrementum cœperunt. Non enim cum præda tantùm Gallus eis, vt intra suos fines redirent, permisit: verumetiam quotannis certam pecuniæ summam dare promisit, & ex captiuis nobilissimum quemque per vim abduci passus est, quorum plerique capta Thraciæ Philippopoli, hostium in potestatem venerant. His rebus in hunc modum gestis, Romam Gallus venit, magnos ob constitutam cum barbaris pacem spiritus gerens. Ac initio quidem, imperij Deciani memoriam cum honore ac beneuolentia vsurpabat, & alterum ex filiis eius superstitem adoptabat: sed progressu temporis veri-

Ridicula præsumptio.

Hypocrisis.

tus

tus, nec qui rerum nouarum ſtudiis adſueti, regiarum in Decio virtutum memoriam aliquando ſuis cum animis repetentes, eius filio ſummam rerum traderent, mortem homini per inſidias parat, nec adoptionis vlla, nec honeſti ratione habita. Quum autem negligenter imperium Gallus adminiſtraret, primùm quidem Scythæ nationibus ſibi finitimis turbas dabant: deinde paulatim progreſſi, ad ipſum vſque mare ſita rapinis exhauriebant: adeo quidem, vt nulla Romanæ ditionis gens ab eis non vaſtata manſerit, ſed omnia propè dixerim oppida deſtituta mœnibus, & iiſdem munitorum magna pars, capta fuerint. Nec minus bello, quod vndique ſcaturiendo velut emerſerat, lues etiam peſtilens in oppidis atque vicis ſubſequuta, quidquid erat humani generis reliquum, abſumpſit: ac nunquam ſanè ſuperioribus ea ſeculis tantam hominum ſtragem ediderat.

Immanitas.

Negligentia hoſtibus portas prouinciarum pandens.

Lues luem attrahit.

HOC rerum ſtatu, quum Imperatores Rempublicam tueri non poſſent, & omnia extra Romam poſita negligerent, rurſus *Gotthi*, & *Borani*, & *Vrugundi*, & *Carpi*, ciuitates in Europa diripiebant, quidquid eis ſuperabat ſibi auferentes. *Perſæ* verò in Aſiam pedem intulerunt, tum Meſopotamiam excidio dantes, tum in Syriam progredientes, ad ipſam vſque Antiochiam: donec & illam cœpere totius Orientis metropolim, & incolis eius partim cæſis, partim in ſeruitutem abductis, infinita cum prædæ copia domum diſceſſerunt, omnibus tam priuatis quam publicis ciuitatis ædificiis, nullo penitus reſiſtente, dirutis. Ac Perſis quidem in procliui fuiſſet, tota potiri Aſia, ſi non ob immenſam vim ſpoliorum lætabundi, libenter ea ſeruare domúmque deportare maluiſſent. Scythæ verò, quum quidquid occuparant in Europa, ſecuri plane poſſiderent, & iam in Aſiam quoque tranſgreſſi eſſent, omniáque

Dum principes ſtertũt hoſtes reip. vigilant.

Potentis & inimici exercitus facinora.

Benignitas Nummus latronum violentiam compescere nouit.

ad Cappadociam, & Pesinuntem, & Ephesum vsque diripuissent: *Aemilianus*, legionum Pannoniæ dux, militibus suis, qui parum animi ad resistendum prosperæ barbarorum fortunę habebant, quanto poterat opere confirmatis, & dignitate populi Romani reis in memoriam reuocata: præter expectationem barbaros, in iis locis repertos, aggressus est. Quúmque magnam eorum partem occidisset, milites in barbaricum transduxisset, quidquid habuisset obuium nec opinanter exitio dedisset, præter omnem denique spem imperio Romano subiectos ipsorum furore liberasset: à militibus illis Imperator eligitur. Itaque coactis eorum locorum copiis, quæ iam ex parta contra Romanos victoria confirmatiores animis erant factæ, Italiam versus mouit, cum imparato Gallo manum conserturus. Qui per Orientem gesta quum inaudisset, iis ipsis copiis quas habebat ad manum, semet armabat: & Valerianum, Celticas atque Germanicas legiones adlaturum, ablegabat. Quum magna celeritate suos Aemilianus in Italiam adduxisset, propéque se constitissent exercitus: qui cum Gallo milites erant, amplitudine copiarum hunc longè inferiorem esse videntes, & simul ad hominis ignauiam negligentiámque respicientes, eum cum filio necant: quorum quidem in partes Aemiliani transitione, stabilitum illius imperium videbatur. Sed Valeriano cum transalpinis viribus in Italiam pergente, magnáque cum hominum multitudine alacriter Aemilianum debellare cogitante, hunc sui (quòd militari potius quam imperatorio more res adgredi cernerent) veluti non idoneum regno, de medio tollunt.

Et inauditis rationibus malos principes de medio tollere potest.

Suorum autem decretorum executores deinde etiam iustè opprimit.

*

SEXTI

SEXTI AVRELII VICTORIS

Gallus, Volusianus, Æmilianus.

VIBIVS Gallus cum Volusiano filio imperauerunt annos duos. Horum temporibus *Hostilianus Perperna* à Senatu Imperator creatus, nec multò post pestilentia consumptus est. Sub his etiam *Aemilianus* in Mœsia Imperator effectus est: contra quem ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu suo cæduntur, anno ætatis pater septimo circiter & quadragesimo: creati in insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur. *Aemilianus* verò menses quatuor dominatus, apud Spoletium, siue pontem, quem ab eius cæde Sanguinarium accepisse nomen ferunt, inter Otriculum, Narniámque, Spoletium & vrbem Romam regione media positum. Fuit autem genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps. Vixit annis, quatuor minus, quinquaginta. *Ex epitome.*

DECIORVM interitum vbi Patres comperere, Gallo Hostilianóque Augusta imperia: Volusianum Gallo editum Cæsarem decernunt. Dein pestilentia oritur, qua atrocius sæuiente Hostilianus interiit. Gallo Volusianóque fauor quæsitus, quod anxiè studioséque tenuissimi cuiusque exequias curarent. Igitur Romę morantibus, *Aemilius Aemilianus* summam potestatem corruptis militibus arripuit. Ad quem expugnandum profecti, Interamnæ ab suis cæduntur, spe præmij maioris ab Aemilio, cui nul- *Ex lib. de Cæsaribus.*

lo labore seu detrimento victoria obueniebat: simul quia immodici per luxum lasciuiámque officia beniuolentiæ corruperant. His sanè omnibus biennio profecit. Nam Aemilianus quoque tres menses vsus modesto imperio; morbo absumptus est: cùm proceres primò hostem, dein exstinctis superioribus pro fortuna, vti solet, Augustum appellauissent.

POMPONII LÆTI Gallus.

Galli familia.
Numismata

IMP. Cæs. C. Vib. Trebonianus Gallus Aug. patritiorum familia ortus, in quo plus fortunæ quàm fidei fuit. Quanuis quum Augustus esset, in numismatibus exprimi iusserit, VIRTVS AVGVSTORVM de se ac filio, quasi virtute, non dolo principatum assequutus. In tanta nostrorum strage, legio quæ integra Scytharum fide remanserat, Gallum Imperatorem fecit. qui superfuerant, ad hunc confugerunt, velut seruatorem reliquiarum Romani exercitus. quo rumore adductus senatus, Augustum appellauit, licet & ipse scripserit. Cum Scythis fœdus percussit, nō sine Romani nominis ignominia. Tunc primùm diuturno & libero potentatu populus Romanus tributa pependit. Tunc primùm resp. iugum Scythicæ seruitutis accepit, *tantáque est imperandi auiditas vt qui præesse cupit & ad id fastigium legi, vrbes & prouincias sine discrimine donet.* Adrianus ab aliis occupatas restituit (quod principis liberalitate videri actum potest) sed qui tributo pendendo obnoxiam fecerit vrbem, præter Gallum fuit nemo. Tributum fuit drachmatum aurearum c c. Secùs euenit quàm sperabat

Electio.
Fœdus ignominiosum cū Scythis.
Ambitio.
Tributū pendendum.

bat Imperator. *Barbarus quum vincit, insolentior est.* Itaque contemplatus diuitias Romani imperij, quòd & sua fide ille imperaret, ac per hoc tributum pro meritis non esset, incursiones facere, prædas abigere, ingentique agmine terra marique sæpiùs irrumpere. depopulatur Dardaniam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniámque, & Hellada, & pars infestabat Asiam: vndique cum plurium vrbium vastatione & excidio, Scytharum exemplo alij hostes surgunt armáque capiunt. iam in viscera Syriæ penetrant Parthi, & Armenias fugato rege Tyridate occupant, cuius liberi hostibus se dederunt. Scythæ magna onusti præda, in Dardanios, velut regni sedem, redeunt. Interea Gallus quum Romam venisset, *C. Vib. Volusianum* filium, consortem imperij fecit. Scythæ rursus non contenti pretio, iam Italiæ minabantur: sic barbaricæ gentis animus nostris opibus inhiabat. Itaque opera Aemiliani ducis limitis Mysiæ, rapacissimi hostes non sine magna cæde in suas solitudines redire coacti sunt. Ita imperium Galli infaustum atque infelix, rerum gestarum monimentis obscurum, verùm clade generis humani memoriæ traditum est. siquidem eo imperante, perniciosa pestis vndique viguit. Tabis initium fuit ab Aethiopia, fortè ex nimio solis ardore. Pestilitas primò consumptis ferè meridianis, per orientem diuagata est. inde cæteras orbis partes inuasit, vbique maximam partem incolentium exhausit, pleraque loca inhabitata reliquit. ea labes vix intra decem annos finem inuenit. Prouenisse ex infelicibus Galli auspiciis visa est, vt qui proditione imperium arripuit, Christiani etiam dogmatis hostis: qui quum copias contra Aemilianum duceret, victus & ab suis militibus desertus, vnà cum filio cæsus est. Imperauit annis duobus.

Præmium ignauia.

Barbarorũ ingenium.

Reipub. sub ignauo domino status miserrimus.

Aemiliani fortitudo bellica.

Lues horrẽda sub Galli imperio.

Gallus, Christianorũ hostis, cum filio cæsus.

POMPONII LÆTI

Æmilianus.

Aemilianus vir bellicosus.

AEMILIANVS Libycus: nanque in Mauritania ortus, a pueritia cœpit sti pendia mereri: & quum pro ætate honores promotionis non deessent, dux limitis Sarmatici in Mœsia à Decio præpositus, & a Gallo minime submotus: quũ Scythæ, solertissimum latrocinandi genus, cõtenti pretio non essent, Aemilianus pro concione suis militibus id pollicitus est, si hostes vicissent. Nostri præmio accensi ad conferendas cùm barbaris manus incitatiores facti. quúmque nimius ardor insisteret, apertis castrorum portis, auidum pugnandi militem educit: qui tanto impetu in hostes illatus est, vt non fugauerit modò, sed bona ex parte ceciderit, illorúmque regiones abactis prædiis pene exhauserit. Reuersus in Mysiam, præmia assequutus est: Aemilianus persoluit: qui hoc successu adeo gratus victori exercitui fuit vt ab eo sit Imperator appellatus. Ad hos motus opprimendos Gallus vna cum filio proficiscitur: nec profecit. Ambo in primis præliis cæsi sunt, & milites Aemiliano hæserunt: qui statim ad senatum scripsit, docens se imperatorem lectum esse, promittens se liberaturum Thracias, & Mesopotamiam & Armenias recuperaturum, & depulsurum vndique hostes nominis Romani. Sed priusquam opus aggrederetur, milites qui in Alpibus erant, Valerianum Imperatorem faciunt: quo nuntio accepto, qui sub Aemiliano erant, ne ciuili bello & cognatorum sanguine se inuicem inficerent

Milites spe præmij ad pugnam accendit.

Scythas fundit & fugat.

Imperator appellatur.

Sed à militibus, ciuile bellũ & hominis ignobi

rent, contemplantes præterea humilitatem generis Aemiliani, & nobilitatem Valeriani, simul & laudatissimos mores, eo interfecto, censorio viro se tradiderunt. Imperauit autem mensibus tribus, vixit annis XL. Ita res solo ducis capite peracta est.

litatem, ac dominatione detrectantibus interficitur.

ZOSIMI
Valerianus & Gallienus.

BREVIARIVM.

1 *Valerianus propter imminentes difficultates Gallienum filium imperii consortem deligit. Pater in Persas mouens exercitus Europæos tradit filio, qui cum Germanicæ gentis principibus fœdus init.*

2 *Ad Istrum populi, nominatim Borani Scythæ in Asiam transiiciunt, qua deprædata, domum repetũt à Successiano pulsi.*

3 *Successiano, propter prætorii præfecturam reuocato, Scythæ redeunt, & Trapezuntem vrbem maximam, ab ignauo milite custoditam facilè expugnant & diripiunt.*

4 *Horum finitimi, prædam ablatam conspicientes, alio itinere ingressi, Chalcedonem capiunt innumera præda onusti, Asiam excursionibus vexant: deinde ad sua reuertuntur.*

5 *Valerianus animi dubius, pede trepidante ad bellum incedit. Saporis potentia territus, pacem postulat, & insidiis Persarum circumuentus, ab iisdem detinetur tanquam mancipiũ, vsque ad vitæ finem. Scythæ Illyricum & Italiam vastant, vnde Senatus & populi Romani ingẽs formido.*

6 *Varii Imperatores variis in locis, propter Gallieni turpem ignauiam, eliguntur. Postumus sublato Salonino Gallieni filio rerum apud Celtas potitur,*

Gallienus Scythas Græciã affligentes adoriri instituit, Odanatho aduersus Saporẽ misso, qui Persas feliciter reprimit, & paulo post interfectus viduam relinquit Zenobiam vxorem, animo virili præditam.

7 *Gallienus audiens Aureolum imperii summam sibi polliceri, in eum (relicto bello Scythico) mouet. Heraclianus prætorio præfectus necem Gallieno molitur, & per militem ex insidiis interfici curat.*

I *Sicut nec temeritas semper felix, ita nec prudẽtia est vbique tuta, quam externa vis obruit, iusta Numinis, Romanam ferociam calcãtis, vindicta*

POST Galli, Volusiani & Aemiliani cædem *Valerianus* de communi omnium sententia summum imperium adeptus, magno studio rebus rectè constituendis incumbebat. Scythis autem suis ex sedibus egressis, & præter hos Marcomannis quoque per irruptiones finitima Romano imperio loca deprędantibus, ad extremũm redacta periculum Thessalonica fuit: cuius obsidione vix magno labore soluta, fortiter hosti resistentibus iis qui in vrbe erant, vniuersa turbis Græcia torquebatur. Athenienses reficiendo muro studebant, cui ab eo tempore, quo dirutus à Sulla fuerat, nulla erat adhibita cura: Pelopõnesij muro Isthmum obstruebant. Publicæ verò ab omni Græcia, tutandæ caussa regionis, excubiæ habebantur. Valerianus animaduerso periculo, quod imperio Romano cunctis ex partibus immineret, *Gallienum* filium imperij consortem deligit: & quod vndique publicæ res infestarentur, ipse versus orientem mouet, vt *Persis* resisteret: Europæos exercitus filio tradit, cohortatus eum, cum iis vt copiis semet irruentibus vndique barbaris opponeret. Gallienus vidẽs *Germanicas gentes* cæteris infestiores esse, quæ adcolas Rheni Celticas nationes acrius vexarent, hãc partem sibi propugnãdam ab hostibus sumit: aliis, qui per Italiam, Illyricum, Græciámque prædis agendis intenti essent,

Consilia & arma nihil sine Numine.

ſent, duces cum eorum locorum exercitibus, bellum facere iuſſit. Ac ipſe quidem Rheni transjectus cuſtodiens, quantum præſtare poterat, interdum tranſitu hoſtes arcet, interdum tranſeuntibus ſuos inſtructos obiicit. Sed quod ingenti cum multitudine, perexiguas ipſe copias habens, bellum gereret, in anguſtum iam coactæ res ipſius erant, quum inito fœdere cum quodam de gentis Germanicæ principibus, ex aliqua parte minuiſſe periculum viſus fuit. Nam cæteros ille barbaros arcebat, quo minus continenter Rhenum tranſirent, & irruentibus obſtabat. Ac Rheni quidem adcolarum hæc erat conditio.

Immò tunc creſcunt pericula, quæ ſola Dei benignitas minuere poteſt.

2 BORANI verò, & *Gothi*, & *Carpi*, & *Vrugundi* (nationum hæc nomina propter Iſtrum ſedes habentium) nullam nec Italiæ nec Illyrici partem a continuis vaſtationibus immunem relinquebant, omnia, nemine reſiſtente, diripientes. Et quidem *Borani* in Aſiam quoque tranſiicere conabantur: idque per incolas Boſpori ſanè quam facile obtinuerunt, qui metu potiùs quàm animi voluntate adducti, naues eis dederunt, & in tranſiiciendo duces fuerunt. Quàm enim diu reges illi habebant, filiis in regnum paternum ſuccedentibus, partim propter amicitiam cum populo Romano, & commerciorum opportunitatem, partim propter ea munera, quæ ab Imperatoribus quotannis eis mittebantur, Scythas in Aſiam tranſiicere volétes arcere non deſinebant. Verùm poſteaquam exſtincto genere regio, quidam viles & abiecti principatum obtinuiſſent: ſibimet ipſi metuentes, Scythis adeundæ per Boſporum Aſiæ facultatem conceſſerunt, & ſuis eos nauibus transuexere: quibus deinde receptis domum remearunt. Cæterùm Scythis obuia quæque deprædantibus, qui maritima Ponti loca incolebant, ad mediterranea maximéque munita mi-

Nec deſunt iuſto iudici iræ ſua in ſuperbos inſtrumenta & flagella, quæ rerum gerendarum occaſiones captare norũt, & quibus inuia nulla eſt via

grabant. Barbari vero Pityuntem primùm adorti sunt, muro maximo circundatam, & portum commodissimam habentem. Sed quum dux militum eius loci Successianus, cum iis copiis, quæ istic aderant, semet obiecisset, & reiectos inde barbaros abegisset: veriti Scythæ, ne huius rei fama per cætera quoque castella didita, eorum præsidiarij militibus Pityunteis adgregati, funditus ipsos delerent: quantam maximã poterant, nauigiorum nancti copiam, summo cum periculo domum reuerterunt, in hoc ad Pityuntem bello compluribus suorum amissis.

His autem, (quum Deo lubet) occurrunt alia salutis instrumenta.

ENIMVERO qui ad Pontum Euxinum habitabant, Successiani ductu seruati, quemadmodum exposuimus, nunquàm fore sperabant, vt rursum Scythæ transiicerent, qui iam indicato modo repulsi fuissent. Sed vbi Valerianus accessitum ad se Successianum præfectum prætorij dixisset, & cum eo res Antiochenæ ciuitatis & instaurationem eius ordinaret: denuo Scythæ, sumptis a Bosporanis nauibus, transmiserunt. Retentis autem nauigiis, nec (vt factitatum prius erat) concessa potestate Bosporanis, vt eis in patriam reuerterentur: propter Phasidem profecti sunt, vbi fanum Dianæ Phasianæ, cum Aetæ regia, collocatum perhibent. Hoc fanum occupare conati, seu frustra, Pityuntem rectà contendunt. Castello perfacile capto, suóque præsidio denudato, pergunt vlterius. Quúmque magna copia nauigiorum abundarent, & captiuis remigandi peritis ad nauigationem vsi, tempestatem commodam toto propemodum æstiuo tempore habuissent: Trapezuntem petierunt, vrbem amplam & populosam, quæque præter consuetos milites, aliorum infinitum prope numerum receperat. Obsidione cœpta, ne per somnium quidem vrbe se potituros sperabant, quòd esset ex duobus muris circundata. Sed quũ ignauia temulẽtiáque occupatos animaduer

Fortissimorũ belli ducum absentia, portam hostibus aperit, vt pro arbitrio suo deinde grassentur.

Vrbes ampla & populosa, partim nimia confidentia, partim nimia socordia sæpissimè pereunt.

uerterent milites ne murum quidem amplius conscendere, nec vllo tempore luxum & compotationes suas intermittere: arboribus, quas dudum ad hoc præparauerant, admotis muro, qua perueniri ad eum poterat, & noctu per has, aliis alios exiguo numero subsequentibus, ascendentes, vrbem capiunt, ob repentinam & improuisam hostis irruptione metu perculsis præsidiariis, & per alias portas ex vrbe fuga dilapsis, cæteris ab hostibus interemptis. Vrbe hoc modo capta, ineffabilem barbari opum captiuorúmque copiam adepti sunt. Nam forte finitimi propemodum omnes in eam, veluti locum munitum, confluxerant. Templis & ædificiis dirutis, aliisque rebus ad elegantiam magnitudinémve cóparatis, & excursionibus tota regione vexata, compluribus cum nauigiis domum discessere.

O 4 QVVM horum finitimi Scythæ adlatas ab eis opes conspexissent, & simile facinus audendi cupiditas eos incessisset: nauigia quidem ab eis parabantur, vtentibus ad eorum structuram mancipiorum opera, quæ secum habebant, vel cæteroquin ipsis inopiæ caussa semet adiungentium: sed ea ratione qua Borani fuissent vsi, minime nauigationem instituendam esse, tum longam, tum difficilem, pérque vastata iam ante loca decreuerunt: sed hyemis ex spectato tempore, Ponto Euxino ad sinistram relicto, pedestribus copiis per ipsa litora, prout fieri poterat, cursim comitantibus, Istrum, Tomos, Anchialum, ad dextram prætergressi, ad Phileatinam venere paludem, quæ versus Occidentem solstitialem Byzantij, Ponto adiacet. Cognito autem, eius lacus piscatores in adiacentibus lacui paludibus cum iis, quas haberent, nauibus abditos delitescere: interposita cautione perfecerunt, vt sese sisterent: quúmque naues eorum copiis pedestribus suis onerassent: transire per id fretum nitebantur,

Spes & amor prædæ ingens ad bella mouenda martialibus populis stimulus.

Nihil absconditũ prædãdi cupidis.

quod Byzantio Chalcedoníque interiacet. Erat non in ipſa modo Chalcedone præſidium, verumetiam ad fanum vſque diſpoſitum, quod eſt ad oſtium Pōti: longéque barbaros aduentantes viribus illud ſuperabat. Sed milites ipſi partim diſceſſere, quaſi qui occurrere duci ab Imperatore miſſo vellent: partim tanta trepidatione correpti fuerunt, vt ad primam rei famam citato curſu diffugerent. Quo facto ſimul & tranſiere barbari, & Chalcedone nullo reſiſtente capta, opibus & armis, alióque rerum apparatu copioſiſſimo potiti ſunt. Hinc Nicomediam contenderunt, vrbem maximam & fortunatam, opibúſque ac rerum omnium copia celeberrimam. Sed licet præcepta fama ciues iam ante diffugiſſent cum opibus ſuis, quas auferre ſecum poterant, nihilo minus barbari repertorum ab ſe copiam mirati, omni honore atque obſeruantia Chryſogonum proſequebātur, qui iamdudum eis auctor fuerat, vt Nicomediam proficiſcerentur. Qúmque Nicæam, & Cium, & Apameam, & Pruſam iiſdem incurſionibus vexaſſent, & in illis paria deſignaſſent, Cyzicum petiere. Verum, quod Rhyndacus fluuius, ex imbribus auctus, ingētem aquarum vim volueret; tranſiectione fruſtra tentata, retroceſſerunt: ac Nicomediam quidem & Nicæam, iniectis ignibus, ſuccenderunt: ſpoliis verò in plauſtra nauéſque coniectis, domum cogitabant; hoc impreſſioni ſecundæ fine impoſito.

Militū ignauorum ingenium.

Vrbium longa & alta pace fruentium opes inexhauſtæ.

5 VALERIANVS, intellectis iis quæ in Bithynia gererentur, ex diffidentia nemini ducum credere defenſionem illius contra barbaros audebat: ac Felice miſſo qui Byzātium tueretur, ipſe ab Antiochia ad Cappadociam vſque progrediebatur, & tranſitū duntaxat attritis oppidis, pedem referebat. Qúmque peſtis inuaſiſſet exercitus, eorúmque maiorem partem abſumpſiſſet, *Sapores* Orientem adgreſſus

Humana prudētia cæca, vbi oculatior eſſe debet.

gressus, exitio dabat omnia. Valerianus autem, qui propter mollitiem, vitámque remissiorem, de subleuandis ad extremum prolapsis rebus desperasset, quum data pecunia bello finem imponere vellet, missos hoc nomine legatos, rebus infectis, Sapores ab se dimisit: & vt Imperator ipse de iis, quæ sibi duceret necessaria, secum in colloquium veniret, postulabat. Ille, nulla prudentia postulatis adsensus, & inconsulto cum paucis ad Saporem profectus, quasi de ineunda pace cum eo colloquuturus, ab hostibus subitò comprehenditur, & ad mancipij fortunam redactus, in eadem conditione apud Persas viuendi finem fecit: maximo dedecore nomini Romano apud posteros relicto. Quum hic rerum per Orientem status esset, omnia velut destituta principe, confusa pariter & indefensa iacebant. Et Scythæ coniunctis animis ex qualibet gente natione que sua in vnum congressi, parte quadam copiarum suarum Illyricum agebant, ferebant, & ciuitates eiusdem vastabant: cum alia verò parte Italiam ingressi ad ipsam vsque Romam perrexerũt. At Gallieno transalpinis in locis hærente, Germanicisque bellis intento, Senatus vrbem Romam in summum discrimen adductam videns, & milites quotquot erant ad vrbem instruxit, & arma valentioribus e plebe dedit, & hoc modo maiorem barbarico coegit exercitum, quem hostes veriti, Romam illi quidem reliquere, sed vniuersam prope dixerim peruagando afflixerunt Italiam. Itidem quum per Illyricum res, ob Scytharum irruptionem, in extremo versarentur, & totum Romanis subiectum sic quassaretur imperium, vt ab interitu non procul abesset, tanta pestis in ciuitatibus exorta, quanta nunquam prius vllo tempore exstiterat, calamitates à barbaris illatas leuiores reddidit: lue verò correptis hoc adtulit commodi, beatos vti se ducerent, & captas vrbes, ad

Et desperabũda quum sperandum fuit.

Tandem suæ imprudẽtia irreparabilia damna. Et dedecora recipit.

Aliósque post se conijcit in summum rerum omnium discrimen.

ſolitudinem planè redactas.

Luctuoſa imperij Romani facies ſub Gallieno, ignauo et luxurioſo principe.

6 His rebus omnibus conturbatus Gallienus, Romam reuerſus eſt: vt illato ab Scythis Italiæ bello remedium adferret. Quo tempore inſurgentibus in eum Cecrope Mauro, Aureolo, Antonino, & aliis pluribus, cæteri propemodum omnes pœnas dederunt, ſolus Aureolus infeſto erga Imperatorem animo eſſe, perrexit. Secundum hæc Poſthumus quoque, cui magiſterium militum apud Celtas commiſſum fuerat, animum ad res nouas adiecit, ſumptíſque ſecum militibus qui cum ipſo defecerant, Agrippinam contendit, vrbem maximam, ad Rhenum ſitam, vbi Saloninum Gallieni filium obſedit, minatus obſidionem ſe minime ſoluturum, niſi deditus ille ſibi fuiſſet. Militibus obſidionis neceſſitate compulſis, vt & ipſum, & ipſius cuſtodiæ præfectum à patre Siluanum traderent, vtroque interfecto, Poſtumus rerum apud Celtas potitus eſt. Quum autem *Scythæ* Græciam grauiſſimis damnis adfeciſſent, ipſis etiam Athenis expugnatis, Gallienus manum cum eis, ad Thraciam vſque progreſſis, conſertùrus acceſſit: deſperatiſque rebus Orientis opem adferre iuſſit *Odanathum*, municipem Palmyrenum, & inde vſque à maioribus ſuis eum honorem conſecutum, qui concedi ab Imperatoribus ſolet. Is vbi reliquis iſtic exercitibus copias ſuas, quã poterat maximas, admiſcuiſſet, ſtrenue Saporem adortus eſt, & quum alias vrbes imperio Perſarum adſuetas, tum Niſibim ab Sapore captam, Perſarúmque rebus addictam, impetu in eam facto recepit & euertit. Quúmque non ſemel, ſed iterum Cteſiphontem vſque proceſſiſſet, Perſas intra munitiones ſuas compulſos occluſit, contentos ſi liberûm, & vxorum, & ſuam ſalutem tueri poſſent: ipſe res vaſtatæ iam regionis, pro viribus, ex vſu ſuo conſtituit. Poſteaquam hic Emiſæ tum degens, & natalitiam

Cuius filius fit Poſtumi victima.

Odanathus fidelis & fortiſſimi ducis exemplum.

tiam quandam celebritatem peragens, ex insidiis interemptus est: rerum istic in se curam *Zenobia* suscepit, Odanathi quidem illa coniux, sed animo virili prædita, quæ opera familiarium mariti parem diligentiam rebus gerendis adhibebat.

Cui interfecto uxor sue cedit, virili animo prædita.

7 QVVM hic status Orientis esset, Gallieno bellum Scythicum nauiter vrgenti nuntius adfertur, Aureolum ducem omnium copiarum equestrium, qui ad vrbem Mediolanum Postumi transitum in Italiam obseruare iussus fuerat, res nouas moliri, & imperij summam sibi polliceri. Ad eius rei famam conturbatus, statim ad iter Italicum semet accingit, tradito præturæ imperio, belli Scythici conficiendi caussa, Marciano, viro bellicis rebus exercitatissimo. quo bellum hoc feliciter administrante, Gallienus iter Italicum persequens, in huiusmodi insidias incidit. *Heraclianus*, præfectus prætorio, socium consilij Claudium nanctus, qui secundum Imperatorem administrationi rerum præesse videbatur, necem Gallieno molitur. Quúmque reperisset hominem ad perpetrāda eiusmodi expeditissimum, qui alæ Dalmatarum præfectus erat, rem ei perficiendam committit. Adstans ille cœnanti Gallieno, quum exploratorem quēdam nuntiasse dixisset, Aureolum cum copiis suis accedere, hominem verbis huiusmodi terruit. Quapropter arma poscens, & in equum insiliens, signum militibus dabat, vt se cum armis sequerentur, ac ne corporis quidem stipatoribus exspectatis abequitabat. Itaque præfectus alæ nudum conspicatus interfecit.

Ignauus princeps bellicorum negotiorum mole obruitur.

Coniurationes in suum caput, vt Cæcias nubes, attrahit

Et miserè tandem opprimitur.

SEXTI AVRELII VICTORIS

L. Valerianus & Gallienus.

BREVIARIVM.

1 *Valeriano à Sapore capto, bellis externis & ciuilibus imperium Romanum concutitur, quæ Imperator ipse suâ fouet ignaua luxuria.*

2 *Gallienus ludens excitatur ab Aureolo, quem fusum acie obsidet. Aureolus dolo sibi consulens Gallienum ad cruentum vitæ exitum pertrahit. Romæ status post Gallieni interitum.*

I *Valerianus imperator filium videt Cæsarem, sed infelici omine.*

INTERFECTIS Gallo, Volusiano, & Aemiliano, milites, qui contracti vndique apud Rhætias ob instans bellum morabantur, *Licinio Valeriano* imperium deferunt. Qui quanquam genere satis claro, tamen, vti mos tum etiam erat, militiam sequebatur. Eius filium *Gallienum* Senatus Cæsarem creat, statimque Tiberis adulta ætate diluuij facie inundauit. Prudentes perniciosum Reipublicæ cecinere, adolescentis fluxo ingenio, quia Etruria accitus venerat, vnde amnis prædictus: quod equidem confestim euenit. Nam cùm eius pater bellum per Mesopotamiam anceps diuturnúmque instruit, Persarum regis, cui nomen Sapor erat, dolo circumuentus, fœde laniatus interiit, imperij anno sexto, anno robustiore. Sub idem tempus *Licinius Gallienus*, cum à Gallia Germanos strenuè arceret, in Illyricum properans descendit. Ibi *Ingebum*, quem curantem Pannonios, comperta Valeriani

In Persia perit.

Ingebus à Gallieno victus.

riani clade, imperandi cupido incesserat, Mursiæ deuicit: móxque Regallianum qui receptis militibus, quos Mursina labes reliquos fecerat, bellum duplicauerat. His prosperè, ac supra vota cedentibus, more hominum, secundis solutior, rem Romanam quasi naufragio dedit, cum *Salonino* filio cui honorem Cæsaris contulerat, adeo vti Thraciam Gothi liberè progressi, Macedonas Achæósque & Asiæ finitima occuparent: Mesopotamiam Parthi: Orienti latrones seu mulier dominaretur: Alemanorum vis tunc ęquè Italiam, Francorum gentes (direpta Gallia) Hispaniam possiderent, vastato ac pene direpto Tarraconensium oppido, nactisque in tempore nauigiis pars vsque in Africam permearet: & amissa trans Istrum, quę Trajanus quæsierat. Ita quasi ventis vndique sæuientibus, paruis maxima, ima summis orbe toto miscebantur. Simúlque Romam pestilentia grassabatur, quæ sæpe curis grauioribus atque animi desperatione oritur. Inter hæc ipse popinas, ganeásque obiens, lenonum ac vinariorum amicitiis hærebat, expositus Saloninæ coniugi atque amori flagitioso filiæ Attali Germanorum regis, Pipæ nomine. Qua caussa etiam ciuiles motus longe atrociores orti. Námque primus omnium *Postumus*, qui forte Barbaris per Galliam præsidebat, imperium ereptum ierat, explosáque Germanorum multitudine, *Lolliani* bello excipitur, quo non minus feliciter fuso, suorum tumultu periit: quod flagitantibus Maguntiacorum direptiones, quia Lollianum iuuerant, abnuisset. Igitur, eo occiso, *Marius* ferri quondam opifex, neque etiam tum militiæ satis clarus, regnum capit. Proinde cuncta ad extremum reciderant, vti talibus imperia ac virtutum omnium decus ludibrio essent. Hinc denique iocula-riter dictum, nequaquam mirum videri, si rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius

Prosperitas nimia malè suada & cæca.

Sub ignauo & luxurioso principe labascit principatus.

Tyranni, sub Gallieni imperio, numero triginta à Trebellio Pollione describuntur.

eiuſdem artis auctor, ſtirpiſque ac nominis, ſolidauiſſet. Hoc iugulato poſt biduum, *Victorinus* deligitur belli ſcientia Poſtumo par, verùm libidine præcipiti, qua cohibita in exordio, poſt biennij imperium, conſtupratis vi pleriſque, vbi Attitiani coniugem concupiuit, facinúſque ab ea viro patefactum eſt, accenſis furtim militibus per ſeditionem Agrippinæ occiditur. Tantum Actuariorum, quorum loco Attitianus habebatur, in exercitu factiones vigent, vt arduum petentibus malitia patraretur: genus hominum, præſertim hac tempeſtate, nequam, venale, callidum, ſeditioſum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandáſque quaſi ab natura factum: annonæ dominans, eóque vtilia curantibus & fortunis aratorum infeſtum: prudens in tempore his largiendi, quorum væcordia damnóque opes contraxerit. Interim *Victoria*, amiſſo Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, *Tetricum* Imperatorem facit, qui familia nobili, præſidatu Aquitanos tuebatur: filióque eius *Tetrico* Cæſarea ſigna impartiuntur.

Actuariorũ ingenium.

Pecuniæ largitio bellorum ciuilium fomes.

2 AT Romæ Gallienus pacata omnia, ignaris publici mali, improbe ſuadebat: crebro etiam, vti rebus ex voluntate geſtis ſolet, ludos ac feſta triumphorum, quo promptius ſimulata confirmarentur, exercens. Sed poſtquam periculum propinquabat, tandem vrbe egreditur. Námque *Aureolus*, cum per Rhætias legionibus præeſſet, excitus, vti mos eſt, ſocordia tam ignaui ducis, ſumpto imperio Romam contendebat. Eum Gallienus apud pontem, cui ex eo Aureoli nomen eſt, fuſum acie Mediolanum coegit: quam vrbem cùm machinationibus omnis generis oppugnat, ab ſuis interiit. Quippe Aureolus, vbi ſoluendi obſidij ſpem inanem videt, ducum Gallieni tribunorúmque nomina, quaſi deſtinata ab eo ad necem, aſtu compoſuit, litteráſque

Nihil curat niſi ſeipſam ignauia luxurioſa.

Aureolus dolo Gallienum à quo vi ſuperatus erat, euertit.

e muro

è muro,quamoccultiſſimè potuit,abiecit:quæ fortè à memoratis repertæ,metum ſuſpicionémque iniecere mandati exitij, verùm eas effluxiſſe incuria mi niſtrorum. Qua cauſſa Aureliani conſilio,cuius gratia in exercitu atque honos præſtabant, ſimulata proruptione hoſtium, nullis,vti re trepida ac repen tina ſolet, tectum ſtipatoribus, tabernaculo educunt nocte intemperata, telóque traiicitur, cuiuſnam per tenebras,incertum. Ita auctoris neciſne errore, an quia bono publico acciderat, inulta cædes fuit. Quanquam eo prolapſi mores ſunt, vti ſuo quàm Reipublicæ, magiſque potentiæ quàm gloriæ ſtudio plures agant. Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta, dum plerumque potior flagitio, vbi armis ſuperauerit, tyrannidem amotam vocauerit,damno publico oppreſſos. Quinetiam aliquanti pari libidine in cœleſtium numerum referuntur,ægrè exſequiis digni:quîs ni fides rerum geſtarum obſtitiſſet,quæ neque honeſtos prẹmiis memoriæ fruſtrari ſinit,neque improbis æternam illuſtrémque famam procedere,nequicquam poteretur virtus: cùm verum illud atque vnicum decus peſſimo cuique gratia tribueretur, demum impiè bonis. Denique Gallienum ſubacti à Claudio Patres,quòd eius arbitrio imperium cœpiſſet, diuum dixêre. Nam cùm profluuio ſanguinis, vulnere tam graui, mortem ſibi adeſſe intelligeret, inſignia imperij ad Claudium deſtinauerat, honore tribunatus Ticini retinentem præſidiariam manum. Quod ſanè extortum: cùm neque Gallieni flagitia, dum vrbes erunt,occultari queant:& quiſque peſſimus erit, par ſimiliſque ſemper ipſi habebitur. Adeo Principes atque optimi mortalium, vitæ decore, quàm quæſitis nominibus, atque compoſitis, quantum coniiciatur, cœlum adeunt, ſeu fama hominum dei celebrantur modo. At Senatus comperto tali exitio,ſa-

Reipublicæ Rom. ſtatus.

Gallieni fama & nomen.

Principum decus.

tellites propinquósque per scalas Gemonias præceps agendos decreuit, patronóque fisci in Curiam perduci effossos oculos pependisse satis constat: cùm intuens vulgus, pari clamore, Terram matrem, deósque inferos precaretur, sedes impias vti Gallieno darent. Ac nisi Claudius confestim recepta Mediolani vrbe, tanquam postulato exercitus parcendum, qui forte eorum supererant præcepisset, nobilitas plebésque atrocius grassarentur. Et Patres quidem, præter commune Romani malum orbis, stimulabat proprij ordinis contumelia: quia primus ipse, metu socordiæ suæ, ne imperium ad optimos nobilium transferretur, Senatum militia vetuit, etiam adire exercitum. Huic nouem annorum potentia fuit.

Vulgi in Gallienum odia.

Gallienus in senatū contumeliosus.

Ex Sexti Aurelij Victoris Epitome.

LICINIVS Valerianus, cognomento Colobius, imperauit annos quindecim, parentibus ortus splendidissimis, stolidus tamen & multum iners, neque ad vsum aliquem publici officij, consilio seu gestis accommodatus. Hic filium suum *Gallienum* Augustum fecit, Gallieniq; filium *Cornelium Valerianum* Cæsarem. His imperantibus, *Regillianus* in Mœsia: *Cassius*, *Labienus*, *Posthumus* in Gallia, Gallieni filio interfecto, Imperatores effecti sunt. Pari modo *Aelianus* apud Moguntiacum, in Aegypto *Aemilianus*, apud Macedonas *Valens*, Mediolani *Aureolus* dominatum inuasere. Valerianus verò in Mesopotamia bellum gerens, à Sapore Persarum rege superatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili seruitute consenuit. Nam quandiu vixit, rex eiusdem prouinciæ incuruato eo pedem

Valerianus victor: stolidus, Zosimo & Tr. Pollioni prudēs.

Tyranni varij.

Ignobilis & misera Valeriani seruitus.

dem ceruicibus eius imponens, equum conſcendere ſolitus erat. Gallienus quidem in locum Cornelij filij ſui *Saloninum* filium alterum ſubrogauit, amori diuerſo pellicum deditus, Saloninæ coniugis, & concubinæ, quam per concubinam conceſſa parte ſuperioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege matrimonij ſpecie ſuſceperat, *Pipam* nomine. Nouiſſimè aduerſus Aureolū profectus eſt. Quem cùm apud pontem, qui ex eius nomine Aureolus appellatur, obtentum detruſúmque Mediolanum obſedit, eiuſdem Aureoli commento à ſuis interiit. Regnauit annos quindecim, cum patre ſeptem, ſolus octo. Vixit annos quinquaginta.

Infeliciſſ. patris infeliciſſimus filius.

TREBELLII POLLIONIS Valerianus.

BREVIARIVM.

1 *Valerianus, princeps eximius, iure meritorum Imperator electus. Eius encomia, toto Senatu approbante. Quid de eo Decius Auguſtus ſenſerit, & ipſius Valeriani modeſtia reſponſio.*

2 *Captus à Sapore, à maximis regibus deſideratur & repetitur: multique populi auxilia pollicentur ad eum de captiuitate liberandum, ſed fruſtra, nam in carcere conſeneſcit.*

VALERIANVS Imperator, nobilis genere, patre Valerio, cenſor antea, & per dignitatum omnes gradus ſuis temporibus ad maximum in terris culmen aſcendens, cuius per annos LXX vita laudabilis in eam conſcenderat gloriam, vt per omnes honores

1 *Valerianus legitima via ad imperij honores peruenit.*

& magiſtratus inſigniter geſtos, Imperator fieret: vt non ſolet tumultuario populi concurſu, non militum ſtrepitu, ſed iure meritorum, & quaſi ex totius orbis vna ſententia. Denique ſi data eſſet omnibus poteſtas promendi arbitrij quem Imperatorem vellent, alter non eſſet electus. Et vt ſciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit publicorum, ponam ſenatuſconſulta, quibus animaduertant omnes quid de illo ſemper ampliſſimus ordo iudicauerit. Duobus Deciis COSS. VI. Calend. Nouembr. die, quum ob imperatorias literas in æde Caſtorum ſenatus haberetur, iretúrque per ſententias ſingulorum cui deberet cenſura deferri, (nam id Decij poſuerant in ſenatus ampliſſimi poteſtate) vbi primùm prætor edixit, *Quid vobis videtur P.C. de cenſore deligendo?* atque eum qui erat princeps, quum ſenatus ſententiam rogaſſet, abſente Valeriano; (nam ille in procinctu ſuo cum Decio agebat) omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicendæ ſententiæ, *Valeriani vita cenſura eſt. Ille de omnibus iudicet qui eſt omnibus melior. Ille de ſenatu iudicet qui nullum habet crimen. Ille de vita noſtra ſententiam ferat cui nihil poteſt obiici. Valerianus à prima pueritia cenſor fuit. Valerianus in tota vita ſua fuit cenſor. Prudẽs ſenator, modeſtus ſenator, grauis ſenator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hoſtis criminum, hoſtis vitiorum. Hunc cenſorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis ſanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus ſingularis, exemplum antiquitatis.* Quæ quum eſſent ſæpius dicta, addiderunt omnes, atque ita diſceſſum eſt. Hoc ſenatuſconſultum vbi Decius accepit, omnes aulicos conuocauit, ipſum etiam Valerianum præcepit rogari: atque in conuentu ſummorum virorum, recitato ſenatuſconſulto, *Felicem te*, inquit, *Valeriane ſenatus ſententia, imò animis atque pectoribus: totius orbis humani ſuſcipe cenſuram quam tibi detulit Romana reſp.*

quam

Sũma laus in viro principe.

De cenſura Valeriano collata narratio memoratu digniſſima.

Eximium magni viri elogium: & optimi principis imago.

Senatuſconſultum ab Imperatore confirmatũ. Firmum decus, à laudatis & ſumma dignitatis viris laudari.

quam solus mereris, indicaturus de moribus nostris. Tu æstimabis qui manere in curia debeant, tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges, tu censibus modum pones, tu vectigalia firmabis, diuides statum, respublicas recensebis: tibi legum scribendarum autoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies: tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de præfectis eminentissimis iudicabis. Excepto denique præfecto vrbis Romæ, exceptis COS. *ordinariis, & sacrorum rege ac maxima virgine Vestalium, (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem etiam illi vt tibi placeant de quibus non potes iudicare.* Hæc Decius. Sed Valeriano sententia huiusmodi fuit: *Quæso sanctissime Imperator, ne ad hanc me necessitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus, de senatu, de omni penitus orbe, iudicibus, & tribunis, ac ducibus. Hæc sunt propter quæ Augustum nomen tenetis, apud vos censura desedit, non potest hoc implere priuatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est confidentia, cui tempora sic repugnant vt censuram hominum natura non quærat.*

Modestia Valeriani, politicis viris apprimè conueniens.

2 POTERAM multa & alia senatusconsulta, & iudicia principum de Valeriano proferre, nisi ea vobis plerisque nota essent, vt puderet altius virum extollere, qui fatali quadam necessitate superatus est. Victus est enim à Sapore rege Persarum dum ductu cuiusdam sui ducis, cui summam omnium bellicarum rerum agendarum commiserat, seu fraude, seu aduersa fortuna in ea esset loca deductus vbi nec vigor nec disciplina militaris, quin caperetur, quicquam valere potuit. Captus igitur, in ditionem Saporis peruenit: quem quum gloriosæ victoriæ successu minus honorificè quàm deceret, superbo & elato animo detineret, atque cum Romanorum rege, vt vili & abiecto mancipio loqueretur, literas ab amicis regibus, qui & ei contra Valerianum faueant, plerasque missas accepit, quarum seriem Iu-

Ducunt volentem fata nolentē trahunt. Et pessimè sibi princeps cōsulit qui imperitos aut nefarios homines, præcipuè in bellis, sequi cogitur.

Magnos principes aliorum principum sibi æqualiũ fortunam expendere decet.

lius refert. Sapori, rex regum Belsolus: *Si scirem posse aliquando Romanos penitus vinci, gauderem tibi de victoria quam præfers. Sed quia vel fato vel virtute gens illa plurimum potest, vide ne, quòd senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude, malè tibi cedat posterísque tuis. Cogita quantas gentes Romani ex hostibus suas fecerint, à quibus sæpe victi sunt. Audiuimus certè quòd Galli eos vicerint, & ingentem illam ciuitatem incenderint. Certè Galli Romanis seruiunt. Quid Afri? eos nónne vicerunt? Certè seruiunt Romanis. De longioribus exemplis, & fortasse ignotioribus nihil dico. Mithridates Ponticus totam Asiam tenuit, certè victus est, certè Asia Romanorum est. Si meum consilium requiris, vtere occasione pacis, & Valerianum suis redde: ego gratulor felicitati tuæ, si tamen illa vti tu scias.* Balerus rex Cadusiorum sic scripsit, *Remissa mihi auxilia integra & incolumia gratanter accepi. sed captum Valerianum principem principum non satis gratulor, magis gratularer si redderetur. Romani enim grauiores tunc sunt quando vincuntur. Age igitur vt prudentem decet: nec fortuna te inflet quæ multos decepit. Valerianus & filium Imperatorem habet & nepotem Cæsarem: & quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus insurget. Redde igitur Valerianum, & fac cum Romanis pacem, nobis etiam ob gentes Ponticas profuturam.* Artabasdes rex Armeniorum talem ad Saporem epistolam misit, *In partem gloriæ venio: sed vereor ne non tam viceris quàm bella seueris. Valerianum & filius repetet, & nepos, & duces Romani, & omnis Gallia, & omnis Africa, & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes quæ sunt in Illyrico, atque in oriente & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Vnum ergo senem cepisti, & omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi fecisti: fortassis & nobis qui auxilia misimus, qui vicini sumus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.* Bactriani, & Hiberi, & Albani, & Tauroscythæ Saporis literas non receperunt, sed ad Romanos duces scripserunt, auxilia

Et pro captiuorum liberatione magno & liberali animo intercedere.

Atque victorem principem ad futuræ sortis consideratio nem reuocare.

Auxilia item necessaria polliceri

pollic

pollicentes ad Valerianum de captiuitate liberandum. Sed Valeriano apud Perſas conſeneſcente, Odenatus Palmyrenus, collecto exercitu rem Romanam propè in priſtinum ſtatum reddidit. Cæpit regis theſauros, cæpit etiam quas theſauris chariores habent reges Parthici, concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore Baliſtæ atque Odenati, in regnum ſuum ocyus ſe recepit. Atque hic interim finis belli fuit Perſici. Hæc ſunt digna cognitu de Valeriano, nunc ad Valerianum minorem reuertar.

Victorib. ſuperbis Deus reſiſtit.

TREBELLII POLLIONIS
Valerianus iunior.

VALERIANVS iunior alia quàm Gallienus matre genitus, forma conſpicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, atque à fratris diſſolutione ſeiunctus, à patre abſente Cæſar eſt appellatus, à fratre (vt Celeſtinus dicit) Auguſtus. nihil habet prædicabile in vita niſi quòd eſt nobiliter natus, educatus optimè, & miſerabiliter interemptus. Et quoniam ſcio errare pleroſque qui Valeriani Imperatoris titulum in ſepulchro legentes, illius Valeriani redditum putant corpus, qui à Perſis eſt captus: ne vllus error obrepat, mittendum in literas cenſui, hunc Valerianum circa Mediolanum ſepultum, addito titulo, Claudij iuſſu, VALERIANVS IMPERATOR. Non puto plus aliquid vel de maiore Valeriano, vel de iuniore requirendum. Et quo-

Iunior Valerianus inconſtantiæ humanæ & viciſsitudinis rerum ſpeculum.

niam vereor ne modum voluminis transeam, si Gallienum Valeriani filium, de quo iam nobis multus sermo fuit: vel Sallonium filium etiam Gallieni, qui & Gallienus dictus est, huic libro adiungam, ad aliud volumen transeam. Semper enim me vobis dedidi & famæ, cui negare nihil debeo neque possum.

TREBELLII POLLIONIS Gallieni duo.

BREVIARIVM.

1 Gallienus, prodigiosus Imperator, de patris captiuitate gaudens, habet imperii æmulos, Macrianum, Valentem, Pisonem, Aureolum, quorum plerisque de medio sublatis, se libidini ac voluptati tradit.

2 Aemilianus & Posthumus Imperatores appellati, Gallieno facessunt negotiū. Terræ motus & hiatus horrendi, diluuia, pestilentia, bella vndique imperium Romanū affligunt.

3 Gallienus tot clades nihili faciens, tandem excitatus manum operi admouet: deinde genio suo indulgens, ludos sibi & populo exhibet, ac palam, sed non sine vindicta, irridetur.

4 Dum Odenatus, princeps multa laude dignus, strenuè agit, Gallienus ignauiæ suæ iungit crudelitatem, & vana quadam eruditione, vel potius garrulitate, delectatur.

5 Odenato insidiis consobrini sui interempto, Zenobia suscipit imperium, quod non muliebriter administrat. Heracliani fortissimi ducis erga Rempublicam deuotio. Martianus & Heraclianus, inito consilio, Gallienum opera Cecropii Dalmatarum ducis, interficiunt, vnde militaris seditio, nummis numeratis extincta.

6 Tur-

6 *Turpissima Gallieni patris vita describitur.*
7 *Salonini Gallieni filii breuis historia, & ad sequentem de triginta tyrannis transitio.*

CAPTO Valeriano (enimuero vnde incipienda est Gallieni vita, nisi ab eo præcipue quo eius vita depressa est) nutante republ. quum Odenatus iam orientis cepisset imperium, & & Gallienus comperta patris captiuitate gauderet, vagabantur exercitus, murmurabant duces, erat ingens omnibus mœror quòd Imperator Romanus in Perside seruiliter teneretur. Gallieno igitur & Volusiano coss. Macrianus & Balista in vnum coeunt, exercitus reliquias conuocant: & quum Romanum in oriente nutaret imperium, quem facerent Imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, vt eius ne mentio quidem apud exercitum fieret. Denique qui pluries eius rei causa conuenissent, placuit vt Macrianum cum filiis suis Imperatores dicerent, ac rempublicam defensandam capesserent. Sic igitur imperium delatum est *Macriano*. Et causæ Macriano imperandi cum filiis hæ fuerunt. Primùm, quòd nemo eo tempore sapientior ducum habebatur, nemo ad res gerendas aptior: deinde ditissimus, & qui priuatis posset fortunis publica explere dispendia. Huc accedebat quòd liberi eius fortissimi iuuenes tota mente in bellum ruebant, vt essent legionibus exemplo ad omnia militaria. Macrianus ergo vndique collectis exercitibus, orientis partes petiit: atque vt posset latè sibi delatum defendere & tueri imperium, bellum sic instruxit, atque copias sic parauit, vt esset omnium circunspectus quæ contra eum poterant cogitari. Idem Macrianus Pisonem, vnum ex nobilibus principibus senatus, ad Achaiam destinauit

Ingrato filio grata patris miseria.

Hāc autem ingratitudinem seuerè puniūt deus & homines.

Ignauo enim principi, alij meliores substituuntur.

Qui etiam eximiis officiis reipub. inseruiunt.

2

ob hoc vt *Valentem* qui illic proconsulari imperio rempublicam gubernabat, opprimeret. Sed Valens comperto quod Piso contra se veniret, sumpsit imperium. *Piso* igitur in Thessaliam se recepit. Vbi, missis a Valente militibus compluribus, interfectus est: ipse quoque Imperator appellatus cognomento *Thessalicus*. Sed Macrianus retento in oriente vno ex filiis, pacatis tamen rebus, Asiam primùm venit, deinde Illyricum petiit: in Illyrico cum *Aureolo* Imperatore, qui contra Gallienum imperium sumpserat, duce Domitiano nomine, manum conseruit, vnum ex filiis secum habens, & triginta millia militum ducens. Sed victus est Macrianus cum filio Macriano nomine, deditúsque omnis exercitus Aureolo Imperatori. ¶ Turbata interim republ. totóque penitus orbe terrarum, vbi *Odenatus* comperit Macrianum cum filio interemptum, regnare Aureolum, Gallienum remissius agere, festinauit ad alterum filium Macriani, quum exercitus hoc daret fortuna capiendum. Sed ij qui erant cum filio Macriani, Quieto nomine, consentientes Odenato, autore præfecto Macriani *Balista*, iuuenem occiderunt, missóque per murum corpore, Odenato se omnes affatim dediderunt. Totius prope igitur orientis factus est Odenatus Imperator, quum Illyricum teneret Aureolus, Romam Gallienus. Idem Balista multos Emissenos, ad quos confugerant Macriani milites, cum Quieto & thesaurorum custode interfecit, ita vt ciuitas pene deleretur. Odenatus inter hæc quasi Gallieni partes ageret, cuncta eidem nunciari ex veritate faciebat. Sed Gallienus cognito quòd Macrianus cum suis liberis esset occisus, quasi securus rerum ac patre iam recepto, libidini ac voluptati se dedidit. Ludos circenses ludósque scenicos, ludos gymnicos, ludicram etiam venationem, & ludos gladiatorios dedit: populúmque quasi victorialibus

Mirandis verò rationibus & humano ingenio prorsus incognitis, fortes viri sapissimè vincuntur.

Et sanguis sanguine tegitur. Bellorũ ciuilium is est exitus, vt omnia in peius ruere & retro sublapsa referri videatur

Luxuriosorum princi pum vita nihil nisi insania ebrietat.

rialibus diebus ad festiuitatem ac plausum vocauit. Et quum plerique patris eius captiuitatem mœrerent, ille specie decoris quòd pater eius virtutis studio deceptus videretur, supramodum lætatus est. Constabat autem censuram parentis eum ferre non potuisse, votiuúmque illi fuisse, quòd imminentem ceruicibus suis grauitatem paternam non haberet.

2 PER idem tempus *Aemilianus* apud Aegyptum sumpsit imperium, occupatis horreis multa oppida malo famis pressit. Sed hunc dux Gallieni Theodotus conflictu habito cepit, atque Imperatori Gallieno viuum transmisit. Aegyptus enim data Aemiliano per Transthebaitanos milites . . . . sæuitum est . . . ribus, quum Gallienus in luxuria & improbitate persisteret. Quúmque ludibriis & helluationi vacaret; neque aliter rempublicam regeret quàm quum pueri fingunt per ludibria potestates, Galli quibus insitum est esse leues ac degenerantes à ciuitate Romana, & luxuriosos principes ferre non posse, *Posthumum* ad imperium vocarunt: exercitibúsque consentientibus, qui occupatum imperatorem libidinibus querebantur. Contra hunc Theodotus exercitum duxit. Quúmque vrbem, in qua erat Posthumus obsidere cœpisset, decernentibus Gallis Gallienus muros circumiens sagitta ictus est. Nam & per annos VII Posthumus imperauit, & Gallias ab omnibus circumfluentibus barbaris validissimè vindicauit. His coactus malis Gallienus pacem cum Aureolo facit oppugnandi Posthumi studio, longóque bello tracto per diuersas obsidiones ac prælia, rem modò feliciter modò infeliciter gerit. Accesserat prætereà his malis quòd Scythæ Bithyniam inuaserant, ciuitatésque deleuerant. Denique Astacum; quæ postea Nicomedia dicta est; incensam grauiter vastauerunt. Denique quasi coniuratione totius mundi, concussis orbis

Nouis turbis ingratus filius inuoluitur.

Et in sua stultitia perseuerat, vnde noua & terribiles rerum facies.

Quibus dum mederi studet plagam reddit insanabilem.

partibus, etiam in Sicilia quasi quoddam seruile bellum extitit, latronibus euagantibus, qui vix oppressi sunt. Et hæc omnia Gallieni contemptu fiebant. *Neque enim quicquam est ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis promptius, quàm quum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur Imperator.* Gallieno & Faustino cos. inter tot bellicas clades etiam terræmotus fuit, & tenebræ per multos dies. Auditum præterea tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante. Quo motu multæ fabricæ deuoratæ sunt cum habitatoribus: multi terrore mortui. quod quidem malum tristius in Asiæ vrbibus fuit. Mota est & Roma, mota & Libya: hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, quum aqua salsa in fossis appareret. Maria etiam multa vrbes occuparunt. Pax igitur deûm quæsita, inspectis Sibyllæ libris, factúmque Ioui salutari, vt præceptum fuerat, sacrificium. Nam & pestilentia tanta extiterat vel Romæ vel in Achaicis vrbibus, vt vno die quinque millia hominum pari morbo perirent. Sæuiente fortuna quum hinc terræmotus, inde hiatu soli ex diuersis partibus pestilentia orbem Romanum vastaret, capto Valeriano, Gallis parte maxima obsessis, quum bellum Odenatus inferret, quum Aureolus perurgeret Illyricum, quum Aemilianus Aegyptum occupasset: Gotthi & Clodius, de quo dictum est superius, occupatis Thraciis Macedoniam vastarunt, Thessalonicam obsederunt, neque vsquam quies mediocriter salutem ostentare visa est. Quæ omnia contemptu, vt sæpius diximus, Gallieni fiebant, hominis luxuriosissimi, & si esset securus, ad omne dedecus paratissimi. Pugnatum est in Achaia Macriano duce contra eosdem Gotthos. Vnde victi per Achæos, recesserunt. Scythæ autem, hoc est pars Gotthorum, Asiam vastabant. Tunc etiam templum Dianæ Ephesiæ dispoliatum & incensum est: cuius opes

Ex dissoluti principis cõtemptu innumera clades (teste etiam nostro seculo) oriuntur.

Et cælum et terra sub ignauorum principũ & seditiosorũ subditorum pondere fatiscunt: impiósque ad pœnas debitas pertrahunt.

Romanum imperiũ orbẽ olim concutiens, suo tempore concutitur.

opes fama in populos fatis notæ.

3 PVDET numerare inter hæc tempora quum ista gererentur; quæ sæpe Gallienus malo generis humani quasi per iocum dixerit. Nam quum ei nunciatum esset, Aegyptum desciuisse, dixisse fertur, *Quid? sine lino Aegyptio esse non possumus?* Quum autem vastatam Asiam, & elementorum concursionibus & Scytharum incursionibus comperisset; *Quid,* inquit, *sine aphronitris esse non possumus?* Perdita Gallia arrisisse ac dixisse perhibetur, *Non sine trabeatis sagis tuta resp. est?* Sic denique de omnibus partibus mundi, quum eas amitteret, quasi detrimentis vilium ministeriorum videretur affici, iocabatur. Ac nequid mali deesset Gallieni temporibus, Byzantiorum ciuitas clara naualibus bellis, claustrum ponticum, per eiusdem Gallieni milites ita omnis vastata est vt prorsus nemo superesset. Denique nulla vetus familia apud Byzantios inuenitur, nisi siquis peregrinatione vel militia occupatus euasit, qui antiquitatem generis nobilitatémque repræsentet. Contra Posthumum igitur Gallienus cum Aureolo & Claudio duce, qui postea imperium obtinuit, principe generis Constantini Cæsaris nostri, bellum incepit: & quum multis auxiliis Posthumus iuuaretur Celticis ac Francicis, in bellum cum Victorino processit, cum quo imperium participauerat. Victrix Gallieni pars fuit, pluribus præliis euentuum ratione decursis. Erat enim in Gallieno subitæ virtutis audacia: nam aliquando iniuriis grauiter mouebatur. Denique ad vindictam Byzantiorum processit: & quum non putaret recipi se posse muris, receptus alio die omnes milites inermes, armatorum corona circundatos, interemit, fracto fœdere quod promiserat. Per eadem tempora etiam Scythæ, in Asia Romanorum ducum virtute ac ductu vastati, ad propria recesserunt. Interfectis fanè

Miser princeps in reip. incendio cantit.

Et nihil nisi tragicum intuetur, tales serui nacti qualis fuit dominus

Felici successu potitur ad tempus, vt maioribus damnis deinde afficiatur.

militibus apud Byzantium, Gallienus quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit: conuocatisque patribus, decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Iam primùm inter togatos patres, & equestrem ordinem, albatos milites, & omni populo præeunte, seruis etiam prope omnium, & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boues, cornibus auro iugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab vtraque parte CC præcesserunt, & decem elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti gladiatores pompaliter ornati. Cum auratis vestibus matronarum mansuetæ feræ diuersi generis, CC, ornatu quammaximo affectæ. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarij, ita vt miranda quędam & stupenda monstraret. Omnes viæ ludis strepitúque & plausibus personabant, ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter patres (vt diximus) omnibus sacerdotibus prætextatis capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præter ea quæ collegiorum erant, dracones, & signa templorum omniúmque legionum ibant. Ibant pręterea gentes simulatæ, vt Gotthi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita vt non minus quam duceni singulis globis ducerentur. Hac pompa homo ineptus eludere se credidit populum Romanum: sed, vt sunt Romanorum facetiæ, alius Posthumo fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo aut Aemiliano, alius Saturnino. nam & ipse iam imperare dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre: quem inultum filius relinqueret, & quem externi vtcunque vindicauerant. Nec tamen Gallienus ad talia

Publica cõmoda negligens genio suo indulget

Et ludicra solummodo tractat.

Personati principes laruis delectantur.

Et meritò. quid enim si lio ingrato

talia mouebatur, obſtupefacto voluptatibus corde: ſed ab iis qui circum eum erant requirebat, *Et quid habemus in prandio? & quæ voluptates paratæ ſunt? & qualis cras erit cœna? quales circenſes?* Sic confecto itinere, celebratiſque hecatombis, ad domum regiam rediit: conuiuiiſque & epulis depulſis, alios dies voluptatibus publicis deputabat. Prætereundum non eſt haud ignobile facetiarum genus. Nam quum rex Perſarum, quaſi captiuorum, per pompam (rem ridiculam) duceretur, quidam ſcurræ miſcuerunt ſe Perſis, diligentiſſimè ſcrutantes omnia, atque vniuſcuiuſque vultum mira inhiatione mirantes. A quibus quum quæreretur quidnam agerent illa ſolertia, illi reſpõderunt, *Patrem principis quærimus.* Quod qũum ad Gallienum perueniſſet, non pudore, non mœrore, non pietate commotus eſt, ſcurráſque iuſſit viuos exuri. Quod populus factum triſtius quàm quiſquam æſtimat, tulit: milites verò ita doluerunt vt non multo pòſt vicem redderent.

iniuſtius? porrò miſera reſpub. cuius princeps de voluptatib. corporis non de publico bono ſollicitus apparet.

Scurra publicus à priuatis ſcurris irriſus, quorũ nugæ flebiles. Nec enim tutum tyranno illudere.

4 GALLIENO & Saturnino COSS. *Odenatus* rex Palmyrenorum obtinuit totius orientis imperium, idcirco præcipuè quòd ſe fortibus factis dignum tantæ maieſtatis inſulis declarauit: Gallieno aut nullas, aut luxurioſas, aut ineptas & ridiculas res agente. Denique ſtatim bellum Perſis in vindictam Valeriani, quam eius filius negligebat, indixit. Niſibin & Carras ſtatim occupat, tradentibus ſeſe Niſibenis atque Carrenis, & increpantibus Gallienum. Nec defuit tamen reuerentia Odenati circa Gallienum. Nam captos ſatrapas inſultandi propè gratia & oſtentandi ſui ad eum miſit. Qui quum Romam deducti eſſent, vincente Odenato triumphauit Gallienus, nulla mentione patris facta: quem nec inter deos quidem niſi coactus retulit, quum mortuum audiſſet, ſed adhuc viuentem: nam de illius morte falsò compererat. Odenatus autem ad

Ignauo princeps ſtrenuus & prudẽs facilè præfertur.

Obliquè perſtrictus princeps ignauus & ingratus, ſibi tamen ineptè facit delicias.

Ctesiphontem Parthorum multitudinem obsedit: vastatisque circum omnibus locis, innumeros homines interemit. Sed quum satrapæ omnes ex omnibus regionibus illuc defensionis communis gratia conuolassent, fuerunt longa & varia prælia, longior tamen Romana victoria. Et quum nihil aliud ageret nisi vt Valerianum Odenatus liberaret, instabat quotidie, ac locorum difficultatibus in alieno solo Imperator optimus laborabat. Dum hæc apud Persas geruntur, *Scythæ* in Cappadociam peruaserunt: illic captis ciuitatibus, bello etiam vario diu acies ad Bithyniam contulerunt. Quare milites iterum de nouo Imperatore faciendo cogitauerunt: quos omnes Gallienus more suo, quum placare atque in gratiam suam reducere non posset, occidit. Quum tamen sibi milites dignum principem quærerent, Gallienus apud Athenas ἄρχων erat, id est summus magistratus, vanitate illa qua & ciuis adscribi desiderabat, & sacris omnibus interesse: quod neque Adrianus in summa felicitate, neque Antoninus in adulta fecerat pace, quum tanto studio Græcarum docti fuerint literarum, vt raro aliquibus doctissimis magnorum arbitrio cesserint virorum. Areopagitarum præterea cupiebat ingeri numero, contempta prope repub. Fuit enim Gallienus (quod negari non potest) oratione, poemate, atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium quod inter centum poetas præcipuum fuit. Nam quum fratrum suorum filios iungeret, omnes poetæ Græci Latinique epithalamia dixissent, idq; per dies plurimos, quum ille manus sponsorum teneret, vt quidam dicunt, sæpius ita dixisse fertur,

Ite, ait, ô pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Longum est eius versus orationésque connectere, quibus

Strenuus autem & prudens muneri sibi commisso diligenter incumbit.

Ignauiam & stoliditatem crudelitas comitatur.

Nec decet eruditio principem, quæ à iustitiæ, grauitatis, fortitudinis & vigilantiæ studio seiuncta est. Quid enim turpius quàm si audias, bonus poeta, malus princeps?

quibus ſuo tempore tam in poetas quàm in rhetores emicuit. Sed aliud in Imperatore queritur, aliud in oratore vel poeta flagitatur. Laudatur ſane eius optimum factum. Nam conſulto Valeriani fratris ſui & Lucilli propinqui, vbi comperit ab Odenato Perſas vaſtatos, redactam Niſibin & Carras in poteſtatem Roman. omnem Meſopotamiam noſtram, denique Cteſiphontem eſſe peruentum, fugiſſe regem, captos ſatrapas, plurimos Perſarum occiſos: Odenatum, participato imperio Auguſtum vocauit, eiúſque monetam qua Perſas captos traheret, cudi iuſſit quod & ſenatus & vrbs, & omnis ætas gratanter accepit. Fuit præterea idem ingenioſiſſimus, cuius oſtendentia acumen pauca libet ponere. Nam quum taurum ingentem in arenam miſiſſet, exiſſétque ad eum feriendum venator, neque perductum decies potuiſſet occidere, coronam venatori miſit, muſſantibúſque cunctis quid rei eſſet quòd homo ineptiſſimus coronaretur, ille per curionem dici iuſſit, *Taurum toties nō ferire difficile eſt*. Idē quum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet eius vxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, ſurripi quaſi ad leonem venditorem iuſſit. Deinde cauea caponem emittit, mirantibúſque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iuſſit, *Impoſturam fecit, & paſſus eſt*. deinde negotiatorem dimiſit.

Optimum ſanè factum, ſed quod Gallieni vitia amplificat.

Et ſcitè aut lepidè dicta vita turpitudinē reddunt inexcuſabilem.

5 OCCVPATO tamen Odenato bello Perſico, & Gallieno rebus ineptiſſimis, vt ſolebat, incumbente, Scythæ nauibus factis Heracleam peruenerunt, atque inde cum præda in ſolum proprium reuerterunt, quanuis multi naufragio perierunt, nauali bello ſuperati. Per idem tempus Odenatus inſidiis conſobrini ſui interemptus eſt cum filio Herode, quem & ipſum imperatorem appellauerat. Tum Zenobia vxor eius, quòd paruuli eſſent filij eius qui ſupererant, Herennius & Timolaus, ipſa

Collegis contraria ſtudia colentibus, vix poteſt ſalus publica conſiſtere.

Et in ignaui perpetuum dedecus, mulier viriles gerens animos strenuo marito iure succedit. Imperet effeminatis & mollibus mulier cordata.

suscepit imperium, diúque rexit non muliebriter, neque more fœmineo: sed non solùm Gallieno virago melius imperare potuisset, verumetiam multis Imperatoribus fortius atque solertius. Gallieno sanè vbi nuntiatum Odenatum interemptum, bellum Persis ad seram nimis vindictam patris parauit, collectisque per Heraclianum ducem militibus solertis principis rem gerebat. Qui tamen Heraclianus quum contra Persas profectus esset, à Palmyrenis victus omnes quos parauerat milites perdidit, Zenobia Palmyrenis & orientalibus plerisque viriliter imperante. Inter hæc Scythæ per Euxinum nauigantes, Istrum ingressi, multa grauia in solo Rom. fecerunt. Quibus compertis, Gallienus Cleodamum & Athenæum Byzantios instaurandis vrbibus muniendisque præfecit. Pugnatum est circa Pontum, & à Byzantiis ducibus victi sunt barbari. Veneriano item duce, nauali bello Gotthi superati sunt, tum ipse Venerianus militari periit morte. Atque inde Cyzicum & Asiam, deinceps Achaiam omnem vastauerunt, & ab Atheniensibus duce Dexippo, scriptore horum temporum, victi sunt. Vnde pulsi per Epirum, Acarnaniam, Boetiam, peruagati sunt. Gallienus interea vix excitatus publicis malis, Gotthis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuitò plurimos interemit. Quo comperto, Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati. Omnes inde Scythas Martianus varia bellorum fortuna agitauit: quæ omnes Scythas ad rebellionem excitarunt. Et hæc quidem Heracliani ducis erga rempublicam deuotio fuit. Verùm quum Gallieni tantam improbitatem ferre non possent, consilium inierunt Martianus & Heraclianus, vt alter eorum imperium caperet: & Claudius quidem (vt suo dicemus loco) vir omnium optimus, electus est, qui consilio non adfuerat, esset-

Respubl. afflicta opitulatores quãdoque reperit & prædones tãdem pœnas dant suorum scelerum.

Improbitas inemendabilis audaciũ consiliorum mater.

que

que apud cunctos in reuerentia, vt dignus videretur imperio, quemadmodum postea comprobatum est. Is enim est Claudius à quo Constantinus vigilantissimus Cæsar originem ducit. Fuit iisdem socius in appetendo imperio quidam Ceronius siue Cecropius, dux Dalmatarum, qui eos & vrbanissimè & prudentissimè adiuuit. Sed quum imperium capere viuo Gallieno non possent, huiusmodi eum insidiis appetendum esse duxerunt, vt labem improbissimam, malis fessa republica, à gubernaculis humani generis dimouerent, ne diutius theatro & circo addicta republica per voluptatum deperiret illecebras. Insidiarum genus fuit tale: Gallienus ab Aureolo qui principatum inuaserat, diffidebat, sperans quotidie grauem & intolerabilem tumultuarij Imperatoris aduentum. Hoc scientes Martianus & Cecropius, subitò Gallieno iusserant nuntiari Aureolum iam venire. Ille igitur militibus congregatis, quasi certum processit ad prælium: atque ita missis percussoribus interemptus est. Et quidem Cecropij Dalmatarum ducis gladio Gallienus dicitur esse percussus, vt quidam ferunt, circa Mediolanum: vbi continuò & frater eius *Valerianus* est interemptus, quem multi Augustum, multi Cęsarem, multi neutrum fuisse dicunt: quod verisimile non est. Siquidem capto iam Valeriano, scriptum inuenimus in fastis, *Valeriano Imperatore* coss. Quis igitur alius potuit esse Valerianus nisi Gallieni frater? Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate, vel vt cœperunt alij loqui, de maiestate.

Aduersus insulsum & maculosum principē coniuratio & insidiæ.

Ignauiæ & temeritatis miser exitus

Occiso igitur Gallieno seditio ingens militum fuit, quum spe prædæ ac publicæ vastationis Imperatorem sibi vtilem, necessarium, fortem, efficacem, ad inuidiam faciendam, dicerent raptum. Quare consilium principum fuit vt milites, eius, quo solent placari genere, sedarentur. Promissis itaque per

Milites seditiosi, principē vtilem ignauum desiderāt. Sed pecunia numerata pacantur.

Martianum aureis vicenis,& acceptis,(nam præstò erat thesaurorum copia) Gallienum tyrannum militari iudicio in fastos publicos retulerunt: Sic militibus sedatis Claudius,vir sanctus ac iure venerabilis, & bonis omnibus charus, amicus patriæ, amicus legibus, acceptus senatui, populo bene cognitus,accepit imperium.

Gallieni turpissima vita *Ignauia.* *Miseranda solertia.* *Luxuria multiplex in tota victus & vestitus ratione.*

6 HAEC vita Gallieni fuit breuiter à me literis intimata, qui natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & stupris perdidit orbem terrarum. Triginta propè tyrannos passus est,Romanum dehonestantes imperium, ita vt etiam mulieres eo melius imperarent. Ac ne eius prætereatur miseranda solertia,veris tempore cubicula de rosis fecit. De pomis castella composuit. Vuas triennio seruauit. Hyeme summa melones exhibuit. Mustum quemadmodum toto anno haberetur docuit. Ficos virides, & poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit. Mantilibus aureis semper strauit.Gemmata vasa fecit,eadémque aurea.Crinibus suis auri scobem aspersit, radiatus sæpe processit. cum chlamyde purpurea gemmatisque fibulis & aureis Romæ visus est,vbi semper togati principes videbantur: purpuream tunicam aureatámque virilem eandémque manicatam habuit.Gemmato baltheo vsus est, caligas gemmatas annexuit, quum campagos reticulos appellaret. Conuiuatus in publico est:congiariis populum molliuit:senatui sportulam sedens erogauit. Matronas ad consulatum suum rogauit,iisdémque manum sibi osculantibus, quaternos aureos sui nominis dedit.

Ingratitudo & immanitas.

Vbi de Valeriano patre comperit quòd captus esset,id quod philosophorum optimus de filio amisso dixisse fertur, *Sciebam me genuisse mortalem*,dixit ille, *Sciebam patrem meum esse mortalem.* Nec defuit Annius Cornicula qui eum quasi constantem principem falsò sua vo-

cc

ce laudaret. peior tamen ille qui credidit. Sæpe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, quum processui & recessui cani iuberet. Lauit die septimo æstate vel sexto: hyeme secundo vel tertio. Bibit in aureis semper poculis, aspernatus vitrum, dicens nil esse eo communius. Semper vina variauit. Neque vnquam in vno conuiuio ex vno vino duo pocula bibit. Concubinæ in eius tricliniis sæpe accubuerunt. Mensam secundam scurrarum & mimorum semper prope habuit. Quum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebãtur. Ibant & præfecti, & magistri officiorum omnium adhibebantur & conuiuiis & cœnationibus. lauabant etiam simul cum principe. Admittebantur sæpe etiam mulieres, cum ipso pulchræ puellæ, cum illis anus deformes, & iocari se dicebat quum orbem terrarum vndique perdidisset. Fuit tamen nimiæ crudelitatis in milites. nam & terna millia, & quaterna militum singulis diebus occidit. Statuam sibi maiorem colosso fieri præcepit solis habitu, sed ea imperfecta periit. Tam magna denique cœperat fieri vt duplex ad colossum videretur. Poni autem illam voluerat in summo Aesquiliarum monte, ita vt hastam teneret, per cuius caput infans ad summum posset ascendere. Sed & Claudio & Aureliano deinceps stulta res visa est, siquidem etiam equos & currum fieri iusserat pro qualitate statuæ, atque in acutissima base poni. Porticum Flaminiam vsque ad pontem Miluium & ipse parauerat ducere, ita vt tetrastiche fieret, vt autem alij dicunt, pentastiche: ita vt primus ordo pilas haberet, & ante se columnas cum statuis, secũdus & tertius, & deinceps διὰ τεσσάρων columnas. Longum est cuncta in literas mittere. quæ qui volet scire, legat Palfurium Suram, qui Ephemeridas eius vitæ composuit. Nos ad Saloninum reuertamur.

Prodigalitas.

Indecora viuendi ratio.

Crudelitas.

Stulta ambitio. Non statuæ sed virtutes hominem nobilitant: & ridiculi sunt qui mortuis lapidibus sibi famam & decus parare conantur.

Saloninus Gallienus.

7 *Exiguum decus nobile stemma & regia educatio, nisi virtus accedat. Mors autẽ semper infamis, si cum mala causa coniuncta sit.*

HIc Gallieni filius fuit, nepos Valeriani, de quo quippe nihil est quod dignum in literas mittatur, nisi quòd nobiliter natus, educatus regie, occisus deinde non sua sed patris causa. De huius nomine magna est ambiguitas. Nam multi eum Gallienum, multi Saloninum historiæ prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco quòd apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & aui Gallieni summi quondam in republ. viri. Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram viam, intra templum Faustinæ aduecta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum, Gallieno minori, Salonino additum: ex quo eius nomen intelligi poterit. Transisse decennium imperij Gallienum satis clarum est: quod idcirco addidi quia multi eum imperij sui primo anno periisse dixerunt. fuisse autem & alias rebelliones sub eodem de quibus proprio dicemus loco. Siquidem placuit triginta tyrannos vno volumine includere, idcirco quòd nec multa de his dici possunt & in Gallieni vita pleraque iam dicta sunt. Et hæc quidem de Gallieno hoc interim libro dixisse sufficiat. Nam & multa iam in Valeriani vita: in libro qui De triginta tyrannis inscribendus est, iam loquemur, quę iterari ac sępius dici minus vtile videbatur. Huc accedit quòd quædam etiam studiose prætermisi, ne eius posteri multis rebus editis læderentur. Scis enim ipse quales homines cum iis qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: nec ignota esse arbitror quæ dixit M. Tullius in Hortensio quem ad exemplum protreptici scripsit. Vnum ponam tamen quod

Tr. Pollionis cõsilium in describenda Gallienorũ & 30. tyrannorum vita.

quod iucunditatem quandam, sed vulgarem habuit, morem tamen nouum fecit. Nam quum cingula sua plerique militantium qui ad conuiuium venerant, ponerent hora conuiuij, Saloninus puer, siue Gallienus, his auratos constellatósque balteos rapuisse perhibetur: & quum esset difficile in aula palatina requirere quod periisset, ac taciti militares viri detrimenta pertulissent, postea rogati ad conuiuium cincti accubuerunt. Quúmque ab his quæreretur cur non soluerent cingulum, respondisse dicuntur, *Salonino deferimus*. Atque hinc tractum morem vt deinceps cum Imperatore cincti discumberent. Negare non possum, alium plerisque videri huius rei ortum esse morem. Dicunt enim militare prandium (quod dictum est prandium ab eo quòd ad bellum milites paret) a cinctis initum: cui rei argumentum est quòd à discinctis etiam cum Imperatore cœnatur. Quæ idcirco posui, quia digna & memoratu videbantur & cognitu. Nunc transeamus ad triginta tyrannos, qui Gallieni temporibus contemptu mali principis extiterunt. De quibus breuiter & pauca dicenda sunt. Neque enim digni sunt eorum plerique vt volumen talium hominum saltem nominibus occuparetur: quanuis eorum aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam reipublicæ profuisse. Tam variæ item opiniones sunt de Salonini nomine, vt, qui se verius putant dicere, à matre sua Salonina appellatum esse dicant, quam is perdite dilexerit, *Piparam* nomine barbaram regis filiam. Gallienus cum suis semper flauum crinem condidit. De annis autem Gallieni & Valeriani ad imperium pertinentibus adeo incerta traduntur, vt quum quindecim annos eosdem imperasse constet, id est, Gallienum vsque ad quintumdecimum peruenisse, Valerianus verò sexto sit captus,

Gallieni filij furtum ludicrum.

De cinctis & discinctis discumbentibus cum Imperatore.

Ad triginta tyrannos Tr. Pollionis transitio.

De annis imperij Valeriani & Gallieni variæ opiniones.

alij nouem annis, alij bis decem annis, alij etiam Gallienum imperasse in literas mittant: quum constet & decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post decennalia Gotthos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo initam esse concordiam: pugnatum contra Posthumum, contra Lollianum, multa etiam ab eo gesta quæ ad virtutem, plura tamen quæ ad dedecus pertinebant. Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus, mimis scurrisque vixisse.

Summa vitæ Gallieni.

TREBELLII POLLIONIS
Triginta tyranni.

Triginta tyrannorũ vitas cur opere peculiari descripserit Tr. Pollio.

Imperij Romani, sub prodigioso rectore Gallieno, monstrosa facies: & iusta Numinis iniustitiam, impietatem & scelera inde pendentia vlciscentis vindicta.

SCRIPTIS iam pluribus libris, non historico nec diserto, sed pedestri eloquio, ad eam temporum veniemus seriem in qua per annos quibus Gallienus & Valerianus rempublicam tenuerunt, triginta tyranni occupato Valeriano magnis belli Persici necessitatibus, extiterunt, quum Gallienum non solùm viri sed etiam mulieres contemptui haberent, vt suis locis probabitur. Sed quoniam tanta obscuritas eorum hominum fuit qui ex diuersis orbis partibus ad imperium conuolabant, vt non multa de his vel dici possint à doctioribus, vel requiri: deinde ab omnibus historicis qui Græcè ac Latinè scripserunt, ita nonnulli prætereantur, vt eorum nec nomina frequententur: postremò quum tam variè à plerisque super his nonnulla sint prodita: in vnum eos libellum contuli, & quidem breuem, maxime quum vel in Valeriani, vel in Gallieni

ni vita pleraque de his dicta, nec repetenda tamen satis constet.

Cyriades, I.

HIc patrem Cyriadem fugiens, diues & nobilis, quum luxuria sua & moribus perditis sanctum senem grauaret, direpta magna parte auri, argenti etiam infinito pondere, Persas petiit: atque inde Sapori regi coniunctus atque sociatus, quum hortator belli Romanis inferendi fuisset, Odenatum primùm, deinde Saporem ad Romanum solum traxit: Antiochia etiam capta & Cæsarea, Cæsarianum nomen accepit. Atque inde vocatus Augustus, quum omnem orientem vel virium audacia vel terrore quateret, patrem verò interemisset (quod alij historici negant factum) ipse per insidias suorum, quum Valerianus iam ad bellum Persicum veniret, occisus est. Neque plus de hoc historiæ quicquam mandatum est quod dignum memoria esse videatur. quem clarum, perfugium & parricidium, & aspera tyrannis & summa luxuries literis dederunt.

Cyriades clarus (vt non pauci alij tyranni) perfugio, parricidio, aspera tyrannide, & summa luxurie.

Posthumus, II.

HIc vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni vita grauis, vsqueadeo vt Saloninum filium suum eidem Gallienus in Gallia positum crederet, quasi custodi vitæ, & morum & actuum imperialium institutori. Sed, quantum plerique asserunt, (quod eius non conuenit moribus) postea fidem fregit, & occiso Salonino sumpsit imperium. Vt autem verius plerique tradiderũt quum Galli vehementissimè Gallienum odissent, puerum autem apud se imperare ferre non possent, eum qui

Posthumus, vir sapiens & fortis, sed malo seculo natus, fati violentia opprimitur.

commiſſum regebat imperium, Imperatorem appellarunt, miſſiſque militibus adoleſcentem interfecerunt. Quo interfecto ab omni exercitu & ab omnibus Gallis, Poſthumus gratanter acceptus talem ſe præbuit per annos ſeptem, vt Gallias inſtaurauerit, quum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris conſeneſceret. Geſtum eſt tamen a Gallieno contra hunc bellum tunc quum ſagitta Gallienus eſt vulneratus. Siquidem nimius amor erga Poſthumum omnium erat in Gallica gente populorum, quod ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem reuocaſſet imperium. Sed quum ſe grauiſſimè regeret, more illo quo Galli nouarum rerum ſemper ſunt cupidi, Lolliano agente, interemptus eſt. Siquis ſanè Poſthumi meritum requirit, iudicium de eo Valeriani ex hac epiſtola quam ille ad Gallos miſit, intelliget: *Tranſrhenani limitis ducem, & Galliæ præſidem Poſthumum fecimus, virum digniſſimum ſeueritate Gallorum. præſente quo non miles in caſtris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat: qui vnicuique proprium & ſuum ſeruet. Virum quem ego præ cæteris ſtupeo, & qui locum principis mereatur iure: de quo ſpero quòd mihi gratias agetis. Quòd ſi me fefellerit opinio quam de illo habeo,* ſciatis nuſquam gentium reperiri qui poſſit penitus approbari. *Huius filio Poſthumo nomine, tribunatum Vocontiorum dedi adoleſcenti, qui ſe dignum patris moribus reddet.*

Rerum humanarū vices inexplicabiles creamenti.

Poſthumi patris elogium.

Filij item.

Poſthumus iunior, III.

Poſthumi iuuenis dignitas.

DE hoc propè nihil eſt quod dicatur, niſi quòd à patre appellatus Cæſar, ac deinceps in eius honore Auguſtus cum patre dicitur interemptus, quum Lollianus in locum Poſthumi ſubrogatus, delatum ſibi à Gallis ſumpſiſſet imperium. Fuit autem

tem (quod solùm memoratu dignum est) ita in declamationibus disertus, vt eius controuersiæ Quintiliano dicantur insertæ, quem declamatorem Romani generis acutissimum, vnius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.

Eloquentiss

Lollianus, IIII.

HVIVS rebellione in Gallia Posthumius, vir omnium fortissimus, interemptus est, quum iam nutante Gallieni luxuria in veterem statum Romanum reformasset imperium. Fuit quidem etiam fortissimus, sed rebellionis intuitu minorem apud Gallos autoritatem de suis viribus tenuit. Interemptus autem est à Victorino Victorinæ vel Victoriæ filio, quæ postea *mater castrorum* appellata est, & Augustę nomine affecta, quum ipsa per se fugiens tanti ponderis molem, primùm in Marium, deinde in Tetricum atque eius filium contulisset imperia. Et Lollianus quidem nonnihilum reipub. profuit. Nam plerasque Galliæ ciuitates, nonnulla etiam castra Posthumus per septem annos in solo barbarico ædificauerat, quæ interfecto Posthumo subita irruptione Germanorum & direpta fuerant & incensa: statum veterem reformauit: deinde à suis militibus, quòd in labore nimius esset, occisus est. Ita Gallieno perdente rempubl. in Gallia primùm Posthumus, deinde Lollianus, Victorianus deinceps, postremò Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) affectatores Romani nominis extiterunt: quos omnes datos diuinitus credo, ne quum illa pestis inaudita luxuria impediretur, malis possidendi Romanum solum Germanis daretur facultas: qui si eo genere tunc euasissent quo Gotthi & Persæ, consentientibus in Romano solo gentibus, venerabile hoc Romani nominis finitum esset imperium. Lolliani au-

Tyranni mi- dida morte tolluntur, nec sine sangui- ne descen- dunt ad Plu- tonem.

Terra Ai- gyptia simi- les.

Populorum violentis co natibus à summo rerū arbitro ve- lut limites opponuntur.

tem vita in multis obscura est, vt ipsius Posthumi, sed priuata virtute clari non nobilitatis pondere vixerunt.

Victorinus, V.

Stupri merces, cruenta mors.

POSTHVMVS senior quum videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solùm militum, verumetiam alterius principis necessarium, Victorinum militaris industriæ virum in participatum vocauit imperij, & cum eodem contra Gallienum conflixit. Quúmque adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, diu bella traxissent, victi sunt. Tunc interfecto etiam Lolliano, solus Victorinus in imperio remansit: qui & ipse, quòd matrimoniis militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cuius vxorem stuprauerat, composita factione Agrippinæ percussus, Victorino filio Cæsare à matre Victorina, siue Victoria, quæ mater castrorum dicta est, appellato: qui & ipse puerulus statim est interemptus, quum apud Agrippinam pater eius esset occisus. De hoc quòd fortissimus fuerit, & præter libidinem optimus Imperator, à multis multa sunt dicta. Sed satis credimus Iulij Ateriani partem libri cuiusdam ponere, in quo de Victorino, sic loquitur, *Victorino, qui Gallias post Iunium Posthumum rexit, neminem existimo præferendum. Non in virtute Traianum, non Antoninum in clementia, non in grauitate Neruam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ ac seueritate militari Pertinacem vel Seuerum. Sed omnia hæc, libido & cupiditas mulierariæ voluptatis sic perdidit vt nemo audeat virtutes eius in literas mittere, quem constat omnium iudicio meruisse puniri.* Ergo quum id iudicij de Victorino scriptores habuerint, satis mihi videor de eius dixisse moribus.

Ex iusto dolore audacia consilia & generosa facta.

Victorini elogium.

Victor

Victorinus iunior, VI.

DE hoc nihil amplius in literas est relatum, quàm quòd nepos Victoriæ, Victorini filius fuit, & à patre & ab auia sub eadem hora qua Victorinus interemptus, Cæsar nuncupatus est, ac statim à militibus ita occisus. Extant denique sepulcra circa Agrippinam breui marmore impressa humilia, in quibus vnus est inscriptus, *Hic duo Victorini tyranni siti sunt.*

Gloria humana momentaneus & luctuosus vsus.

Marius, VII.

VICTORINO, Lolliano, & Posthumo interemptis, Marius ex fabro, vt dicitur, ferrario tri duo tantùm imperauit. De hoc quid amplius requiratur ignoro, nisi quòd eum insigniorem breuissimum fecit imperium. Nam vt consul, qui sex pomeridianis horis consulatum suffectum tenuit, à M. Tullio tali aspersus est ioco, *Consulem habuimus tam seuerum támque censorium vt in eius magistratu nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit*: de hoc etiam dici posse videtur, qui vna die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est. Et vir quidem strenuus, ac militaribus vsque ad imperium gradibus euectus est: quem plerique Mamurium, nonnulli Vecturium, opificem vtpote ferrarium, nuncuparunt. Sed de hoc nimis multa, de quo illud addidisse satis est, nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse, quum in digitis neruos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur, & fortissimos quosque vno digito sic afflixisse vt quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorum allisione contriuit.

Ferreum imperium hominem arte & ingenio ferreũ principẽ triduanum habet.

Prodigiosum & verè ferreum robur Marij.

Occisus est a quodam milite, qui quum eius quondam operarius in fabrili officina fuisset, contemptus est ab eodem, vel quum duxisset, vel quum imperium cepisset. addidisse hæc verba dicitur interemptor, *Hic est gladius quem ipse fecisti.* Huius concio prima talis fuisse dicitur, *Scio commilitones posse mihi obiici artem pristinam, cuius mihi omnes testes estis. Sed dicat quisque quod vult, vtinam semper ferrum exerceam. Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, vt facit Gallienus, indignus patre suo & sui generis nobilitate, deperseam. Ars mihi obiiciatur ferraria, dum me & exteræ gentes ferrum attrectasse suis cladibus recognoscant in Italia. Denique vt omnis Alemannia omnisque Germania cum cæteris quæ adiacent gentibus, Romanum populum ferratam putent gentem, vt specialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim fecisse vos principem qui nunquam quicquam scierit tractare, nisi ferrum. Quod idcirco dico, quia scio mihi à luxuriosissima illa peste nihil opponi posse nisi hoc quòd gladiorum armorúmque artifex fuerim.*

Artifex suæ fortunæ.

Ferrei hominis concio, ferrum & ignes spirans

Ingenuus, VIII.

FVsco & Basso coss. quum Gallienus vino & popinis vacaret, quúmque se lenonibus, mimis, & meretricibus dederet, ac bona naturæ luxuriæ continuatione deperderet, *Ingenuus*, qui Pannonias tunc regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator est dictus, cæteris Pannoniarum volentibus: neque in quoquam melius consultum reip. à militibus videbatur, quàm quòd instantibus Sarmatis creatus est Imperator, qui fessis rebus mederi sua virtute potuisset. Causa autem ipsi arripiendi tunc imperij fuit, ne suspectus esset Imperatoribus quòd erat fortissimus ac reip. necessarius, & militibus (quod imperantes vehementer mouet) acceptissimus. Sed Gallienus, vt erat nequã & perditus, ita etiam, vbi nec

Necessitas et rerum deplorata facies, durus consiliarius.

neceſſitas coegiſſet, velox, fortis, vehemens, crudelis: denique Ingenuum conflictu habito vicit, eóque occiſo, in omnes Mœſiacos tam milites quam ciues aſperrimè ſæuiit: nec quenquam ſuæ crudelitatis exortem reliquit: vſqueadeo aſper & truculentus vt pleraſque ciuitates vacuas a virili ſexu relinqueret. Fertur ſanè idem Ingenuus ciuitate capta intraſſe domum, in qua ſe pugione transfodit: atque ita vitam finiſſe, ne in tyranni crudelis poteſtatem veniret. Extat ſanè epiſtola Gallieni, quam ad Celerem Verianum ſcripſit, qua eius nimietas crudelitatis oſtenditur: quam ego idcirco interpoſui, vt omnes intelligerent, hominem luxurioſum crudeliſſimum eſſe, ſi neceſſitas poſtulet. Gallienus Veriano. *Non mihi ſatisfacies, ſi tantùm armatos occideris, quos & fors belli interimere potuiſſet. Perimendus eſt omnis ſexus virilis, ſi & ſenes atque impuberes ſine reprehenſione noſtra occidi poſſent. Occidendus eſt quicunque malè voluit. occidendus eſt quicunque malè dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot principum patrem & fratrem. Ingenuus factus eſt Imperator. Lacera, occide, concide: animum meum intelligere potes, mea mente iraſcere qui hæc manu mea ſcripſi.*

Arcano quodam iuſti iudicis arbitrio, opprimuntur aliquoties ij qui reip. ſalutẽ curant. Cuius adminiſtrationis rationes, tametſi hominibus ignota, attamen ſunt iuſtiſſima.

Tyrannici ingenij pictura.

Regillianus, IX.

FATI publici fuit vt Gallieni tempore quicunque potuit, ad imperium proſiliret. Regillianus denique in Illyrico ducatum gerens, Imperator eſt factus, autoribus imperij Mœſiis, qui cum Ingenuo fuerant antè ſuperati. in quorum parentes grauiter Gallienus ſæuierat. Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas geſſit, ſed autoribus Roxolanis conſentientibúſque militibus, & timore prouincialium ne iterum Gallienus grauiora faceret, interemptus eſt. Mirabile fortaſſe videatur, ſi, quæ origo imperij

Fatales pœnas attrahunt impij principes & ſcelerati populi.

Deus quos vult euehit, & mediis quidem tenuibus ac ridiculis, quũ libet.

eius fuerit, declaretur. Militari enim ioco regna pro meruit. Nam quum milites cum eo quidam cœnarent, astitit Valerianus tribunus qui diceret, *Regilliani nomen vnde credimus dictum?* Alius continuò, *Credimus quòd à regno*. Tum is qui aderat scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare, & dicere, *Rex, regis, regi, Regillianus.* Milites, vt est hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt, *Ergo potest rex esse?* item alius, *Ergo potest nos regere?* item alius, *Deus tibi regis nomen imposuit.* Quid multa? His dictis quum alia die manè processisset, à principibus Imperator est salutatus. Ita quod aliis vel audacia vel iudicium detulit, huic iocularis astutia. Fuit, quod negari non potest, vir in militari re semper probatus, & Gallieno iam antè suspectus quòd dignus videretur imperio: gentis Daciæ, Decibali ipsius vt fertur, affinis. Extat epistola diui Claudij adhuc priuati, qua Regilliano Illyrici duci gratias agit ob redditum Illyricum, quum omnia Gallieni segnitia deperirent: quam ego repertam in archiuis, inserendam putaui: fuit enim publica. Claudius Regilliano multam salutem. *Felicem remp. quæ te talem virum habere rei castrensis bellis his meruit. felicem Gallienum, etiamsi ei vera nemo nec de bonis, nec de malis nuntiat. Pertulerunt ad me Bonitus & Celsus stipatores principis nostri, qualis apud Scupos in pugnando fueris, quot vno die prælia & qua celeritate confeceris. Dignus eras triumpho, si antiqua tempora extarent. Sed quid multa? Memor cuiusdam ominis cautius velim vincas. Arcus Sarmaticos & duo saga ad me velim mittas, sed fibulatoria, quum ipse miserim de nostris.* Hac epistola ostenditur, quid de Regilliano senserit Claudius, cuius grauissimum iudicium suis temporibus fuisse non dubium est. Nec à Gallieno quidem vir iste promotus est, sed à patre eius Valeriano, &, vt Claudius & Macrianus & Ingenuus & Posthumus & Aureolus, qui

Regilliani elogium.

Claudij imp. testimonio confirmatũ.

Valeriani itẽ, prudentis principis.

qui omnes in imperio interempti sunt, quum mererentur imperium. Mirabile autem hoc fuit in Valeriano principe, quòd omnes quoscunque duces fecit, postea militum testimonio ad imperium peruenerunt: vt appareat senem imperatorem in deligendis reip. ducibus talem fuisse qualem Romana felicitas, si continuari fataliter potuisset, sub bono principe requirebat. Et vtinam vel illi qui arripuerant imperia, regnare potuissent, vel eius filius Gallienus in imperio diutius non fuisset, vt liberè se in suo statu resp. nostra tenuisset. Sed nimis sibi fortuna indulgendum putauit, quæ cum Valeriano & bonos principes tulit, & Gallienum diutius quàm oportebat reip. reseruauit.

Cuius iudicium exquisitum, Galli ignauia factum est irritum.

Aureolus, X.

HIc quoque Illyricanos exercitus regens in contemptu Gallieni, vt omnes eo tempore, coactus à militibus sumpsit imperium. Et quum Macrianus cum filio suo Macriano contra Gallienum veniret, cum plurimis exercitus eius cepit: aliquos corruptos fidei suæ addixit. & quum factus esset inualidus Imperator, quúmque Gallienus expugnare virum fortem frustra tentasset, pacem cum eo contra Posthumum pugnaturus fecit, quorum pleraque & dicta sunt & dicenda. Hunc eundem Aureolum Claudius interfecto iam Gallieno conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc pons Aureoli nuncupatur, atque illic, vt tyrannum, sepulcro humiliore donauit. Extat etiam epigramma Græcum in hanc formam,

Summa miseria, dominari quum nolis.

Gallieni astus.

Aureoli instituto male inchoato pessimè pergetis exitus. Ambitionis consilia incõsulta sunt & lethifera.

Dona sepulcrorum victor post multa tyranni
Prælia, iam felix Claudius Aureolum
Munere prosequitur mortali, & iure superstes
Viuere quem vellet, si pateretur amor

Militis egregii vitam qui iure negauit
Omnibus indignis, & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis vltima seruans,
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Hos ego versus à quodam grammatico translatos ita posui vt fidem seruarem: non quo melius non potuerint transferri, sed vt fidelitas historica seruaretur, quam ego præ cæteris custodiendam putaui, qui id quod ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Rem enim vobis proposui deferre, non verba: maximè tanta rerum copia, vt triginta tyrannorum simul vitas scribendas accesserim.

Macrianus, XI.

Valeriani miseria.

CAPTO Valeriano, diu clarissimo principe ciuitatis, fortissimo deinde Imperatore, ad postremum omnium infelicissimo, vel quòd senex apud Persas consenuit, vel quòd indignos se posteros dereliquit, quum Gallienum contemnendum Balista præfectus Valeriani & Macrianus primus intelligerent, quærentibus etiam militibus principem, vnum in locum concesserunt, quærentes quid faciendum esset. Túncque constitit, Gallieno longè posito, Aureolo vsurpante imperium, debere aliquem principem fieri, & quidem optimum, ne quispiam tyrannus, existeret. Verba igitur Balistæ (quantum Mæonius Astyanax, qui consilio interfuit, asserit) hæc, *Mea ætas & professio & voluntas longè ab imperio absunt, & ego, quod negare non possum, bonum principem quæro. Sed quis tandem est, qui Valeriani locum possit implere? nisi talis, qualis tu es ô Macriane, fortis, constans, integer, probatus in rep. &, quod maximè ad imperium pertinet, diues. Arripe igitur locum meritis tuis debitum: me profectò quamdiu voles, vteris tu cum repub. Tantùm bene agas, vt te Romanus orbis factum principem gaudeat*

Eadem cogit viros primarios de salute reip. cogitare.

Balistæ sententia, Macriano imperiũ propter virtutẽ deferens.

gaudeat. Ad hæc Macrianus, *Fateor Balista, imperium prudenti non frustra est, Volo enim reip. subuenire, atque illam pestem à legum gubernaculis dimouere: sed non hoc in me ætatis est. Senex sum, ad exemplum equitare non possum. Lauandum est mihi frequentius, edendum delicatius, diuitiæ me iamdudum ab vsu militiæ retraxerunt. Iuuenes aliqui sunt quærendi, nec vnus, sed duo vel tres fortissimi, qui ex diuersis partibus orbis Rom. rempublicam restituant, quam Valerianus fato, Gallienus vitæ suæ genere perdiderunt.* Post hæc intellexit eum Balista sic agere vt de filiis suis videretur cogitare, atque adeo sic aggressus est. *Prudentiæ tuæ rempublicam tradimus. Da igitur liberos tuos Macrianum & Quietum fortissimos iuuenes, olim tribunos à Valeriano factos: qui Gallieno imperante, quòd boni sunt, salui esse non possunt.* Tunc ille vbi intellectum se esse comperit, *Do, inquit, manus, de meo stipendium militi duplex daturus: tu tantùm præfectum mihi studium, & annonam in necessariis locis præbe. Iam ego faxim vt Gallienus sordidissimus fœminarum omnium, duces sui parentis intelligat.* Factus est igitur cum Macriano & Quieto duobus filiis, cunctis militibus volentibus, Imperator. Ac statim contra Gallienum venire cœpit, vtcunque rebus in oriente derelictis. Sed quum XLV millia militum secum duceret, in Illyrico vel in Thraciarum extremis congressus cum Aureolo, victus & cum filio interemptus est. Triginta denique millia militum in Aureoli potestatem concessere. Domitianus autem eundem vicit, dux Aureoli fortissimus & vehementissimus, qui se originem diceret à Domitiano Imperatore trahere atque à Domicilla. De Macriano autem nefas mihi videtur iudicium Valeriani præterire, quod ille in oratione sua quam ad senatum è Persidis finibus miserat, posuit. Inter cætera ex oratione diui Valeriani, *Ego P.C. bellum Persicum gerens, Macriano totam remp. credidi, quòd à parte militari ille vobis fidelis, ille mi-*

Macriani responsio callida, sed cuius exitus luctuosus, vt fuerunt fere omnes illa extra ordinem ordinationes imperatorum in castris, contempta S.P.Q.R. maiestate.

Macrianus imperium acceptat.

In Gallienū mouet.

Sed infeliciter, interemptus cum filio, ab Aureoli duce Domitiano.

Macriani elogium, Valeriani oratione confirmatum.

hi deuotus, illum & amat & timet miles. Vtcunque res exegerit, cum exercitibus agit, nec P. C. noua vel inopinata nobis sunt, pueri eius virtus in Italia, adolescentis in Gallia, iuuenis in Thracia, in Africa iam prouecti, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est, quum in diuersis prælijs ad exemplum fortiter faceret. Huc accedit quod habet iuuenes filios, Romano dignos collegio, nostra dignos amicitia. & reliqua.

Macriani iunioris & Quieti commendatio.

Macrianus iunior, XII.

Filio virtus paterna prodest.

MVLTA de hoc in patris imperio prælibata sunt, qui nunquam Imperator factus esset nisi prudentiæ patris eius creditum videretur. De hoc plane multa miranda dicuntur quæ ad fortitudinem pertineant iuuenilis ætatis. Sed ad facta, aut quantum in bellis, minus valet fortitudo. Hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cuius merito imperare cœperat, à Domitiano victus, triginta (vt superius dixi) millibus militum spoliatus est: matre nobili, patre tantùm forti & ad bellum parato, atque ab vltima militia in summam perueniente ducatum, & splendore sublimi.

Fortitudo sine prudentia, infirmitas.

Nihil genus, si virtus desit & felicitas.

Quietus, XIII.

Iratus Deus imperiis & politiis aufert fortes et primarios viros: aliique alios interficiunt, vt respub. clypeis suis nudata variis insul

HIC, vt diximus, Macriani filius fuit, cum patre & fratre, Balistæ iudicio Imperator est factus. Sed vbi comperit Odenatus, qui olim, iam orientem tenebat, ab Aureolo Macrianum patrem, Quietum & eius fratrem Macrianum victos, milites in eius potestatem concessisse, quasi Gallieni partes vindicaret, adolescentem cum Balista præfecto dudum interemit. Idem quoque adolescens dignissimus Romano imperio fuit, vt verè Macriani filius, & Macrianus etiam frater: qui duo afflictis rebus

rebus potuerunt rempub. gerere. Videtur non mihi prætereundum de Macrianorum familia, quæ hodiéque floret id dicere quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornamentorum genere, exculptum semper habuerunt: eousque vt tunicæ & limbi & penulæ matronales in familia eius hodiéque sint quæ Alexandri effigiem deliciis variantibus, monstrent. Vidimus proximè Cornelium Macrum in eadem familia virum, quum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quę in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret signis breuibus & minutulis, pontifici propinare: quam quidem circum ferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos iussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur iuuari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento.

tibus & ictibus exposita facilius prosternantur.

Curiositas ridicula, si veterum illorum (cuius effigies sculpuntur & pinguntur) virtutes non imitaris.

Odenatus, XIIII.

NISI Odenatus princeps Palmyrenorum, capto Valeriano, fessis Rom. reip. viribus sumpsisset imperium, in oriente res perditę essent. Quare assumpto nomine primùm regali cum vxore Zenobia & filio maiore cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano & Timolao, collecto exercitu contra Persas profectus est. Nisibin primùm & orientis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit: deinde ipsum regem victum fugere coegit, postremò Ctesiphonta vsque, Saporem & eius liberos persequutus, captis concubinis, capta etiam magna præda ad orientem vertit, sperans quòd Macrianum, qui imperare contra Gallienum cœperat, posset opprimere: sed illo iam profecto

Odenatus, ad fulciendam remp. sub Gallieno ruentem natus.

Persas feliciter debellat.

contra Aureolum & contra Gallienum, eo interempto, filium Quietum interfecit, Balista (vt plerique asserunt) regnum vsurpante, ne & ipse posset occidi. Composito igitur magna ex parte orientis statu, à consobrino suo Mæonio, qui & ipse imperium sumpserat, interemptus est cum filio suo Herode, qui & ipse post reditum de Perside cum patre Imperator est appellatus. Iratum fuisse reip. Deum credo, qui interfecto Valeriano noluit Odenatum reseruare. Ille planè cum vxore Zenobia, non solùm orientem, quem iam in pristinum reformauerat statum, sed omnes omnino totius orbis partes reformasset, vir acer in bellis, &, quantum plerique scriptores loquuntur, venatu memorabili semper inclytus, qui à prima ætate capiendis leonibus & pardis, vrsis, cæterisque syluestribus animalibus, sudorem officij virilis impendit, quique semper in syluis ac montibus vixit, perferens calorem, pluuias, & omnia mala quæ in se continent venatoriæ voluptates: quibus duratus, solem ac puluerem bellis Persicis tulit. Non aliter etiam coniuge assueta, quæ multorum sententia fortior marito fuisse perhibetur: mulierum omnium nobilissima orientalium fœminarum, & (vt Cornelius Capitolinus asserit) speciosissima.

Quietum opprimit.

A Mæonio interficitur.

Mors fortiũ & prudentũ virorum, ira diuina iudicium.

Odenati elogium.

Zenobia, mulier eximiis virtutibus prædita, maritum se dignum nacta

---

Herodes, XV.

NON Zenobia matre, sed priore vxore genitus, Herodes cum patre accepit imperium, homo omnium delicatissimus, & prorsus orientalis & Grecæ luxuriæ, cui erant sigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia Persica. Denique ingenio eius vsus Odenatus quicquid concubinarum regalium, quicquid diuitiarum gemmarúmque cepit, eidem tradidit, paternæ indulgentiæ affectione permotus

Virtus & indulgentia patris filij luxuriosi næuos tegit ad tempus.

motus. Et erat circa illum Zenobia nouercali animo, quare commendabiliorem patri eum fecerat: neque plura sunt quæ de Herode dicantur.

Nouercalis animus.

Mæonius, XVI.

HIc consobrinus Odenati fuit: nec vlla re alia ductus nisi damnabili inuidia, Imperatorem optimum interemit, quum ei nihil aliud obiiceretur præter filij Herodis delicias. Dicitur autem primum cum Zenobia consensisse, quæ ferre non poterat vt priuignus eius Herodes priore loco quàm filij eius Herennianus & Timolaus, principes dicerentur. Sed hîc quoque spurcissimus fuit. quare Imperator appellatus per errorem, breui a militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.

Spurcissimus nebulo & sceleratus parricida, breui à militibus interficitur.

Balista, XVII.

DE hoc vtrum imperauit, scriptores inter se ambigunt. Multi enim dicunt, Quieto per Odenatum occiso, Balistæ veniam datam: tamen eum imperasse, quòd nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet. Alij asserunt, priuatum eum in agro suo quem apud Daphnem sibi comparârat, interemptum. Multi & sumpsisse illum purpuram, & more Romano imperasse, exercitum duxisse, & de se plura promisisse dixerunt: occisum autem per hos quos Aureolus miserat ad comprehendendum Quietum Macriani filium, quem prædam suam esse dicebat. Fuit vir insignis, eruditus ad gerendam rempubl. in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in prouisione annonaria singularis. Valeriano sic acceptus vt eum quibusdam literis hoc testimonio prosequutus sit: *Valerianus Ragonio Claro præfecto Illyrici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis est,*

De Balista varia historicorum sententia.

Eiusdem elogium.

Præclaro ad modum Valeriani testimonio comprobatum.

quam esse scio, parens Clare, dispositionem Balistæ prosequere. Hac in forma remp. vides, vt nec ille prouinciales grauet; vt illic equos contineat vbi sunt pabula; illic annonas militum mandet vbi sunt frumenta: non prouincialem, non possessorem cogat illic frumenta vbi non habet, dare, illic equum vbi non potest, pascere: nec est vlla alia prouisio melior quàm vt in locis suis erogentur quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus rempublicam grauent. Galatia frumentis abundat, referta est Thracia, plenum est Illyricum: illic pedites collocentur. quanquam in Thracia etiam equites sine noxa prouincialium hyemare possint. Multum enim ex campis fœni colligitur. Iam vbi laridum, iam cæteræ species in his dandæ sunt locis in quibus affatim redundant. Quæ omnia sunt Balistæ consilia, qui ex quaque prouincia vnam tantùm speciem præberi iussit, quòd ea redundaret, atque ab ea milites submoueri, id quod publicitus est decretum. Est & alia eius epistola qua gratias Balistæ agit: in qua docet sibi præcepta gubernandæ reip. ab eodem data. gaudens quòd eius consilio nullum adscriptitium, id est vacantem, haberet, & tribunum nullum stipatorem, qui non verè pugnaret. Hic igitur vir in tentorio suo cubans, a quodam gregario milite Odenati in Gallieni gratiam dicitur interemptus. De quo ipse vera non satis comperi, idcirco quod scriptores temporum de huius præfectura multa, de imperio pauca dixerunt.

Procuratoris annona apud Rom. exercitus, officium.

Balista, Valeriano percharus.

Indigna mors Balistæ.

Valens, XVIII.

Valentis elogium.

HIc vir militaris, simul etiam ciuilium virtutum gloria pollens, proconsulatum Achaiæ dato à Gallieno tunc honore gubernabat: quem Martianus vehementer reformidans, simul quòd in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quòd inimicum sibi esse inuidia virtutum sciebat; misso Pisone nobilissimę tunc & consularis familiæ viro

viro, interfici præcepit. Valens diligentiſſime cauens & prouidens, neque aliter ſibi poſſe ſubueniri exiſtimans, ſumpſit imperium, & breui à militibus interemptus eſt.

Mors cruenta.

Valens ſuperior, XIX.

FVIT & Valens ſuperior,& bene venit in mentem: & quum de hoc Valente loquimur, etiam de illo Valente qui ſuperiorum principum temporibus interemptus eſt, aliquid dicemus. Nam huius Valentis qui ſub Gallieno imperauit, auunculus magnus fuiſſe perhibetur. Alij tantum auunculum dicunt.ſed par in ambobus fuit fortuna.Nam & ille quum paucis diebus Illyrico imperaſſet,occiſus eſt.

Valentis ſenioris eadē qua & iunioris fortuna.

Piſo, XX.

HIC à Macriano ad interficiendum Valentem miſſus,vbi eum prouidum futurorum imperare cognouit, Theſſaliam conceſſit, atque illic paucis ſibi conſentientibus ſumpſit imperium, *Theſſalicúſque* appellatus, interemptus eſt: vir ſummæ ſanctitatis,& temporibus ſuis *Frugi* dictus,& qui ex illa Piſonum familia ducere originem diceretur, cui ſe Ciceró nobilitandi cauſa ſociauerat.Hic omnibus principibus acceptiſſimus fuit. Ipſe denique Valens qui ad eum percuſſores miſiſſe perhibetur, dixiſſe dicitur, non ſibi apud deos inferos conſtare rationem,quòd quanuis hoſtem ſuum,Piſonem tamen iuſſiſſet occidi,virum cui ſimilem Romana reſpublica non haberet. Senatuſconſultum de Piſone factum ad noſcendam eius maieſtatem libenter inſerui: Die ſeptimo Cal.Iulias, quum eſſet nuntiatum Piſonem à Valente interemptum, ipſum Valentem à ſuis occiſum, Aurelius Fuſcus conſularis

Piſonis dura prouincia

Laus eximia.

Ab infiſis hoſte probata.

Senatus decreto ſancita.

primæ ſententiæ, qui in locum Valeriani ſucceſſerat, ait, *Conſul conſule.* Quúmque conſultus eſſet, *Diuinos*, inquit, *honores Piſoni decerno P.C. Gallienum, & Valerianum, & Saloninum Imperatores noſtros eſſe confido. Neque enim melior vir quiſquam fuit, neque conſtantior.* Poſt quem cæteri conſulti ſtatuam inter triumphales, & currus quadriiugos Piſoni decreuerunt. Sed ſtatua eius videtur: quadrigæ autem quæ decretæ fuerant quaſi transferendæ ad alium poſitæ ſunt, nec adhuc redditæ. Nam in his locis fuerunt poſitæ in quibus thermæ Diocletianæ ſunt exædificatæ, tam æterni nominis quàm ſacrati.

Publicis honoribus, hiſtoria item teſtimonio memoria cõſecrata.

Æmilianus, XXI.

ET hoc familiare eſt populo Aegyptiorum, vt vel furioſi ac dementes de leuibus quibuſque ad ſumma reipub. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas ſalutationes, locum in balneis non conceſſum, carnem & olera ſequeſtrata, calceamenta ſeruilia, & cætera talia, vſque ad ſummum reip. periculum ſeditionis, ita vt armarentur contra eos exercitus, peruenerunt. Familiari ergo ſibi furore quum quodam die cuiuſdam ſeruus curatoris qui Alexandriam tunc regebat, militariè ob hoc cæſus eſſet quòd crepidas ſuas meliores eſſe quam militis diceret, collecta multitudo ad domum Aemiliani ducis anceps venit, atque eum omni ſeditionum inſtrumento & furore perſequuta eſt. ictus eſt lapidibus, petitus eſt ferro: nec deſiit vllum ſeditionis telum. Qua re coactus Aemilianus ſumpſit imperium quum ſciret ſibi vndecunque pereundum. Conſenſerunt ei Aegyptiacus exercitus, maximè in Gallieni odium: nec eius ad regendam rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totámque Aegyptum peragrauit, & quatenus potuit barbarorum gentes forti

Aegyptius populus ad ſeditionem procliuis.

Leuiſſima de cauſa excitatus, Aemilianum cogit vt imperiũ ſumat. Nulla fera formidabilior eſt belluâ illâ multorum capitum.

forti autoritate submouit. Denique *Alexander* vel *Alexandrinus* (nam incertum id quoque habetur) virtutum merito vocatus est. Et quum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce, Gallieno iubente dedit pœnas: siquidem strangulatus in carcere captiuorum veterum perhibetur. Tacendum esse non credo, quod quum de Aegypto loquor, vetus suggessit historia, simul etiam Gallieni factum: qui quum Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, à sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexādriam non licere. Cuius rei etiam Ciceronem, quum contra Gabinium loquitur, meminisse satis nouimus. denique non extat memoria rei frequentatæ. Quare scire oportet, Herennium Celsum vestrum parentem dum consulatum cupit, hoc quod desiderat, non licere. Fertur enim apud Memphim in aurea columna Aegyptiis literis scriptum, tunc demum Aegyptum liberam fore quum in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum: quod apud Proculum grammaticum doctissimum sui temporis virum, quum de peregrinis regionibus loquitur, inuenitur.

Aemiliani cognomen.

Mors violenta.

Sacerdotum Aegyptiorū superstitio.

Saturninus, XXII.

OPTIMVS ducum Gallieni tempore, sed à Valeriano dilectus Saturninus fuit. Hic quoque quum dissolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non posset, & milites non exemplo Imperatoris sui, sed suo regeret, ab exercitibus sumpsit imperium, vir prudentiæ singularis, grauitatis insignis, vitæ amabilis, victoriarum barbararum etiam vbique notarum. Hic ea die qua est amictus à militibus peplo imperatorio, concione adhibita dixisse fertur, *Commilitones, bonum ducem perdidistis, & malum*

Saturninus propter virtutes ab exercitu Imperator salutatus.

Se oneri ferēdo imparē agnoscit.

principem fecistis. Denique quum multa strenuè in imperio fecisset, quòd esset seuerior & grauior militibus, ab iisdem ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est. Huius insigne est, quòd conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit, hyeme grauibus, æstate perlucidis.

A perfidis militibus interficitur.

Tetricus senior, XXIII.

Tetricus Victorina persuasionibus imperium accipit.

INTERFECTO Victorino & eius filio, mater eius Victoria siue Victorina, Tetricum senatorem populo Romano præsidatum in Gallia regentem, ad imperium hortata quòd eius erat vt plerique loquuntur, affinis, Augustum appellari fecit, filiúmque eius Cæsarem nuncupauit. Et quum multa Tetricus feliciter egisset, diúque imperasset, ab Aureliano victus, quum militum suorum impudentiam & procacitatem ferre non posset, volens se grauissimo principi & seuerissimo dedit. Versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat,

Deinde ob militarem licentiam deponit.

Eripe me his inuicte malis.

Quare quum Aurelianus nihil simplex neque mite aut tranquillum facilè cogitaret, senatorem pop. Rom. eundémque consularem, qui iure præsidiali omnes Gallias rexerat, per triumphum duxit eodem tempore quo & Zenobiam Odenati vxorem cum filiis minoribus Odenati Herenniano & Timolao: pudore tamen victus vir nimium seuerus, eum quem triumphauerat, correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnij, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ, atque Vmbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omnisque annonariæ regionis: ac Tetricum non solùm viuere, sed etiam in summa dignitate manere passus est, quum illum sæpe collegam, nonnunquàm commilitonem, aliquando etiam imperatorem appellaret.

Per triumphũ ductus.

In summa dignitate postea viuit.

Tetric

Tetricus iunior, XXIIII.

HIc puerulus à Victoria Cæsar est appellatus, quum illa *mater castrorum* ab exercitu nuncupata esset: qui & ipse cum patre per triumphum ductus, postea omnibus senatoriis honoribus functus est, illibato patrimonio, quod quidem ad suos posteros misit, vt Gellius Fuscus dicit, semper insignis. Narrabat auus meus, hunc sibi familiarem fuisse, neque quenquam illi ab Aureliano, aut postea ab aliis principibus, esse prælatum. Tetricorum domus hodiéque extat in monte Cælio inter duos lucos contra Isium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus est, vtrique prætextam tribuens senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam picturatam de museo. Quam quum dedicasset, Aurelianum ipsum dicuntur duo Tetrici adhibuisse conuiuio.

Eiusdem filius, per triumphum ductus, æquiore fortuna, reliquo vitæ cursu vtitur.

Trebellianus, XXV.

PVDET iam persequi quanti sub Gallieno fuerunt tyranni, vitio pestis illius: siquidem erat in eo ea luxuria, vt rebelles plurimos mereretur: & ea crudelitas vt iure timeretur. Quare & in Trebellianum factum in Isauria principem, ipsis Isauris sibi ducem quærentibus, quem quum alij archipiratam vocassent, ipse se Imperatorem appellauit. Monetam etiam cudi iussit, palatium in arce Isauriæ constituit: qui quidem quum se in intima Isaurorum loca munitus difficultatibus locorum & montibus contulisset, aliquandiu apud Cilicas imperauit. Sed per Gallieni ducem Causisoleum, natione Aegyptium, fratrem Theodoti, qui Aemilianum ceperat, ad campum deductus, est victus & oc-

Tyrannus alios tyrannos (vt draco dracones) generat.

Trebellianus imperiũ sibi tribuit.

Victus & occisus.

cisus. Neque tamen postea Isauri, timore ne in eos Galhenus sæuiret; ad æqualitatem perduci quauis principũ humanitate potuerunt. Denique post Trebellianum pro barbaris habentur, & quum in medio Rom. nominis solo regio eorum sit, nouo genere custodiarum quasi limes includitur, locis defensa non hominibus. Nam non sunt statura decori, non virtute graues, non instructi armis, non consiliis prudentes, sed hoc solo securi, quòd in editis positi adiri nequeunt: quos quidem diuus Claudius pene ad hoc perduxerat, vt à suis semotos locis in Cilicia collocaret, daturus vni ex amicissimis omnem Isaurorum possessionem, nequid ex ea postea rebellionis oriretur.

Quales habuerit in Isauria successores.

A Claudio repressi.

Herennianus, XXVI.

ODENATVS moriens duos paruulos reliquit, Herennianum & fratrem eius Timolaum: quorum nomine Zenobia vsurpato sibi imperio diutius quàm fœminam decuit, remp. obtinuit, paruulos Rom. imperatoris habitu proferens purpuratos, eosdémque adhibens concionibus: quas illa viriliter frequentauit: Didonem, & Semiramidem, & Cleopatram sui generis principem inter cętera prædicans. Sed de eorum exitu incertum est. Multi enim dicunt eos ab Aureliano interemptos, multi morte sua esse consumptos: siquidem Zenobiæ posteri etiam nunc Romæ inter nobiles manent.

Herennianus ob patris & matris splendorem illustris

Timolaus, XXVII.

DE hoc ea putamus digna notatione quæ de fratre sunt digna. Vnum tamen est quod eum à fratre separat, quòd tanti fuit ardoris ad studia Romana, vt breui cõsequutus, quæ insinuauerat grammatic

Timolaus item, & ab eruditione nobilitatus.

maticus, esse dicatur: potuisse quinetiam summum Latinorum rhetorem facere.

Celsus, XXVIII.

OCCVPATIS partibus Gallicanis, orientalibus, quinetiam Ponti, Thraciarum, & Illyrici, dum Gallienus popinatur & balneis ac lenonibus deputat vitam, Afri quoque autore Vibio Passieno, proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano duce, limitis Libyci, Celsum Imperatorem appellauerunt, peplo deæ Cælestis ornatum. Hic priuatis ex tribunis in Africa positus, in agris suis viuebat: sed ea iustitia, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. Quare creatus per quandam mulierem, Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, septimo die interemptus est, atque adeo etiam inter obscuros principes vix relatus est. Corpus eius à canibus consumptum est, Siccensibus qui Gallieno fidem seruauerant perurgentibus: & nouo iniuriæ genere imago in crucem sublata persultante vulgo, quasi patibulo ipse Celsus videretur affixus.

Celsus Imperator in Africa appellatus.

Sed paulo post interemptus & fœdè consumptus.

Eiusdem imago in crucem sublata

Zenobia, XXIX.

OMNIS consumptus est pudor: siquidem fatigata repub. eousque peruentum est vt Gallieno nequissime agente, optimè etiam mulieres imperarent. Et quidem peregrina, nomine Zenobia, de qua iam multa dicta sunt, quæ se de Cleopatrarum Ptolemæorúmque gente iactaret, post Odenatum maritum imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai diutius quàm fœmineus sexus patiebatur, imperauit. Siquidem Gallieno adhuc regente remp. regale mulier super-

Mulier, animum gerens virilē, Gallieni mollitiem eternæ infamia notà perurit.

Eiusdē virtus bellica.

ba munus obtinuit: & Claudio bellis Gotthicis occupato, vix denique ab Aureliano victa & triumphata, concessit in iura Rom. Extat epistola Aureliani, quæ captiuæ mulieri testimonium fert. Nam quum à quibusdam reprehenderetur quòd mulierem veluti ducem aliquem vir fortissimus triumphasset, missis ad senatum populúmque Romanum literis, hac se attestatione defendit, *Audio P.C. mihi obiici quòd non virile munus impleuerim, Zenobiam triumphando. Næ illi qui me reprehendunt satis laudarent, si scirent qualis illa est mulier, quàm prudens in consiliis, quàm constans in dispositionibus, quàm erga milites grauis, quàm larga quum necessitas postulet, quàm tristis quum seueritas poscat. Possum dicere illius esse quòd Odenatus Persas vicit, ac fugato Sapore Ctesiphontem vsque peruenit. Possum asserere, tanto apud orientales & Aegyptiorum populos timori mulierem fuisse, vt se non Arabes, non Sarraceni, non Armenii commouerent. Nec ego illi vitam conseruassem nisi eam scissem multum Rom. reip. profuisse, quum sibi vel liberis suis orientis seruaret imperium. Sibi ergo habeant propriarum venena linguarum hi quibus nihil placet. Nam si vicisse ac triumphasse fœminam non est decorum, quid de Gallieno loquuntur, in cuius contemptum hæc bene rexit imperium? Quid de diuo Claudio, sancto ac venerabili duce, qui eam, quòd ipse Gotthicis esset expeditionibus occupatus, passus esse dicitur imperare, idque occultè ac prudenter, vt illa seruante orientalis fines imperii, ipse securius quæ instituerat perpetraret?*

Eiusdem elogium Aureliani testimonio ornatum.

Zenobiæ castitas.

Hæc oratio indicat quid iudicij Aurelianus habuerit de Zenobia: cuius ea castitas fuisse dicitur, vt ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Nam quum semel concubuisset, expectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minus, iterum potestatem quærendis liberis dabat. Vixit regali pompa, more magis Persico. Adorata est more regum Persarum. Conuiuata est imperatorum more Rom. Ad conciones

Magnificentia.

galeata

galeata processit cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per vltimam fimbriam media etiam cyclade veluti fibula muliebri astricta, brachio sæpe nudo. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris, spiritus diuini, venustatis incredibilis: tantus candor in dentibus, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Vox clara & virilis: seueritas, vbi necessitas postulabat, tyrannorum; bonorum principum clementia, vbi pietas requirebat. Larga prudenter, conseruatrix thesaurorum vltra fœmineum modum. Vsa vehiculo carpentario, rarò pilento, equo sæpius. Fertur autem vel tria vel quatuor millia frequenter cum peditibus ambulasse. Nata est Hispanorum cupiditate: bibit sæpe cum ducibus, quum esset aliàs sobria: bibit etiam cum Persis atque Armeniis, vt eos vinceret. Vsa est vasis aureis gemmatis ad conuiuia, quibus & Cleopatra vsa est. In ministerio eunuchos grauioris ætatis habuit, puellas nimis raras. Filios Latine loqui iusserat, adeo vt Græcè vel difficilè vel rarò loquerentur. Ipsa Latini sermonis non vsquequaque ignara, sed vt loqueretur pudore cohibita: loquebatur & Aegyptiacè ad perfectum modum. Historiæ Alexandrinæ atque orientalis ita perita vt eam epitomasse dicatur: Latinam autem Græcè legerat. Quum illam Aurelianus cepisset, atque in conspectum suum ductam sic appellasset, *Quid ô Zenobia ausa es insultare Romanis Imperatoribus?* Illa dixisse fertur, *Imperatorem te esse cognosco qui vincis, Gallienum & Aureolum, & cæteros, principes non putaui. Victoriam mei similem credens, in consortium regni venire, si facultas locorum pateretur, optaui.* Ducta est igitur per triumphum ea specie vt nihil pompabilius populo Romano videretur. iam primùm ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissi-

Militaris ornatus.

Vultus.

Virtutes.

Labores.

Viuendi ratio.

Filiorum educatio.

Eruditio.

Magnanimitas.

Captiuitas pretiosa.

ma sæpissime restitisse, quum diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Huic ab Aureliano viuere concessum est. Fertúrque vixisse cum liberis, matronæ iam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti, quæ hodiéque Zenobia dicitur, non longe ab Adriani palatio, atque ab eo loco cui nomen est Conche.

Vitæ conditiovsque ad mortem.

Victoria, XXX.

NON tam digna res erat vt etiam Victorina, siue Victoria, in literas mitteretur, nisi Gallieni mores hoc facerent vt memoria digne etiam mulieres censerentur. Victoria enim vbi filium ac nepotem a militibus vidit occisos, Posthumum, deinde Lollianum, Marium etiam, quem principem milites nuncuparunt, interemptos, Tetricum (de quo superius dictum est) ad imperium hortata est, vt virile semper facinus auderet: insignita est præterea hoc titulo, vt *castrorum* se diceret *matrem*. Cusi sunt eius nummi ærei, aurei, & argentei, quorum hodiéque forma extat apud Treuiros. quæ quidem non diutius vixit. Nam Tetrico imperante, vt plerique loquuntur, occisa, vt alij asserunt, fatali necessitate consumpta. Hæc sunt quæ de triginta tyrannis dicenda videbantur: quos ego in vnum volumen idcirco contuli, ne si de singulis singula quæque narrarem, nascerentur indigna fastidia, & ea quæ ferre lector non posset. Nunc ad Claudium principem redeo, de quo speciale mihi volumen, quanuis breue, meritò vitæ illius videtur edendum, addito fratre singulari viro, ita vt de familia tam sancta & tam nobili saltem pauca referantur. Studiose in medio fœminas posui ad ludibrium Gallieni, quo nihil

Viri ignauia mulierē ad viriles conatus adigit.

Victoriæ interitus.

Tr. Pollionis consilium.

Cur fœminarum & Titi ac Censorini meminerit.

hil prodigiosius passa est respub. Rom. Duos etiam nunc tyrannos, quasi extra numerum (quòd alieni essent temporis) additurus: vnum qui fuit Maximini temporibus. alterum qui Claudij: vt tyrannorum triginta viri hoc volumine tenerentur. Quæso qui expletum iam librum acceperas, boni consulas, atque hos volumini tuo volens addas: quos ego quemadmodum Valentem superiorem huic volumini, sic post Claudium & Aurelianum his qui inter Tacitum & Diocletianum fuerunt, addere destinaueram. Sed errorem meum maior historiæ diligentia tuę eruditionis auertit. Habeo igitur gratiam quòd titulum meum prudentiæ tuę benignitas impleuit. Nemo in templo Pacis dicturus est me fœminas inter tyrannos, cum risu & ioco tyrannas videlicet & tyrannides, vt ipsi de me solent iactare, posuisse. Habent integrum numerum ex arcanis historiæ in meas literas datum. Titus enim & Censorinus, quorum vnus, vt dixi, sub Maximino, alter sub Claudio fuit, ambo ab iisdem militibus, à quibus purpurą velati fuerant, interempti sunt.

Peroratio modesta.

Obiectioni occurrit.

Titus.

DOCET Dexippus, nec Herodianus tacet, omnésque qui talia legenda posteris tradiderunt, Titum tribunum Maurorum, qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat, timore violentæ mortis, vt alij dicunt: inuitum verò, & à militibus coactum, vt plerique asserunt, imperasse. Atque hunc intra paucos dies post vindicatam defectionē quam consularis vir Magnus Maximino parauerat, a suis militibus interemptum. Imperasse autem mensibus sex. Fuit hic vir de primis erga rempubl. domi forísque laudabilis, sed imperio parum felix. Alij dicunt, ab Armeniis sagittariis, quos Maximinus vt Ale-

Titus sub Maximino arripit imperium.

Interficitur à militibus.

xandrinos & oderat & offenderat, principem factum. Nec mireris tantam esse varietatem de homine cuius vix nomen agnoscitur. Huius vxor Calphurnia, fuit sancta & venerabilis fœmina, de genere Censorinorum, id est Pisonum, quam maiores nostri vniuiriam sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt: cuius statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam. Hęc vniones Cleopatranas habuisse perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti, cuius plerique poetę meminerunt, in qua maiorum eius expressa ostenditur historia. Longius mihi videor processisse quàm res postulabat: sed quid faciam? omnis scientia naturæ facilitate verbosa est. Quare ad Censorinum reuertar, hominem nobilem: sed qui non tam bono quàm malo reip. septem diebus dicitur imperasse.

Huius vxor eximia mulier.

Tr. Pollionis excusatio.

Censorinus.

CENSORINVS, vir planè militaris & antiquæ in curia dignitatis, II consul, II præfectus prætorij, III præfectus vrbi, IIII proconsul, III consularis, legatus prætorius II, IIII ædilitius, III quæstorius, extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica. Post omnes tamen honores quum in agro suo degeret senex, atque vno pede claudicans vulnere quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, factus est Imperator, & scurrarum ioco Claudius appellatus est. Quúmque se grauissimè gereret, neque à militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his ipsis à quibus factus fuerat, interemptus est. Extat eius sepulcrum, in quo grandibus literis circa Bononiam incisi sunt omnes eius honores, vltimo tamen versu adscripto, *Felix ad omnia, infelicißimus Imperator.* Extat eius familia, Censorinorum nomine frequentata

Censorinus sub Claudio Imperator salutatus.

Quo tempore.

Interemptus à militibus, obedire nescijs.

Aptißimo elogio decoratus.

ɀata: cuius pars Thracias odio rerum Romanarum, pars Bithyniam petiit. Extat etiam domus pulcherrima adiuncta gentibus Flauiis, quæ quondam Titi principis fuisse perhibetur. Habes integrum numerum triginta tyrannorum, qui cum male nobis quidem, sed bono animo causabaris. Da nunc cui vis libellum, non tam diserte quàm fideliter scriptum. Neque ego eloquentiam videor pollicitus esse, sed rem: qui hos libellos quos de vita principum edidi, non scribo, sed dicto: & dicto cum ea festinatione quam, siquid vel ipse promisero vel tu petieris, sic perurges vt respirandi non habeam facultatem.

Peroratio Tr. Pollionis.

ZOSIMI
Claudius.

BREVIARIUM.

1 Post Gallieni cædem, Claudius consequitur imperium. Aureolus, inter triginta tyrannos ferè primarius à militibus interficitur. Scythæ & vicini populi infeliciter tentata Propontidis nauigatione, à Romanis magna clade adficiuntur.

2 Bellum inter Palmyrenos & Aegyptios. Probus Claudii præfectus Palmyrenis occurrẽs victus sibi manus adfert. Romani iterũ à Scythis & peste vexantur. Claudius lue extinguitur.

INTERFECTO Gallieno, quum milites ducum iussu tranquilli essent, Claudius imperium consequitur, quod antea quoque communi calculo datum ei fuerat. Aureolus, qui satis longo tempore se fuerat tutatus, quominus in Gallieni potestatem veniret, statim de pace legatos ad Claudium ablegat.

Tenebris seditionum & bellorum ciuilium diu sc̃ussis succedit dies fere nior, quẽ dira nouarum

turbarū externarum à Scythis sparsarum caligines offusæ capt.

Quúmque se dedidisset, a militibus, qui propter Imperatorem erant, interficitur: quòd conceptam in illum, ex causa defectionis, iram necdum deposuissent. Hoc tempore, quotquot erant *Scythæ* superstites, animis propter expeditiones hactenus susceptas elati, adiunctis sibi Herculis, Peucis & Gotthis, collectique propter Tyram fluuium, in Pontum semet exonerantem, sex millibus nauium constructis, & trecentis ac viginti millibus hominum in eas impositis, nauigatione per Pontum instituta, Tomis munito mœnibus oppido tentato, reiecti sunt. Progressi verò, & Marcianopolim delati, quæ Mysiæ ciuitas est, ac ne illa quidem potiti, nauigabant vlterius, quum quidem in puppi ventum haberent. Vbi Propontidis angustias adtigissent, quòd ea multitudo nauium celeritatem fluxus ferre non posset, naues inter se collidebantur, & nullo ferebantur ordine lembi, quum gubernatores ipsi clauos è manibus dimisissent, adeo quidem vt partim demergerentur, partim cum hominibus ipsis, partim vacuæ litoribus adpellerent, magna tum hominum, tum nauigiorum multitudine pereunte. Propter hanc caússam a Propontidis angustiis barbari recedebant, Cyzicum versus nauigando. Quúmque rebus infectis illinc dilapsi fuissent, Hellespontum nauigiis præteriissent, & ad montem Atho delati, naues ibi suas refecissent: Cassandriam & Thessalonicam obsidebant, machinisque mœnibus admotis, parum abfuit quin eas caperent. Sed audientes Imperatorem cum copiis aduentare, petitis superioribus locis mediterraneis, omnem propter Doberum & Pelagoniam agrum prædis agendis infestabant. quo in agro tribus hominum millibus amissis, quum in equitatum Dalmatarum incidissent, cum reliquis aduersus Imperatoris copias dimicarunt. Occepto prælio, quum ab vtraque parte multi cecidissent,

Barbarorū cursus in compositi & bellum tumultuosum.

Rom

Romani quidem in fugam se coniiciebant: sed per itinera nullis hominum trita vestigiis eosdem ex improuiso adorti, quinquaginta millia barbarorum ceciderunt. Quædam Scytharum pars, Thessaliam Græciámque circumuecta, passim ea loca populabatur, quæ quum adgredi oppida propterea non posset, quod ea muris, alióque necessario præsidio, se iam antea diligenter communiuissent: homines in agris repertos abducebat.

Cuius infelix exitus.

Dum Scythæ dispersi vagarentur in hunc quem diximus modum, magno suorum amisso numero: maiora quædam adpetens Zenobia, Zabdam in Aegyptum mittit, quod Aegyptius quidam Timagenes Palmyrenis Aegypti dominatum tradere conaretur. Coacto de Palmyrenis, & Syris, & barbaris exercitu, ad septuaginta vsque millia, prodierunt in aciem aduersum hos Aegyptiorum ad quinquaginta millia, quos inter vtrimque acri commisso prælio, Palmyreni longe hoc bello superiores exstiterunt, & imposito quinque millium præsidio, pedem retulerunt. Probus, cui datum erat ab Imperatore negotium maris a piratis repurgandi, posteaquam teneri a Palmyrenis Aegyptum cognouisset: cum copiis suis & Aegyptiorum, quotquot alieni a Palmyrenorum partibus erant, hostes adgressus, præsidium eiecit. Sed quum Palmyreni denuo cum exercitu venissent, itidémque Probus Aegyptias Africanásque copias coegisset, victoria quidem Aegyptij potiebantur & Aegypti finibus exigebant. Verùm, quòd Probus montem Babyloni vicinum occupasset, & hostes ibidem à transitu in Syriam excluderet, Timagenes, velut eorum locorum peritus, cum duobus Palmyrenorum millibus eius montis occupato vertice, nihil tale cogitantes Aegyptios adortus cæcidit, quos inter & Probus interceptus, ipse sibi manus adtulit. Aegypto in Palmyre-

Noui æstus bellorum inter Romanos & Aegyptios aduersus Palmyrenos.

Palmyreni sapientis ducis industria freti superiores euadunt.

Probus infeliciter pugnans sibi manus adfert.

norum potestatem redacta, quotquot ex pugna Claudij & Scytharum, ad Naisum pugnata, superstites erant barbari, curribus se munientes, in Macedoniam contendebant. Sed quod ob inopiam commeatus fame premerentur, tam ipsi quam eorum iumenta peribant. Progredientibus autem eis Romanorum equestres occurrere copiæ, cæsisque pluribus, reliquos ad Hæmum se conuertere coegerunt. Ibi Romanis ab exercitibus circundati, non

Prudentia vim superat

paucos ex suis amiserunt. Posteaquam verò dissidentibus inter se peditibus & equitibus, visum Imperatori fuit, vt pedites aduersus barbaros dimicarent, acri exorto prælio, Romani terga dabant: quorum iam non paucis interemptis, equitatus aduentu factum est, vt modicum ex admisso delicto detrimentum sentiretur. Scythis longius digressis, & Romanis eos persequentibus, qui Cretam & Rhodum circumuecti nauibus erant barbari, nulla

Pestis bellorũ comes.

re memorabili gesta, recesserunt. Quúmque pestilens lues cunctos inuasisset, partim in Thracia, partim in Macedonia perierunt. Quotquot autem incolumes euasere, vel legionibus Romanis adscripti sunt, vel terram colendam nacti, totos agriculturæ se dediderunt. Sed quod in Romanos quoque pestis

Optimum principem extinguit.

sæuire cœpisset, quum alij complures in exercitu mortui sunt, tum etiam Claudius viuendi finem fecit, vir omni genere virtutum ornatus, & qui magnum sui desiderium subditorum animis inditum reliquit. *Quintillus* inde, Claudij frater, dictus est Imperator, qui vbi perpaucos menses vixisset, & nihil memoria dignum gessisset, Aurelianus ad regium solium euehitur, quum quidem (veluti scriptores historiarum aliqui tradunt) Quintillo necessarij sui fuissent auctores, simul atque cognitum

Cui Quintillus, huic autem Aurelianus succedit.

esset Aureliano delatum imperium, vt mortem sibi conscisceret, ac multo se potiori sponte sua de imperio

perio cederet: quod & feciffe perhibetur, à medico quodam vena secta, continuatóque fluxu sanguinis, donec exaruisset.

TREBELLII POLLIONIS
Diuus Claudius.

BREVIARIVM.

1 Cur vitam Claudii Imperatoris Trebellius Pollio literis consignauerit.

2 Quorundam obiectionibus solutis, senatusconsulta de Claudio Imperatore recitantur. Aureolum, à quodam scriptore inepto laudatum, Claudius debellat.

3 Belli Gotthici prolixa narratio. Imperii Claudiani omina.

4 Aegyptium bellum. Morbo perit Claudius, cui succedit Quintillus frater, à militibus interemptus. De Claudii genere, familia, moribus & robore.

5 Valeriani, Decii, Gallieni, & senatus de Claudio iudicia.

FELICITER ventum est ad principem Claudium, qui nobis intuitu Constantij Cæsaris cum cura in literis digerendus est. De quo ego idcirco recusare non potui, quòd alios, tumultuarios videlicet Imperatores ac regulos, scripseram eo libro quem De triginta tyrannis edidi, qui Cleopatranam etiam stirpem, & Victorianam, & quæ nunc est, detinet. Siquidem eò res processit vt mulierum etiam vitas scribi Gallieni comparatio effecerit. Neque enim fas erat eum tacere principem qui tantam generis prolem, qui bellum Gotthicum sua virtute confecit, qui manum publicis cladibus victor imposuit,

1 Illustrium principũ vita, est relatu dignissima.

Virtutes Claudij, optimo principi conuenientissima.

qui Gallienum prodigiosum Imperatorem, etiamsi non autor consilij fuit, tamen ipse imperaturus bono generis humani a gubernaculis publicis depulit: qui si diutius in hac esset commoratus rep. Scipiones bonos & Camillos, omnésque illos veteres suis virtutibus, suis consiliis, sua prouidentia reddidisset. Breue illius in imperio fuit tempus: sed breue fuisset etiamsi quantum hominum vita suppetit, tantum vir talis imperare potuisset. Quid enim in illo non mirabile? quid non conspicuum? quid non triumphalibus vetustissimis præferendum? In quo Trajani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, & magnorum principum bona sic fuerunt vt non ab aliis exemplum caperet, sed etiam si illi non fuissent, hic cæteris reliquisset exemplum. Doctissimi mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque amplius cuiquam iactitant esse concessum: etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, c x x v annos vixisse: qui quum quereretur quod iuuenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum. Quare etiam si c & xxv annos Claudius vixisset, necessariam quidem mortem eius expectandam fuisse, vt Tullius de Scipione loquitur pro Milone, stupenda & mirabilis docet vita. Quid enim magnum vir ille domi forísque non habuit? Amauit parentes. Quid mirum? Amauit & fratres. Iam potest dignum esse miraculo. Amauit propinquos: res nostris temporibus comparanda miraculo. Inuidit nulli, malos persequutus est. Fures iudices palàm apertéque damnauit. Stultis, quasi negligeret, indulsit. Leges optimas dedit. Talis in rep. fuit, vt eius stirpem ad imperium summi principes eligerent, emendatior senatus optaret.

Sapientis & fortis principis vita nunquam satis longaua.

De vitæ humanæ curriculo.

Moses, veri Dei familiaris seruus, longæuus.

Stupenda & mirabilis vita Claudij, principis ethnici, perditos nostri seculi mores satis superq. damnat.

2 In gratiam me quispiam putet Constantij Cæsaris

Is non adulatorié lau-

Cæſaris loqui, ſed teſtis eſt & tua conſcientia & vita mea, nihil vnquam cogitaſſe, dixiſſe, feciſſe gratioſum. Claudium principem loquor, cuius vita, probitas, & omnia quæ in republica geſſit, tantam poſteris famam dedere, vt ſenatus populúſq. Rom. nouis eum honoribus poſt mortem affecerit. Illi clypeus aureus, vel, vt grammatici loquuntur, clypeum aureum ſenatus totius iudicio in Romana curia collocatum eſt, vt etiam nunc videtur. Expreſſa thorace vultus eius imago. Illi, (quod nulli antea) populus Rom. ſumptu ſuo in capitolio ante Iouis optimi maximi templum, ſtatuam auream decem pedum collocauit. Illi totius orbis iudicio in roſtris poſita eſt columna, cum palmata ſtatua ſuperfixa, librarum argenti mille quingentarum. Ille velut futurorum memor, gentes Flauias, quæ Veſpaſiani & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, propagauit. Ille bellum Gotthicum breui tempore impleuit. Adulator igitur ſenatus, adulator populus Romanus, adulatrices exteræ gentes, adulatrices prouinciæ: ſiquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis ciuitas, ſtatuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus bonum principem, aris ac templis honorauerunt. Intereſt eorum qui bonos imitantur principes, & totius orbis humani intereſt, cognoſcere quę de illo viro ſenatuſconſulta ſint condita, vt omnes iudicium publicæ mentis agnoſcant. Nam quum eſſet nuntiatum nono Calend. Aprilis ipſo in ſacrario Matris ſanguinis die Claudium Imperatorem factum, neque cogi ſenatus ſacrorum celebrandorum cauſa poſſet, ſumptis togis itum eſt ad Apollinis templum, ac lectis literis Claudij principis, hæc in Claudium dicta ſunt, *Auguſte Claudi, dij te nobis præſtent*: (dictum ſexagies) *Claudi Auguſte, principem te, aut qualis tu es, ſemper optauimus*: (dictum quadragies) *Claudi Auguſte, te reſp. requirebat*: (dictum qua-

datur, cuius poſt publicā famam, egregia facta quidam deſcribunt.

Princeps opt. honoribus afficiendus.

Nulla adulatio in exhibitione honorum qui bono principi debentur. Aræ autem fana & templa ethnicismum ſapiunt.

Senatus acclamationes honorificæ in Claudiū.

Eximia laus à laudatis viris laudari.

dragies) *Claudi Auguste, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus senator, tu vere princeps:* dictum octuagies) *Claudi Auguste, tu nos ab Aureolo vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Palmyrenis vindica:* (dictum quinquies) *Claudi Auguste, tu nos à Zenobia & à Victoria libera:* (dictum septies) *Claudi Auguste, Tetricus nihil fuit:* (dictum septies). Qui primùm vt factus est Imperator, Aureolum qui grauior reipublicæ fuerat, quód multum Gallieno placebat, conflictu habito a reipubl. gubernaculis depulit, tyrannúmque missis ad populum edictis, datis etiam ad senatum orationibus iudicauit. His accedit, quòd arrogantem Aureolum, & fœdus petentem, Imperator grauis & seuerus non audiuit, responso tali repudiatum, Hæc à Gallieno petenda fuerant, qui consentire moribus poterat & timere. Denique iudicio militum apud Mediolanum Aureolus dignum exitum vitæ ac moribus suis habuit: & hunc tamen quidam historici laudare conati sunt, & ridiculè quidem. Nam Gallus Antipater, ancillariorum & historicorum dehonestamentum, principium de Aureolo sic habuit, *Venimus ad Imperatorem nominis sui. Magna eius videlicet virtus, ab auro nomen accipere.* At ego scio, sæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus hoc nomen appositum. Habuit proximè tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum.

Aureolus à reip. gubernaculis depulsus.

Seditiosus subditus meritam repulsam patitur Nec enim decet principẽ cum perduelli subdito pacisci.

Tyrannis nõ desunt adulatores.

3 Sed redeamus ad Claudium. Nam vt superius diximus, illi Gotthi qui euaserant eo tempore quo illos Macrianus est persequutus, quósque Claudius emitti non siuerat, ne quid fieret quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitauerunt prædas. Denique Scytharum diuersi populi, Peucini, Trutungi, Austrogotthi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum & rempub. venerunt, atque illic plera

Scythæ, spe prædarũ arma capiunt infelicia. Latrociniorum publicorum cruentus euentus.

pleraque vastarunt, dum aliis occupatus est Claudius, dúmque se ad id bellum quod confecit, imperatorié instruit, vt videantur fata Romana boni principis occupatione lentata. sed credo, vt Claudij gloria accresceret, eiúsque fieret gloriosior toto penitus orbe victoria. Armatarum denique gentium trecenta viginti millia tunc fuere. Dicat nunc qui nos adulationis accusat, Claudium minus esse amabilem. Armatorum trecenta viginti millia. Quis tandem Xerxes hoc habuit? quæ fabella istum numerum effinxit? Quis poeta composuit? Trecenta viginti millia armatorum fuerunt. Adde seruos, adde familias, adde carraginem & epota flumina consumptásque syluas. Laborasse denique terram ipsam quæ tantum barbarici timoris accepit: terram puto. Exstat ipsius epistola missa ad senatum legenda ad populum, qua indicat de numero barbarorum, quæ talis est: *Senatui P. Q. R. Claudius princeps* (hanc autem ipse dictasse perhibetur, ego verba magistri memoriæ non requiro) *P. C. militantes audite quod verum est: Trecenta viginti millia barbarorum in Romanum solum armati venerunt: hæc si vicero, vos vicem reddite meritis: si non vicero, scitote me post Gallienum velle pugnare. Fatigata est tota resp. Pugnabimus post Valerianum, post Ingenuum, post Regillianum, post Lollianum, post Posthumum, post Celsum, post mille alios qui contemptu Gallieni principis à rep. defecerunt. Non scuta, non spathæ, non pila iam supersunt. Gallias & Hispanias, vires reip. Tetricus tenet, & omnes sagittarios (quod pudet dicere) Zenobia possidet. Quicquid fecerimus, satis grande est.* Hos igitur Claudius ingenita illa virtute superauit: hos breui tempore attriuit. De his vix aliquos ad patrium solum redire permisit. Rogo quantum pretium est clypeus in curia tantæ victoriæ, quantum vna aurea statua. Dicit Ennius de Scipione, *Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quæ res tuas gestas*

Principum occupationes latronum acuunt audaciam.

Tandem verò prædones suæ temeritatis & petulãtia luũt pœnas.

Insignis inter alias Claudii victoria.

Tanta virtuti & felicitati exiguum affigitur præmium: at benefacti manet memo-

ria superstes virtutéque sua fortissimus imperator inuolutus adhuc cernitur.

Classis Gothorum oppressa.

Ingentis exercitus, mari & terra debellati, breuis descriptio.

Victoris testimonio comprobata.

Ignauia Gallieni, virtutes Claudii reddit illustriores.

Belli facies

loquatur? Possumus dicere, Flauium Claudium, vnicum in terris principem, non columnis, non statuis, sed famæ viribus adiuuari. Habuerunt prætereа duo millia nauium, duplicem scilicet numerum quam illum quo tota pariter Grecia omnisq; Thessalia, vrbes etiam Asiæ quondam expugnare conata est. Sed illud poeticus stilus fingit, hoc vera continet historia. Claudio igitur scriptores adulamur, qui duo millia nauium barbararum, & trecenta viginti millia armatorum deleuit, oppressit, attriuit: qui carraginem tantam quantam numerus hic armatorum sibimet aptare potuit & parare, nunc incendia fecit, nunc cum omnibus familiis Romano seruitio deputauit, vt docet eiusdem epistola quam ad Iunium Brocchum scripsit Illyricum tuentem.

Claudius Broccho. Deleuimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia nauium mersimus. Tecta sunt flumina scutis, spathis & lanceolis omnia littora operiuntur. Campi ossibus latent tecti, nullum iter purum est, ingens carrago deserta est. Tantum mulierum cepimus vt binas & ternas mulieres victor sibi miles possit adiungere. Et vtinam Gallienum non esset passa respub. vtinam sexcentos tyrannos non pertulisset. Saluis militibus quos prælia sustulerunt, saluis legionibus quas Gallienus malè victor occidit, quantum esset additum reipub. Siquidem nunc verba naufragij publici colligit nostra diligentia ad Rom. reip. decus. Pugnatum est enim apud Mœsios, & multa prælia fuerunt apud Martianopolin, multi naufragio perierunt, plerique capti reges, captæ diuersarum gentium nobiles fœminæ: impletæ barbaris seruis, senibúsque cultoribus Romanæ prouinciæ. Factus miles barbarus & colonus ex Gottho. Nec vlla fuit regio quæ Gotthum seruum triumphali quodam seruitio non haberet. Quid boum barbarorum nostri videre maiores? quid ouium? quid equarum quas fama nobilitat

Celtic

Celticarum? Hoc totum ad Claudij gloriam pertinet. Claudius & securitate remp. & opulentiæ nimietate donauit. Pugnatum præterea est apud Byzantios, ipsis qui superfuerant Byzantiis fortiter facientibus. Pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari. Pugnatum in diuersis regionibus, & vbique auspiciis Claudianis victi sunt Gotthi, prorsus vt iam tunc Constantio Cæsari nepoti futuro videretur Claudius securam parare rempub. Et bene venit in mentem, exprimenda est sors quæ Claudio data esse perhibetur, eo magis, vt intelligant omnes genus Claudij ad felicitatem reipub. diuinitus constitutum. Nam quum consuleret factus Imperator, quandiu imperaturus esset, sors talis emersit.

Principis & populi victoris conditio.

Omina imperij Claudiani.

De tempore.

Tu qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis, arbiter deorum
In veteres tuis nouellis.
Regnabunt etenim tui minores,
Et reges facient suos minores.

Item quum in Apennino de se consuleret, responsum huiusmodi accepit,

De persona sua.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Item quum de posteris suis,

De suis posteris.

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Item quum de fratre Quintillo, quem consortem habere volebat imperij, responsum est,

De fratre Quintillo.

Ostendent terris hunc tantum fata.

Quæ idcirco posui, vt sit omnibus clarum, Constantium diuini generis virum, sanctissimum Cæsarem, & Augustæ ipsum familiæ esse, & Augustos multos de se daturum, saluis Diocletiano & Maximiano Augustis, & eius fratre Galerio.

4 SED dum hæc à diuo Claudio aguntur, Palmyreni, ducibus Saba & Timogene, contra Aegyptios bellum sumunt, atque ab his Aegyptia perui-

Bellum Aegyptium, cuius authores Palmyreni

Initio prosperα fortuna vtuntur. cacia & indefessa pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Aegyptiorum Probatus Timogenis insidiis interemptus est. Aegyptij verò omnes se Rom. imperatori dediderunt, in absentis Claudij verba iurantes. Atticiano & Orphito coss. auspicia Claudiana fauor diuinus adiuuit. Nam quum se in Hæmi montem multitudo barbararum gentium quæ superfuerant, contulisset, illic ita fame ac pestilentia laborarunt, vt iam Claudius dedignaretur & vincere. Denique finitum est asperrimum bellum, terroresque Romani nominis sunt depulsi. Vera dici fides cogit, simul vt sciant hi qui adulatores nos existimari cupiunt, id quod historia dici postulat, non tacere. Eo tempore quo parta est plena victoria, plerique milites Claudij secundis rebus elati, quæ sapientium quoque animos fatigant, ita in prædam versi sunt, vt non cogitarent à paucissimis se posse fatigari dum occupati animo atque corporibus auertendis prædis inseruiunt. Denique in ipsa victoria propè duo millia militum à paucis barbaris, & iis qui fugerant, interempti sunt. Sed vbi hoc comperit Claudius, omnes qui rebelles animos extulerant, conducto exercitu rapit, atque in vincula Romam etiam mittit ludo publico deputandos. ita id quod vel fortuna vel miles egerat, virtute boni principis æquatum est. Nec sola de hoste victoria, sed etiam vindicta præsumpta est. In quo bello quod gestum est, equitum Dalmatarum ingens extitit virtus quòd originem ex ea prouincia Claudius videbatur ostendere, quanuis alij Dardanum, & ab Ilio Troianorum atque ipso Dardano sanguinem dicerent trahere. Fuerunt per ea tempora & apud Cretam Scythæ, & Cyprum vastare tentarunt: sed vbique morbo exercitu laborante, superati sunt. Finito sanè bello Gotthico, grauissimus morbus increbuit, tunc quum etiam Claudius affectus morbo morta-

Nam post grauissima famis ac pestilentiæ conflictum, Romanos fugant.

Et secundis rebus elatos interficiunt.

At perduellibus ad iusta supplicia raptis, etiã hostes oppressi sunt. seditionum tragicus exitus

Princeps opt. cuius præsentia

les

les reliquit, & familiare virtutibus suis petiit cælum. Quo ad deos atque ad sidera demigrante, Quintillus frater eiusdem, vir sanctus, & sui fratris (vt verè dixerim) frater, delatum sibi omnium iudicio suscepit imperium, non hæreditarium sed merito virtutum: qui factus esset Imperator etiamsi frater Claudij principis non fuisset. Sub hoc barbari qui superfuerant, Anchialo vastata, conati sunt Nicopolin etiam obtinere. Sed illi prouincialium virtute obtriti sunt. Quintillus autem ob breuitatem temporis nihil dignum imperio gerere potuit. Nam septimadecima die, quòd se grauem & serium contra milites ostenderat ac verum principem pollicebatur, eo genere quo Galba, quo Pertinax, interemptus est. Et Dexippus quidem Claudium non dicit occisum, sed tantùm mortuum. Nec tamen addidit morbo, vt dubium sentire videatur.) Quoniam res bellicas diximus, de Claudij genere & familia saltem pauca dicenda sunt, ne ea quæ scienda sunt, præterisse videamur. Claudius, Quintillus, & Crispus, fratres fuerunt. Crispi filia, Claudia: ex ea & Eutropio nobilissimo gentis Dardanæ viro Constantius Cæsar est genitus. Fuerunt etiam sorores, quarum vna Constantina nomine, nupta tribuno Assyriorum, in primis annis defecit. De auis nobis parum cognitum. Varia enim plerique prodiderunt. Ipse Claudius insignis morum grauitate, insignis vita singulari & vnica castimonia, vini parcus, ad cibum promptus, statura procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis vsqueadeo fortibus vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Fecerat hoc etiam adolescens in militia, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus ei qui non balteum sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes vno pugno excussit. Quæ res indulgentiam me-

Rom. orbis fuit indignus, morbo extinguitur.

Quintillus, immaturo fato sublatus. Virtutē vitia ferre nequeunt.

13

Claudij genus & familia.

Mores probati.

Statura.

Robur mirandum.

A Decio Imperatore verbo & re ipsa prædicatum.

ruit pudore vindictæ: siquidem tunc Decius Imperator, quo præsente fuerat perpetratum, & virtutem & verecundiam Claudij publice prædicauit: donatúmque armillis & torquibus, a militum congressu facessere præcepit, nequid atrocius quam luctamen exigit faceret. Ipsi Claudio liberi nulli fuerunt: Quintillus duos reliquit: Crispus (vt diximus) filiam.

Iudicia principum, de Claudio antequam imperio potitus esset.

14 5 NVNC ad iudicia principum veniamus, quæ de illo à diuersis edita sunt: & eatenus quidem vt appareret quandoque Claudium Imperatorem futurum. Epistola Valeriani ad Zosimionem procuratorem Syriæ. *Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus, virum deuotissimis quibusque ac fortissimis veterum præferendum. Huic salarium de nostro priuato ærario dabis annuos frumenti modios tria millia, hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, ceræ pondo centum quinquaginta, fœni, paleæ, aceti, oleris, herbarum, quantum satis est, pellium tentoriarum decurias triginta, mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas nouem: argenti in opere annua pondo quinquaginta, philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta, & in strenis quadraginta septem, & trientes centum sexaginta. Item in caucos & scyphos pondo vndecim: item in caucos & scyphos & zuma pondo vndecim. Tunicas russas militares annuas, sagochlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cum acu Cypream vnam. Balteum argenteum inauratum vnum, annulum bigemmeum vncialem, brachialem vnum vnciarum septem. Torquem libralem vnum, cassidem inauratam vnam. Scuta chrysographata duo, loricam vnam, quam refundat. Lanceas Herculeanas duas, aclydes duas, falces duas, falces fœnarias quatuor. Cocum quem refundat, vnum: mulionē, quem refundat, vnum.*

Valeriani iudicium.

Mulier

Mulieres speciosas ex captiuis duas. Albam subsericam vnam cum purpura succubitana: subarmale vnum cum purpura Maura. Notarium, quem refundat, vnum: structorem, quem refundat, vnum. Accubitalium Cypriorum paria duo. Interulas, puras: togam, quam refundat, vnam. Latum clauum, quem refundat, vnum. Venatores qui obsequantur, duos: carpentarium vnum. Curam prætorii vnum. Aquarium vnum. Piscatorem vnum. Dulciarium vnum. Ligni quotidiani pondo mille, si est copia: sin minus, quantum fuerit, & vbi fuerit: coctilium quotidiana batilla quatuor. Balneatorem vnum, & ad balneas ligna: sin minus, lauetur in publico. Iam cætera quæ propter minutias suas scribi nequeunt, pro moderatione præstabis, sed ita vt nihil adderetur. Et si alicubi aliquid defuerit, non pretium, nec in minimo exigatur. Hæc autem omnia idcirco specialiter non quasi tribuno, sed quasi duci detuli, quia vir talis est vt ei plura etiam deferenda sint. Item ex epistola eiusdem alia inter cætera ad Ablauium Murænam præfectum prætorij. *Desine autem conqueri quòd adhuc Claudius est tribunus, nec exercitus ducem loco accipit: vnde etiam senatum & populum conqueri iactabas. dux factus est, & dux totius Illyrici. habet in potestatem Thracias, Mæsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus: vir ille summus nostro quoque iudicio speret consulatum, si eius animo accommodum est, quando voluerit, accipiat prætorianam, accipiat præfecturam. Sanè scias tantum ei à nobis decretum salarii quantum habet Aegypti præfectura: tantum vestium quantum proconsulatui Africano detulimus: tantum argenti quantum accipit curator Illyrici Metatius: tantum ministeriorum quantum nos ipsi nobis per singulas quasque decernimus ciuitates: vt intelligant omnes quæ sit nostra de viro tali sententia.* Item epistola Decij de eodem Claudio, *Decius Messalæ præsidi Achaiæ salutem.* inter cætera, *Tribunum verò Claudium, optimum iuuenem, fortissimum militem, constantissimum ciuem, castris, senatui & reip. necessarium, in Thermopylas ire præcepimus: mandata eidem*

Aliud eiusdem Valeriani iudicium.

Iudicium Decij.

cura Peloponnensium, scientes neminem melius omnia quæ iniungimus, esse curaturum. Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex cataphractariis centum, ex equitibus centum & sexaginta, ex sagittariis Creticis sexaginta, ex tyronibus bene armatos mille. Nam bene illi noui creduntur exercitus. Neque enim illo quisquam deuotior, fortior, grauior inuenitur. Item epistola Gallieni, quum nuntiatum esset per frumentarios Claudium irasci quòd ille mollius viueret, *Nihil me grauius accepit quam quòd notoria tua intimasti, Claudium parentem amicúmque nostrum insinuatis sibi falsis plerisque grauiter irasci. Quæso igitur, mi Venuste, si mihi fidem exhibes, vt eum facias à Grato & Heremiano placari, nescientibus hoc militibus Dacisianis, qui iam sæuiunt, ne grauiter ferant. Ipse ad eum dona misi: quæ vt libenter accipiat tu facias. Curandum præterea est ne me hoc scire intelligat, ac sibi succensere iudicet, & pro necessitate vltimum consilium capiat. Misi autem ad eum pateras gemmatas trilibres duas. Scyphos aureos, gemmatos trilibres duos: discum corymbiatum argenteum librarum viginti. Lancem argenteam pampinatam librarum triginta. Patinam argenteam hederatam librarum viginti & trium. Boletare halieuticum argenteum librarum XX. Vrceos duos auro inclusos, argenteos librarum sex, & in vasis minoribus argenti libras XXV. Calices Aegyptios, operísque diuersi, decem. Chlamydes veri luminis limbatas duas. Vestes diuersas XVI. Albam subsericam paragaudem triuncem vnam, Zanchas de nostris Parthicis paria tria. Singiliones Dalmatenses decem. Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam. Penulam Illyricianam vnam. Bardocucullum vnum. Cucutia villosa duo. Oraria sarabadenia quatuor. Aureos Valerianos CL. Trientes Saloninianos CCC.* Habuit & senatus iudicia priùsquam ad imperium perueniret ingentia. Nam quum esset nuntiatum illum cum Macriano fortiter contra gentes in Illyrico dimicasse, acclamauit senatus, *Claudi dux fortissime, habeas virtutibus tuis, deuotioni tuæ*

Iudicium Gallieni.

Iudicia senatus.

tua. Claudio statuam omnes dicamus. Claudium consulem omnes cupimus. Qui amat rempublicam, sic agit: qui amat principes, sic agit. Antiqui milites sic egerunt. Felicem te Claudi iudicio principum, felicem te virtutibus tuis, consulem te, te præfectum. Viuas Valerie, ameris à principe. Longum est tam multa quàm meruit vir ille perscribere: vnum tamen tacere non debeo, quòd illum & senatus & populus, ante imperium & in imperio & post imperium sic dilexit, vt satis constet, neque Trajanum, neque Antoninos, neque quenquam alium principem sic amatum.

Claudij, & boni cuiusq. principis, laus egregia

SEXTI AVRELII VICTORIS

Claudius.

Ex lib. de Cæsaribus.

CLAVDII Imperium milites, quos ferè contra ingenium perditæ res subigunt rectà consulere, vbi afflicta omnia perspexere, auidè approbant, extolluntque, viri laborum patientis, ac prorsus dediti reipublicæ. Quippe vt longo interuallo Deciorum morem renouauerit. Nam cùm pellere Gotthos cuperet, quos diuturnitas nimis validos, ac prope incolas effecerat, proditum ex libris Sibyllinis est, primum ordinis amplissimi victoriæ vouendum. Cúmque is qui esse videbatur, semet obtulisset, sibi potius id muneris competere ostendit, qui reuera Senatus atque omnium Princeps erat. Ita nullo exercitus detrimento fusi Barbari summotique, postquam Imperator vitam Reipu-

blicæ dono dedit. Adeo bonis salus ciuium ac longa sui memoria cariora sunt: quę non glorię modo, verum etiam ratione quadam posterorum felicitati proficiunt.

Ex epitome. CLAVDIVS imperauit annis duobus. Hunc plerique putant Gordiano satum, dum adolescens à muliere matura instituer etur ad vxorem. Hic Claudius Gallieni morientis sententia Imperator designatus: ad quem Ticini positum per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat. extinctóque à suis Aureolo, receptis legionibus, aduersus aciem Alemannorum, haud procul a lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, vt ægrè pars dimidia superfuerit. His diebus Victorinus regnum cœpit. Claudius verò, cùm ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset sententiæ in senatu dicendæ primi morte remedium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat, se offerente, ipse vitam suam, haud passus responsa frustrari dono Reipublicæ dedit, præfatus neminem tanti ordinis primas habere nisi ipsum Imperatorem. Ea res sic erat cunctis grata, vt non diui vocabulum modo, sed ex auro statuam prope ipsum Iouis simulacrum, atque in curia imaginem auream proceres sacrauerint. Huic successit frater eius Quintillus. Is paucis diebus imperium tenens, interemptus est.

ZOSIMI
Aurelianus.

BREVIARIVM.

I *Aurelianus pacata Pannonia, Alamannis etiam Italia pulsis, senatores nonnullos ob coniurationem*

tionem morte mulctat, & Romam muris cingere aggreditur.

2 Bellum suscipit aduersus Palmyrenos, quorum reginam Zenobiam & exercitum fugat, Antiochiámq; se deserere cogit.

3 Antiochia recepta & prudenter seruata, Palmyrenos iterum vincit & fugat, quos deinde ingenti prælio commisso atterit.

4 Zenobia Emisenam relinquens, Palmyræ se recipit, vbi ab Aurelio obsidetur. Ex fuga quam soler- ter arripuerat, celeriter retracta ad Aurelianum adducitur. Palmyreni deditionem faciunt, & clementer a victore excipiuntur, belli huius consiliarius præcipuus supplicio capitali ab Aureliano affectis.

5 Varia excidii Palmyrenorum præsagia à Zosimo descripta.

6 Zenobiæ & filiorum eius interitus. Palmyreni ob seditionem radicitus excinduntur. Aureliani triumphus, & mors cruenta.

AVRELIANVS, confirmato imperio, quum Roma mouisset, Aquileiam contendit, & inde Pannonicas ad nationes accessit, quas incursionem Scytharum propemodum experturas cognouerat. Quúmque misisset ad eos, exploratores qui nunciarent vt annonas & iumenta, & quicquid aliud hostibus vsui futurum esset, in oppida conueherent: hac ratione famem, quæ hostes vrgebat, adaugere cogitabat. Posteaquam barbari flumen transiecissent, & in Pannonia prælio ancipiti dimicatum esset: nox interueniens victoriam vtrisque dubiam reddidit. Eadem nocte barbari, transiecto flumine, simulac illuxisset, de pace legatis missis agebant. Imperator, intellecto Alamannos cum remotioribus & finitimis sibi nationibus Italiam incursionibus vexare decreuisse, non abs re de Roma vicinisque vrbi locis magis sollicitus, satis

1 Aurelianus princeps bellicosus & felix, celeri prudentia longam gloriam obtinet

Imminenti periculo occurrit.

Quo extincto, maius & periculosius incen-

dium siue mora extinguere conatur.

magno Pannoniæ relicto præsidio, versus Italiam perrexit, & in extremis ad Istrum partibus conserto prælio, multa barbarorum millia deleuit. Interim & illa Romæ gesta sunt, vbi quidam ex senatu velut insidiarum principi structarum participes, accusati fuerunt, & morte multati. Tunc & Roma muris cincta est, quibus antea carebat, eáque res ab Aureliano cepta, Probo imperante perfecta fuit. Eodem tempore venerunt in suspicionem rerum nouarum Epitimius & Vrbanus & Domitianus: statimque deprehensi, pœnas dederunt.

Præcipuè verò excitatas domi flammas tempestiuè suffocat.

Compositis rebus domesticis exteris manum admouet.

2 REBVS per Italiam & Pannoniam in hunc modum administratis, expeditionem contra Palmyrenos Imperator suscipere cogitabat, qui iam in potestate sua nationes Aegyptias, & vniuersum orientem, vsque ad Ancyram Galatiæ, tenebant: ipsámque porro Bithyniam Chalcedonem vsque sibi vindicaturi fuerant, nisi gentes illæ, fama traditi Aureliano imperij ad se perlata, Palmyrenorum dominatum excussissent. Itaque principe cum exercitu progresso, Ancyra Romanorum in ditionem venit, & Tyana, & vrbes deinceps omnes Antiochiam vsque: vbi reperta Zenobia, magnis instructæ copiis & ipse paratus ad pugnam, ceu par erat occurrebat. Videns autem Palmyrenos equites armatura graui eadémque tuta fretos, equitandi quoque peritia longè suos excellere: pedites trans Orontem fluuium alicubi separatim constituit, & Romanis equitibus ex composito præcepit ne recta cum recenti & viribus integro Palmyrenorum equitatu manum consererent, sed exspectato illius impetu, fugam se capessere simularent, idque tantisper facerent, donec & ipsos & equos ob æstum pariter & grauitatem armorum, à persequendo desistere cernerent. Hoc quum factum esset, ac Imperatoris equites id obseruassent quod imperatum fuerat, vbi

Potentiores hostes adoritur.

Vim illorũ prudenter expendit.

Eámq. non alia vi sed arte reddit inutilem.

prima

primùm fatigatos hostes, & hactenus incumbentes, lassis equis immobiles conspexerunt, equis a cursu reuocatis, eos adorti sunt, & sponte sua delabentes ex equis obtriuerunt. Itaque promiscua cædes erat, quum alij gladiis, alij partim a suis, partim hostium equis interimerentur. Antiochiam vero ingressis quotquot euadere fuga potuerant, Zabdas Zenobiæ militum magister metuens ne forte Antiocheni ciues aduersi prælij fama percepta suos inuaderent: repertum hominem semicanum, qui vultum speciémque principis quodammodo referre videretur, & tali amictum habitu quali præliantem Aurelianum visum fuisse vero esset simile, per vrbem mediam ducit, quasi qui viuum Imperatorem cepisset. Atque hoc commento deceptis Antiochenis, & ipse noctu cum exercitu reliquo ex vrbe se subduxit, Zenobiáque secum sumpta, Emisam discessit.

Ac laudabili strategemate victoria potitur.

Hostis autē inani cautelo sibi consulens, ruinam imminentem ad exiguū dierū spatium protendit.

3 IMPERATOR in animo habens, quum primùm illuxisset, reuocatis ad se pedestribus copiis, vtrinque fusos & fugatos hostes adgredi, cognita Zenobiæ fuga, ingressus est Antiochiam, ciuibus eum perlubenter excipientibus. Quúmque comperisset complures vrbem deseruisse, metu ne quod malum incurrerent, vt qui Zenobiæ partibus adhęsissent: edictis ad quæuis loca missis, profugos domum reuocabat, potius ad coactionem & necessitatem, quàm voluntatem & arbitrium animi, relatis iis quæ accidissent. Quod conspicati exsules, concursu ad vrbem facto, comiter ab Imperatore tractati sunt: qui constitutis vrbanis rebus, Emisam copias duxit. Quúmque partem quandam Palmyrenorum collem occupasse comperisset, imminentem suburbio Daphnes, quem propter accliuitatem loci transitum aduersariorum impedituram existimarent, milites hortatus est vt confertis clypeis & densa phalange locum in sublimem succe-

Victor Aurelianus occasionem festiua manu arripit.

Prudenter nouos subitos reuocat, & clementia vtens in officio retinet.

Hostes pervicaces & superbos fortiter debellat.

dentes, tela lapidésque, si qui fortè coniicerentur, ipsa densitate phalangis repellerent. quos quidem ad id quod imperauerat cupidos & alacres habebat. Vbi, ceu iussi fuerant, accliuem locum subiissent, iámq; rebus omnibus pares aduersariis essent: mox in fugam illi coniecti sunt, quorum alij per præcipitia lapsi discerpebantur, alij cædebantur ab insequentibus tam his quam reliquis, quotquot itidem in collem istum euaserant. Post partam victoriam

Horũ exercitum alacriter & inuicto animo persequitur.

securè transeuntes, * * læti eodem modo principe hoc iter conficiente: quem Apamea & Larissa & Arethusa excipiebant. Vbi Palmyrenorum exercitum ante Emisam in campo collectum vidisset, cuius esset numerus hominum ad septuaginta millia, de Palmyrenis ipsis, & aliis, quotquot hac in expeditione cum eis se coniunxerant: castra & ipse metabatur aduersus hostes, cum equitatu Dalmatico, & Mysis, & Pannoniis: & præterea Noricis atque

Potenti & bellicoso exercitu comitatus.

Rhætis, quæ legiones Celticæ sunt: Præter hos erant & prætoriæ cohortis omnium selectissimi ex fama virtutis, omniúmque prçstantissimi viri. Cum his & Maurorum equitatus instructus erat, & ex Asia copiæ Tyanenses, & Mesopotamicæ, & Syriacæ, & Phœnissæ, & Palestinæ, fortissimi dubio procul ordines. Et qui venerant e Palæstina, præter arma cætera, clauas atque fustes secum afferebant. E-

In acie sapienter prospicit quid agendum.

xercitibus inter se congressis, visus est equitatus Romanus ex aliqua parte deflectere, ne multitudine Palmyrenis equitibus nostros superantibus, & exercitum Romanum circumdantibus, præter spem ab eis ille tacite cingeretur. Palmyrenis autem equitibus eos persequentibus qui pedem retro tulerant, & in hunc modum ordines suos deserentibus, contrariam in partem Romanis equitibus, quod facere decreuerant, cessit. Nam reapse ab hostibus vrgebantur, quibus longè inferiores erant. quúmque plu

rimi

timi etiam caderent, tandem accidit vt vniuersa pugna peditum virtute niteretur. Etenim quum illi Palmyrenorum aciem ruptam conspexissent ex eo quòd equites illorum in hoste persequendo toti essent, conuersis ordinibus confusos ac dispersos adoriebantur. Secundum hæc ingens hominum cædes subsequi, illis quidem aduersarios consuetis armis petentibus, Palæstinis verò clauis & fustibus ictus inferentibus iis qui ferreis & æreis loricis se muniuerant: id quod ex aliqua parte non paruam victoriæ caussam præbuit, hostibus ad insolitos clauarum ictus adtonitis. Quum autem Palmyreni iam totis viribus fugerent, ac inter fugiendum seipsos obtererent, & ab hostibus interficerentur: tum verò campus omnis hominum equorúmque cadaueribus compleri, & alij, quotquot effugere poterant, in vrbem sese recipere.

Et peditum suorum opera feliciter vtitur.

Nec vlla sunt arma inutilia, modò à peritis & strenuis militibus tractentur.

Fuga turpissima clades horrenda.

4 ZENOBIA non abs re, quòd victa fuisset, ingenti mœrore adfecta, quid agendum esset, sedulo deliberabat: denique communi iudicio visum est omnibus, spem quidem rerum Emisenarum abiiciendam esse, propterea quòd ipsi Emiseni alienis in eam animis, Romanorum partes sequerentur: occupandam verò Palmyram, & oppido munito salute securitatéque sua credita, de summa rerum in otio maiore dispiciendum. Dictum, factum: concurrebant omnes ad id quod decretum fuerat. Aurelianus autem, fuga Zenobiæ cognita, Emisam ingrediebatur, ciuibus alacriter eum excipientibus. Potitus opibus quas Zenobia secum auferre nequiuerat, statim cum exercitu Palmyram contendit. Quum eò venisset, & oppidum castris vndique cinxisset, in obsidione perstabat, vicinis gentibus exercitui commeatum suppeditantibus. Interim Palmyreni ridiculis principem iocis insectabātur, quasi fieri non posset vt oppidum caperetur. Quúmque

Cladis perpessæ effectus, mæror ingens & praeceps consilium.

Prudens autem victor, inchoatum gloriæ opus diligenter persequitur.

Patienti silentio stultam victorũ pertinaciam domat

fœda verba quidam in ipſum Imperatorem quoque iactitaret, adſtans ei quidam natione Perſa, *Si iubes*, inquit, *hominem maledicum iam mortuum conſpicies.* Quum adnuiſſet Imperator, Perſa quibuſdam ante ſe conſtitutis, per quos ipſe tegeretur, arcum tendit, & aptatum ei telum emittit: quod defixum in hominem extra muri pinnam conſpectantem, & contumelias iſtas adhuc effutientem, illum de muro deiecit, & militibus ac Imperatori mortuum oſtendit. Quum obſeſſi reſiſterent, qui hoſtes ob inopiam commeatus obſidionem ſoluturos ſperauerant, & propoſito ſuo conſtanter inhærentes, ſe quoque conſpicerent alimentorum penuria premi, habito conſilio ſtatuunt, ad Euphratem profugiendum eſſe, atque iſtic a Perſis quærendum auxilium, nouáſque contra Romanos res moliendas. His ita deliberatis, Zenobiam camelo feminæ impoſitam (ſunt autem illæ velociſſimæ, & ipſos equos celeritate ſuperant) ex oppido ſubducunt. Aurelianus, Zenobiæ fugam permoleſte ferens, de induſtria naturali nihil remittit, ſed confeſtim ablegat equites qui eam perſequerentur. Hi quum illam adtigiſſent iam ipſum Euphratem tranſiectura̅m, de naui receptam ad Aurelianum perducunt. Ille, propter inopinatum ſpectaculum maxima lætitia perfuſus, tamen quòd ambitioſo natura homini ad animum accidiſſet, futurum vt ob victam feminam non magnam apud poſteros gloriam inueniret: quandam animi moleſtiam ſentiebat. Palmyrenorum verò qui oppidò incluſi obſidebantur, partim hi erant animi vt oppidum periculo ſuo propugnare vellent, omnibúſque viribus bellum Romanum ſuſtinere: partim de muro geſtus ſupplices oſtendebant, & præteritorum veniam poſcebant. Quum Imperator hanc ſupplicationem accepiſſet, eóſque bono animo eſſe iuſſiſſet, extra oppidum effuſi, dona cum victim

Et peculiari quodam ſupplicio aliquoties territat.

Deinde ſolerti ſua cõſtantia ſuperbos conſilia mutare cogit.

Atque fugientem hoſtem celeriter perſequitur & feliciter è fuga retrahit.

Imbellem verò turbã, tametſi priꝰ rebellem, illæſam dimittit.

victimis adducebant. Aurelianus, honore victimis habito, donisque susceptis, illæsos dimittebat. Oppido suam in potestatem redacto, quum diuitiis eius, & supellectile reliqua & donariis potitus esset, Emisam reuersus, Zenobiam cum illis qui eam iuuerant pro tribunali stitit. Illa, causas exponens, & culpa semet eximens, multos alios in medium producebat, qui eam veluti feminam seduxissent: quorum in numero & Longinus erat, cuius exstant scripta magnam doctrinæ studiosis vtilitatem adferentia. Ei conuicto de his propter quę accusabatur, statim pœnam mortis Imperator statuit: quam adeo fortiter Longinus pertulit, vt illos etiam qui hanc calamitatem eius indigno ferebant animo, consolaretur. Itidem alij quos Zenobia detulerat, suppliciis adficiebantur.

Præcipuis belli autoribus & consiliariis è medio sublatis.

5 FVERIT autem pretium operæ, quæ ante Palmyrenorum euersionem accidere, narrari: licet hanc historiam velut in transcursu texere videar, propter institutum operis nostri, quod in proœmio declarauimus. Quum enim Polybius exposuerit quo pacto imperium perexiguo tempore Romani adquisiuerint, ego quo pacto temporis non magno spatio suis delictis idem perdiderint, indicaturus sum. Sed hæc, vbi ad eam historiæ partem accessero. Palmyrenis ergo potitis imperij Romani non exigua parte, sicuti recensuimus, multa diuinitus denuntiata sunt, quæ postea sequutam euersionem eis portenderent. Et quænam illa fuerint, dicam. Seleuciæ, quod est oppidum Ciliciæ, templum Apollinis erat, quem Sarpedonium vocant, & in eo oraculum. De hoc quidem deo quæ perhibentur, & quod omnibus ab illuuie locustarum vexatis Seleuciadas dare solitus fuerit, (eæ sunt aues quæ in locis propter fanum hoc sitis degunt) & cum petentibus eas dimittere, quæ cum locustis circumuolitantes, & ro-

Zosimi digressio, agens de præsagiis excidij Palmyrenorum.

Prouinciarū labes & cladesque populorū sæpius noua quadam ratione à summo rerum arbitro prænuntiatur: in indicium principibus & populis.

ſtris eas capientes, infinitam earum multitudinem ſtatim momento quaſi temporis abſumebant,& homines ab illarum clade liberabant: hæc igitur eius temporis hominum felicitati relinquo, quum ætas noſtra diuinum illud beneficium repudiauerit. Cæterùm Palmyrenis oraculum conſulentibus an orientis imperium habituri eſſent, in hęc verba Deus reſpondit,

Dicuntur hæc à Zoſimo, homine ſuperſtitionibus ethnicis addicto.

Fallaces prauique domo diſcedite noſtra,
Qui nimis vſque graues diis immortalibus eſtis.

Itidem quibuſdam conſulentibus de Aureliani aduerſus Palmyrenos expeditione, Deus oraculum hoc edidit,

Oracula ſatanica ambigua.

Falco præit ſacro luctu compluribus vnus,
Quæ tamen haud ceſſant hoſtem exhorrere, columbis.

Præterea quid aliud tale Palmyrenis accidit. Aphaca locus eſt inter Heliopolim & Biblum, vbi fanum eſt Veneris Aphacitidis. Propter fanum iſtud lacus quidam eſt, ciſternæ manu factæ ſimilis. Iuxta fanum & vicina loca ignis inſtar lampadis aut globi conſpicitur, quoties ſtatutis temporibus ibi conuentus habentur: qui quidem ad noſtram ætatem vſque conſpectus fuit. Ad lacum dona, quotquot ibi conueniebant, in honorem deæ ferebant, ex auro & argento facta, itémque telas lineas, & byſſinas, alteriúſque materiæ precioſioris. Ac ſi quidem illa viderentur accepta, pari cum aliis pōdere panni quoque ſubſidebant: ſin eſſent ingrata & reiicula, tum ipſas telas aquæ videre erat innatantes, tum ſiquid erat ex auro & argento, & aliis materiis, quarum eſt ea natura vt ſupra aquam ſe non attollant, ſed demergantur. Palmyreni ergo, quum tempore celebritatis, anno ante ſuum interitum proximo conueniſſent, & in honorem deæ dona partim aurea, partim argentea, partim textilia conieciſſent in lacum, eáque omnia demergerentur in profundum:

Præſagia obſcura, quæ miſeros ethnicorum animos torquent.

Palmyreni à ſua Dea reiecti.

anno

anno proximo, celebritatis eiusdem tempore, visa sunt in superficiem euecta. qua re dea quid futurum esset significabat. Ac numinis quidem erga Romanos beneuolentia, quamdiu sacræ cæremoniæ seruarentur, huiusmodi fuit. Verùm posteaquam ad ea tempora peruenero, quibus temporibus Romanum imperium paulatim ad barbariam quamdam redactum, exiguam ad magnitudinem, eámque planè labefactatam, decreuit: tum verò etiam caussas eius infelicitatis exponam, & oracula pro viribus adiiciam, quibus oraculis ea quæ contigere sunt indicata.

Iudicium hominis ethnici. At impietate & iniustitia respub. florentissima tandem euertuntur.

6 INTERIM tempus est vt eò reuertar vnde digressus sum, ne seriem historiæ imperfectam relinquere videar. Igitur Aureliano versus Europam mouente, Zenobiámque cum filio, & cæteris omnibus qui rebellionis participes fuerant, secum ducente: Zenobiam quidem ipsam aiunt, vel morbo correptam, vel à cibis abstinentem, decessisse: reliquos autem, excepto Zenobiæ filio, in medio interiecti Chalcedoni Byzantióque freti submersos. Eodem Aureliano iter Europęum persequente, nuntius adlatus est huiusmodi, quosdam scilicet relictos apud Palmyram, nanctos Apsæum, qui & præteritorum auctor eis exstiterat, tentare Marcellinum, Mesopotamiæ ab Imperatore præfectum, cui & orientis administratio credita fuerat, vt imperatoria veste se circumdari pateretur. Illo, deliberandi causa quid esset agendum, rem protrahente, consimili modo rursus ac sæpius quidem ei molesti erant. Verùm ipse responsis ambiguis vtens, quid facere constituisset, Aureliano significabat. Palmyreni autem, quum Antiocho vestem purpuream iniecissent, apud Palmyram se continebant. His auditis, mox Aurelianus, vt instructus erat, orientem versus proficiscitur. Quum Antiochiam venisset, ac populo per-

Zenobiæ & filiorum eius fata acerba.

Palmyrenorum deinde excidium, seditione & malis artibus populi viam fatis id est suæ cladi aperiunt.

Vigilans princeps seditiosos opprimit.

agendis ludis equestribus intento semet exhiberet, omnibus ob inopinatum eius aduentum perterritis, Palmyram copias duxit. quúmque sine prælio cepisset oppidum, & euertisset, Antiochum propter humilitatem ne supplicio quidem dignum arbitratus, dimisit. Alexandrinis etiam, qui seditiones excitauerant, & ad defectionem spectauerant, celeriter in ordinem redactis, cum triumpho Romam ingressus, maximo populi senatúsque concursu exceptus est. Tunc & templum Solis magnifice constructum, donariis quæ Palmyra secum aduexerat, collocatis in eodem Solis & Beli simulacris, ornauit. His rebus gestis, Tetricum & alios perduelles nullo labore victos pro dignitate puniuit. Itidem nouam monetam publice distribuit, quum plebem quicquid haberet adulterinæ monetæ, tradere iussisset: commerciis hoc modo ab omni confusione vindicatis. Præter hæc & panum honorario munere populum Romanum donauit: omnibúsque rebus constitutis, Roma discessit. Quum apud Perinthum hæreret, quæ mutato nomine iam Heraclea dicitur, huiusmodi aduersus eum structæ sunt insidiæ. Erat quidam in aula cui nomen esset Eros, ab Imperatore ad efferenda foras responsa sua destinatus. Huic delicti cuiusdam causa minatus Imperator, metum iniecit: quo perculsus, ne forte minas hasce res ipsa comitaretur, cum satellitibus quibusdam, quos audacissimos cognouerat, re communicata, monstratisque litteris quas ad formam litterarum Imperatoris effinxerat, (quippe iamdudum ad hanc imitationem se studiose condocefecerat) mortem imminere sibi suspicantibus (id enim de litteris colligi certis argumentis poterat) persuadet vt Imperatori cædem intentarent. Itaque quum principem obseruassent egressum ex vrbe sine satis magna custodia corporis, in eum irruût, & omnes strictis gladiis hominem

Et hostibus in ordinem redactis triumphat.

Perduelles deinde facile victos punit.

Pacis artes restituit.

Et tandem, vt sunt res humanæ, qui armorum mole non oppressus est, suorum artibus perit, & in portu facit naufragium.

Prudentia, non est vbique tuta.

minem interficiunt. Sepultus est ibidem ab exercitu magnificè, rerum gestarum periculorúmque caussa, quæ pro republica exanclauerat.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

Diuus Aurelianus.

BREVIARIVM.

1 *Flauius Vopiscus, iussu Iunii Tiberiani, vitam Aureliani scribere adgreditur.*

2 *Aureliani stemma, ingenium, imperii auspicia & omina: priuati item egregia facinora.*

3 *Quàm seuerus fuerit disciplinæ militaris obseruator, facto & dicto ostenditur. Epistola, laudes illius continens, à Valeriano scripta.*

4 *Aureliani functiones publicæ, honores, consulatus, varia præmia.*

5 *Imperium qua ratione adeptus sit. Sueuos, Sarmatas, Marcomannos debellat. De librorum Sibyllinorum inspectione Senatusconsultum, & epistola Aureliani.*

6 *Quomodo imperium administrauerit. Reipublicæ statu ordinato contra Zenobiam mouet, & in itinere multa magnáque bellorum genera conficit. Eius facta quædam & dicta memoratu digna.*

7 *Belli aduersus Zenobiam gesti descriptio & euentus.*

8 *In Europam reuersus Carpos affligit, Palmyram rebellem solo æquat. firmum in Aegypto & Tetricum in Galliis coercet. Triumphum agit speciosissimum.*

9 *Vindelicos obsidione liberat, Persis bellum indi-*

Vigilans princeps seditiosos opprimit.

agendis ludis equestribus intento semet exhiberet, omnibus ob inopinatum eius aduentum perterritis, Palmyram copias duxit. quúmque sine prælio cepisset oppidum, & euertisset, Antiochum propter humilitatem ne supplicio quidem dignum arbitratus, dimisit. Alexandrinis etiam, qui seditiones excitauerant, & ad defectionem spectauerant, celeriter in ordinem redactis, cum triumpho Romam ingressus, maximo populi senatúsque concursu exceptus est. Tunc & templum Solis magnifice constructum, donariis quæ Palmyra secum aduexerat, collocatis in eodem Solis & Beli simulacris, ornauit. His rebus gestis, Tetricum & alios perduelles nullo labore victos pro dignitate puniuit. Itidem nouam monetam publice distribuit, quum plebem quicquid haberet adulterinæ monetæ, tradere iussisset: commerciis hoc modo ab omni confusione vindicatis. Præter hæc & panum honorario munere populum Romanum donauit: omnibúsque rebus constitutis, Roma discessit. Quum apud Perinthum hæreret, quæ mutato nomine iam Heraclea dicitur, huiusmodi aduersus eum structæ sunt insidiæ. Erat quidam in aula cui nomen esset Eros, ab Imperatore ad efferenda foras responsa sua destinatus. Huic delicti cuiusdam causa minatus Imperator, metum iniecit: quo perculsus, ne forte minas hasce res ipsa comitaretur, cum satellitibus quibusdam, quos audacissimos cognouerat, re communicata, monstratísque litteris quas ad formam litterarum Imperatoris effinxerat, (quippe iamdudum ad hanc imitationem se studiose condocefecerat) mortem imminere sibi suspicantibus (id enim de litteris colligi certis argumentis poterat) persuadet vt Imperatori cædem intentarent. Itaque quum principem obseruassent egressum ex vrbe sine satis magna custodia corporis, in eum irruūt, & omnes strictis gladiis hominem

Et hostibus in ordinem redactis triumphat.

Perduelles deinde facilè victos punit.

Pacis artes restituit.

Et tandem, vt sunt res humanæ, qui armorū mole non oppressus est, suorum artibus perit, & in portu facit naufragium.

Prudentia, non est vbique tuta.

minem interficiunt. Sepultus est ibidem ab exercitu magnificè; rerum gestarum periculorúmque caussa, quæ pro republica exanclauerat.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

Diuus Aurelianus.

BREVIARIVM.

1 Flauius Vopiscus, iussu Iunii Tiberiani, vitam Aureliani scribere adgreditur.

2 Aureliani stemma, ingenium, imperii auspicia & omina: priuati item egregia facinora.

3 Quàm seuerus fuerit disciplinæ militaris obseruator, facto & dicto ostenditur. Epistola, laudes illius continens, à Valeriano scripta.

4 Aureliani functiones publicæ, honores, consulatus, varia præmia.

5 Imperium qua ratione adeptus sit. Sueuos, Sarmatas, Marcomannos debellat. De librorum Sibyllinorum inspectione Senatusconsultum, & epistola Aureliani.

6 Quomodo imperium administrauerit. Reipublicę statu ordinato contra Zenobiam mouet, & in itinere multa magnáque bellorum genera conficit. Eius facta quædam & dicta memoratu digna.

7 Belli aduersus Zenobiam gesti descriptio & euentus.

8 In Europam reuersus Carpos affligit, Palmyram rebellem solo ęquat. firmum in Aegypto & Tetricum in Galliis coercet. Triumphum agit speciosissimum.

9 Vindelicos obsidione liberat, Persis bellum indi-

ciι : ſed in itinere Mneſthei inſidiis interemptus, à ſenatu populóque Rom. deſideratus eſt.

10 *Acta quædam Aureliani, nempe bellum Monetariorum, beneficentia erga Tetricum patrem & filium, ædificia publica, animaduerſiones ſeueræ, coloniæ, crudelitas. De Aureliani ſucceſſore eligendo litteræ exercitus, & in Senatu Taciti ſententia.*

11 *De malis & bonis Imperatoribus Fl. Vopiſci diſſertatio, ad Aurelianum accommodata.*

12 *Aureliani vectigal, thermæ, forum, virtutes, ſeueritas erga domeſticos, priuatæ vitæ ratio.*

1 *Aureliani vitæ ſcribendæ occaſio.*

HILARIBVS, quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus & dici, impletis ſolennibus, vehiculo ſuo me & iudiciali carpento præf. vrbis vir illuſtris ac præfata reuerentia nominandus, Iunius Tiberianus accepit.

Author.

Ibi quum animus à cauſis atque à negotiis publicis ſolutus ac liber vacaret, ſermonem multum à palatio vſque ad hortos Valerianos inſtituit: & in ipſo præcipuè de vita principum. Quúmque ad templum Solis veniſſemus, ab Aureliano principe conſecratum, quòd ipſe nonnihilum ex eius origine ſanguinem duceret, quæſiuit à me quis vitam eius in literas retuliſſet. Cui ego quum reſpondiſſem neminem a me Latinorum, Græcorum aliquos lectitatos, dolorem gemitus ſui vir ſanctus per hæc verba profudit,

Ratio.

Ergo Therſitem, Sinonem, cæteráque illa prodigia vetuſtatis, & nos bene ſcimus, & poſteri frequentabunt: diuum Aurelianum, clariſſimum principem, ſeueriſſimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis eſt reſtitutus, poſteri neſcient? Deus auertat hanc amentiam. Et tamen, ſi bene noui, ephemeridas illius viri ſcriptas habemus, etiam bella charactere hiſtorico digeſta, quæ velim accipias, & per ordinem ſcribas, additis quæ ad vitam pertinent.

Inſtrumēta.

Quæ omnia ex libris linteis, in quibus ipſe quotidiana

tidiana sua scribi praeceperat, pro tua sedulitate condisces. Curabo autem vt tibi ex Vlpia bibliotheca & libri lintei proferantur. Tu velim Aurelianum ita vt est, quatenus potes, in literas mittas. Parui ipse quidem praeceptis: accepi libros Graecos, & omnia mihi necessaria in manum sumpsi: ex quibus & quę digna erant memoratu, in vnum libellum contuli. Tu velim meum munus boni consulas. Et si hoc contentus non fueris, lectites Graecos, linteos etiam libros requiras, quos Vlpia tibi bibliotheca, quum volueris, ministrabit. Et quoniam sermo nobis de Trebellio Pollione, qui à duobus Philippis vsque ad diuum Claudium, & eius fratrem Quintillum, Imperatores tam claros quàm obscuros memoriae prodidit, in eodem vehiculo fuit, afferente Tiberiano quòd Pollio multa incuriose, multa breuiter prodidisset: me contrà dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodente quinetiam in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuincerentur: pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens iucundam, *Praeterea, scribe,* inquit, *vt libet: securus, quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos historicae eloquentiae miramur autores.*

Scriptori

De Tr. Pollione, Iunij Tiberiani iudicium.

De aliis itē grauissimis historicis.

2 A c ne multa & friuola procemiis odiosis intexam, diuus Aurelianus, ortus, vt plures loquuntur, Sirmij, familia obscuriore: vt non nulli, Dacia ripensi. Ego autem legisse me memini autorem qui eum Moesia genitum praedicaret. Et euenit quidem vt de eorum virorum genitali solo nesciatur qui humiliori loco nati plerique solum genitale confingunt, vt dent posteritati de locorum splendore fulgorem. *Nec tamen magnorum principum virtutibus summa sciendi est, vbi quisque sit genitus, sed qualis in republ. fuerit.* An Platonem magis commendat quòd Athe-

Aurelianus familia obscuriore ortus, seipsum factis egregiis nobilitat.

Cõfirmatio, à praeclara gentium & illustribus exemplis.

nienſis fuerit, quàm quòd vnicum ſapientiæ munus illuxerit? An eo minores inueniuntur Ariſtoteles Stagirita, Eleatéſque Zenon, aut Anacharſis Scytha, quòd in minimis nati ſunt viculis, quum illos ad cælum omnis philoſophiæ virtus extulerit? Atque vt ad ordinem redeam: Aurelianus modicis ortus parentibus, à prima ætate ingenio viuaciſſimus, viribus clarus, nullum vnquam diem prætermiſit, quanuis feſtum, quanuis vacantem, quo non ſe pilo & ſagittis cæteriſque armorum exerceret officiis. Matrem quidem eius Callicrates Tyrius, Græcorum longe doctiſſimus ſcriptor, ſacerdotem templi Solis, in eo vico in quo habitabant parentes, fuiſſe dicit. Habuiſſe quinetiam nonnihilum diuinationis, adeo vt aliquando marito ſuo iurgans ingeſſerit, quum eius & ſtultitiam increparet & vilitatem, *En Imperatoris patrem.* Ex quo conſtat illam mulierem ſciſſe fatalia. Idem dicit, auſpicia imperij Aureliano hæc fuiſſe: Primum, pueri eius peluem ſerpentem plerunque cinxiſſe, neque vnquam occidi potuiſſe. Poſtremò ipſam matrem quæ hoc viderat, ſerpentem quaſi familiarem occidere noluiſſe. His accedit quòd ex palliolo purpureo quod Soli ſui temporis Imperator obtulerat, ſacerdos mulier crepundia filio feciſſe perhibetur. Addit etiam illud quòd vinctum faſciola Aurelianum aquila innoxiè de cunis leuauerit, & in aram poſuerit, quæ iuxta ſacellum fortè ſine ignibus erat. Idem autor eſt, vitulum matri eius natum miræ magnitudinis, candidum, ſed purpurantibus maculis, ita vt haberet in latere vno auem, in alio coronam. Multa ſuperflua in eodem legiſſe memini: quippe qui aſſeuerat etiam roſas in eiuſdem mulieris cohorte, nato Aureliano, exiſſe purpureas, odoris roſei, floris aurei. Fuerunt & poſtea multa omina iam militanti futuri, vt res monſtrauit, imperij. Nam ingrediente eo

Obſcura familia, clariſſimam animi indolem, & corporis robur inuictum obruere nequit.

Auſpicia imperij. Primum.

Alterum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Omina futuri imperij. Ita tempe-

Antio

Antiochiã in vehiculo, quòd præ vulnere tũc equo sedere nõ posset, ita pallium purpureum, quod in honorem eius expansum fuerat, decidit vt humeros eius tegeret. Et quum in equum transire vellet, quia inuidiosum tunc erat vehiculis in ciuitate vti, equus est ei imperatoris applicitus, cui per festinationem insedit. Sed vbi comperit, semet ad suum transtulit. Data est ei præterea, quum legatus ad Persas isset, patera qualis solet imperatoribus dari à rege Persarum, in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur in eo templo in quo mater eius fuerat sacerdos. Donatus eidem etiam elephantus præcipuus, quem ille imperatori obtulit: solúsque omnium priuatus Aurelianus elephanti dominus fuit.

Fieri solet a quissimus mũdi iudex homines ad publica munera exequẽda destinatos notis quibusdam insignire, vt postea in officio constituti attentius obseruentur.

Sed vt hæc & talia omittamus, fuit decorus, & gratia viriliter speciosus: statura procerior, neruis validissimis, vini & cibi paulo cupidior, libidinis raræ, seueritatis immensæ, disciplinæ singularis, gladij exercendi cupidus. Nam quum essent in exercitu duo Aureliani tribuni, hic, & alius qui cum Valeriano captus est, huic signum exercitus apposuerat *manu ad ferrum*, vt si forte quæreretur quis Aurelianus aliquid vel fecisset vel gessisset, suggereretur, *Aurelianus manu ad ferrum*, atque cognosceretur. Priuati huius multa extant egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiariis solus attriuit. Refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico vno die quadraginta & octo interfecisse. plurimis autem & diuersis diebus vltra nongentos quinquaginta: adeo vt etiam balistea pueri & saltatiuntulas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter salutarent, *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollauimus: Vnus homo mille, mille, mille, mille, decollauimus. Mille, mille, mille, viuat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet ne-*

Virtutes & dona tum animi tũ corporis, quæ principem decent.

Fortitudo bellica.

A pueris ipsis & vulgo decantata.

mo, quantum fudit sanguinis. Hæc video esse perfriuola: sed quia supra scriptus autor ita eadem vt sunt Latinè, suis scriptis inseruit, tacenda esse non credidi. Idem apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, quum vagarentur per totam Galliam, sic adflixit, vt trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub corona vendiderit. Vnde iterum de eo facta est cantilena, *Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus: Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.*

Alia cantilena in ore vulgi, fortitudinem militarem Aureliani prædicans.

3 HIC autem, vt suprà diximus, militibus ita timori fuit vt sub eo postea quam semel cum ingenti seueritate castrensia peccata correxit, nemo peccauerit. Solus denique omnium militem qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdémque subitò dimitteret, vt scissus ille vtrinque penderet. Quę res ingentem timorem omnibus fecit. Huius epistola militaris est ad vicarium suum data huiusmodi, *Si vis tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum, nemo exigat: annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lachrymis prouincialium, habeat: arma tersa sint: ferramenta samiata, calceamenta fortia. Vestis noua vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & annulum apponat: equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quasi seruus obsequatur: à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent: in hospitiis castè se agant. qui litem fecerit, vapulet.* Inueni nuper in Vlpia bibliotheca inter linteos libros epistolam diui Valeriani de Aureliano principe scriptam: quam ad verbum, vt decebat, inserui. *Valerianus Augustus, Antonino Gallo consuli. Culpas me familiaribus literis*

Exemplum seueritatis Aureliani, in cõseruanda disciplina militari.

Epistola autem, prorsus aurea, & quæ nostri seculi militarem confusionẽ coram Deo & hominibus grauiter perstringit atq. damnat.

teris quòd Posthumo filium meum Gallienum magis quàm Aurelian commiserim: quum vtique & seueriori & puer credendus fuerit & exercitus: nec tu id diutius indicabis, si bene scieris quantæ sit Aurelianus seueritatis. Nimius est, multus est, grauis est, & ad nostra iam non facit tempora. Testor autem omnes deos, me etiam timuisse nequid etiam erga filium meum seuerius, siquid ille fecisset, vt est natura pronus ad ludicra, sæuius cogitaret. Hæc epistola indicat quantæ fuerit seueritatis, vt illum Valerianus etiam timuisse se dicat. Eiusdem Valeriani alia est epistola quæ laudes illius continet: quam ego ex scriniis præfecturæ vrbanæ protuli. Nam illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta. Exemplum epistolæ: *Valerianus Augustus Ceionio Albino præfecto vrbi. Vellemus quidem singulis quibusque deuotissimis reipubl. viris multò maiora deferre compendia quàm eorum dignitas postulat, maximè vbi honorem vita commendat. Debet enim quid præter dignitatem pretium esse meritorum. Sed facit rigor publicus, vt accipere de prouinciarum oblationibus vltra ordinis sui gradum nemo plus possit. Aurelianum fortissimum virum ad inspicienda & ordinanda castra omnia destinauimus: cui tantum à nobis atque ab omni republica, communi totius exercitus confessione, debetur, vt digna illo vix aliqua vel nimis magna sint munera. Quid enim in illo non clarum? quid non Coruinis & Scipionibus conferendum? Ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli. Et tamen nihil præterea possum addere tanto viro ad muneris gratiam quàm patitur sobria & bene gerenda respub. Quare sinceritas tua, mi parens charissime, supradicto viro efficiet, quandiu Romæ fuerit, panes militares mundos sedecim, panes militares castrenses quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcinæ pondo triginta, bubulæ pondo quadraginta, olei sextarium vnum, & itē olei secundi sextarium vnū, liquaminis sextarium vnum, salis sextarium vnum, herbarum, olerum quantum satis est.*

Aureliani elogium. Eximia laus, à magno principe laudari

9.

10

Aliud elogium ex quo vt ex priore intelligitur exercitus animum in disciplinâ militaris obseruatione sedula inclu dit nec ab ignauis & dissolutis ducibus atq. Imperatoribus felices successus esse expectandos.

Sanè quoniam ei aliquid præcipuè decernendum est, quandiu Romæ fuerit, pabula extra ordinem decernes. Ipsi autem ad sumptus, aureos Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippeis minutulos, quinquagenos, æris denarios centum, reliqua per præfectos ærarii præbebuntur.

Aureliani functiones publicæ, magno numero. Nec enim tanta viri virtus negligi debuit.

4 FRIVOLA hæc fortassis cuipiam & nimis leuia esse videantur, sed curiositas nihil recusat. Habuit ergo multos ducatus, plurimos tribunatus, vicarias ducum & tribunorum diuersis temporibus prope quadraginta, vsque adeo vt etiam Vlpij Criniti, qui se de Trajani genere referebat, & fortissimi re vera viri & Trajani simillimi, qui pictus est cum eodem Aureliano in templo Solis, quem Valerianus Cæsaris loco habere instituerat, vicem sumeret, exercitum duceret, limitem restitueret, prædam militibus daret: Thracias bobus, equis, mancipiis, captiuis locupletaret: manubias in palatio collocaret: quingentos seruos, duo millia vaccarum, equas mille, ouium decem millia, caprarum quindecim, in priuatam villam Valeriani congereret. Tunc enim Vlpius Crinitus publicè apud Byzantium sedenti Valeriano in thermis egit gratias, dicens, magnum de se iudicium habitum quòd eidem vicarium Aurelianum dedisset: quare eum statuit arrogare. Interest epistolas nosse Aureliano scriptas, & ipsam arrogationem. *Epistola Valeriani ad Aurelianum: Si esset alius, Aureliane, iucundissime, qui Vlpii Criniti vicem posset implere, tecum de eius virtute ac sedulitate conferrem. nunc tecum requirere potuissem. Suscipe bellum à parte Nicopolis, ne nobis ægritudo Crinitij obsit. Fac quicquid potes. Multa non dico, in tua erit potestate militiæ magisterium. Habes sagittarios Ityreos trecentos, Armenios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Saracenos ducentos, Mesopotamios auxiliares quadringentos: habes legionem tertiam Felicem, & equites cataphractarios octingentos. Tecum erit Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Cario*

Hæc etiam Valeriani iudicio testata & decorata est. Tunc verò non ignaui, stulti, adolescentuli, adulatores, quiremp. perdunt, strenuis & sapientib. ducibus præferebantur.

Carioniscus. Commeatus à præfectis necessarius in omnibus castris est constitutus. Tuum est pro virtutibus tuis atque solertia illic hyemalia & æstiua disponere, vbi tibi nihil deerit: quærere præterea vbi carrago sit hostium, & vere scire quanti qualésque sint, vt non vinum aut annona consumatur, aut tela iaciantur in quibus res bellica constituta est. Ego de te tantum, Deo fauente, spero quantum de Traiano, si viueret, posset sperare respub. Neque enim minor est, in cuius locum fidémque te legi. Consulatum cum eodem Vlpio Crinito in annum sequentem à die vndecimo Calend. Iunia- rum, in locum Gallieni & Valeriani, sperare te conuenit sumptu publico. Leuanda est enim paupertas eorum hominum qui diu reipublicæ viuentes, pauperes sunt, & nullorum magis. His quoque literis indicatur quantus fuerit Aurelianus, & re vera. neque enim quisquam aliquando ad summam rerum peruenit, qui non a prima ætate gradibus virtutis ascenderit. Literæ de consulatu. *Valerianus Augustus Aelio Xifidio præfecto ærarii. Aureliano, cui consulatum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris maior, dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære H-S. quinquagies, tunicas mulicias viriles decem, lineas Aegyptias viginti, mantelia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, stragula Maura decem, porcos centum, oues centum: conuiuium autem publicum edi iubebis senatoribus, equitibus Romanis: hostias maiores duas, minores quatuor.* Et quoniam etiam de arrogatione aliqua me dixeram positurum quæ ad tantum principem pertinerent, quæso ne odiosior verbosiórve ea re videar: quam fidei causa inserendam credidi ex libris Acholij, qui magister admissionum Valeriani principis fuit, libro Actorum eius nono. Quum consedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium præsente exercitu, præsente etiam officio palatino, assidentibus Memmio Fusco consule ordinario, Bebio Macro

Ducum belli officia descripta.

Præmia, non nebulonibus & publicis prædonibus, sed viris fortiss. & sapientissimis, ac reip. vtiliss. debentur.

Consulatus Aureliani, sumptu publico sublevatus.

Præmijs variis Aureliani virtus & maxima er-

ga remp. merita decorātur. Dulce & decorum est grato principi grateq. patriæ inseruire.

præfecto prætorij, Quinto Ancario præside orientis: assidentibus etiam a parte læua Auulnio Saturnino Scythici limitis duce, Murentio ad Aegyptum destinato, Iulio Tryphone orientalis limitis duce, & Meceo Brundusino præfecto annonæ orientis, & Vlpio Crinito duce Illyriciani limitis & Thracij, & Fuluio Boió duce Rhetici limitis: Valerianus Augustus dixit, *Gratias tibi agit, Aureliane, resp. quòd eam Gotthorum potestate liberasti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & his omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te consulem hodie designo, scripturus ad senatum vt tibi deputet Scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à senatu, quando fit consul, accipere.* Post hæc Valeriani dicta Aurelianus surrexit, atque ad manus accessit, agens gratias militaribus verbis, quæ propria & ipsa apponenda decreui. Aurelianus dixit. *Et ego domine Valeriane Imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo & equos & cantherios meos lassaui vt mihi gratias ageret respubl. & conscientia mea. At tu plus fecisti: ago ego gratias bonitati tuæ, & accipio consulatum quem das. Dii faciant & deus certus Sol, vt & senatus de me sic iudicet.*

Aureliani ad Valerianũ modesta gratiarum actio, pro concesso consulatu & præmiis militaribus.

Agentibus igitur gratias omnibus circunstantibus, Vlpius Crinitus surrexit, atque hac oratione vsus est, *Apud maiores nostros, Valeriane Auguste, quod & familiæ meæ amicum ac proprium fuit, ab optimis quibusque in filiorum locum fortissimi viri semper electi sunt, vt vel senescentes familias, vel fœtus matrimoniis iam caducos substitutæ fœcunditas prolis ornaret. Hoc igitur quod Cocceius Nerua in Traiano adoptando, quod Vlpius Traianus in Adriano*

Vlpii Criniti oratio gratulatoria in Aureliani consulatum.

Adriano, quod Adrianus in Antonino, & cæteri deinceps propoſita ſuggeſtione fecerunt, iam in arrogando Aureliano, quem mihi vicarium iudicii tui autoritate feciſti, cenſui eſſe referendum. Iube igitur vt lege agatur, ſitque Aurelianus hæres ſacrorum, nominis & bonorum, totiúſque iuris, Vlpio Crinito iam conſulari viro, ipſe ac tu. Crinite iudex conſularis. Longum eſt cuncta pertexere. Nam & actæ ſunt Crinito à Valeriano gratiæ: & adoptio, vt ſolebat, impleta. Memini me in quodam libro Græco legiſſe (quod tacendum eſſe non credidi) mandatum eſſe Crinito à Valeriano vt Aurelianus adoptaretur, idcirco præcipue quòd pauper eſſet: ſed hoc in medio relinquendum puto. & quoniam ſuperius epiſtolam poſui qua ſumptus Aureliano ad conſulatum delatus eſt, quare poſuerim, rem quaſi friuolam, eloquendum putaui. Vidimus proxime conſulatum Furij Placidi tanto ambitu in circo editum, vt non præmia dari aurigis, ſed patrimonia viderentur, quum darentur tunicæ ſubſericæ, lineæ paragaudę, darentur etiam equi, ingemiſcentibus frugi hominibus. Factum eſt enim vt iam diuitiarum ſit non hominum conſulatus: quia vtique ſi virtutibus defertur, editorem ſpoliare non debent. Perierunt caſta illa tempora, & magis ambitione populari peritura ſunt. Sed nos (vt ſolemus) hanc quoque rem in medio relinquimus.

Fl. Vopiſci in hac deſcriptione pertexenda iudicium.

Cenſura eiuſdem in luxurioſum conſulatum Furii Placidi, & iuſta querela.

5 His igitur tot ac talibus præiudiciis muneribúſque fultus, Claudianis temporibus tantus enituit, vt poſt eum Quintillo quoque fratre eius interempto, ſolus teneret imperium, Aureolo interfecto, cum quo Gallienus fecerat pacem. Hoc loco tanta eſt diuerſitas hiſtoricorum, & quidem Græcorum, vt alij dicant, inuito Claudio ab Aureliano Aureolum interfectum, alij mandante ac volente, alij ab Imperatore iam Aureliano eundem occiſum, alij verò adhuc priuato. Sed hæc quoque me-

Aurelianus virtutis via ad faſtigiũ imperij aſcendit.

Competitorẽ Aureolum deturbat.

Vv

dia relinquemus, ab ipsis petenda per quos in literas missa sunt. Illud tamen constat, omne contra Mœotidas bellum diuum Claudium nulli magis quam Aureliano credidisse. Extat epistola, quam egó (vt soleo) fidei causa, imò vt alios annalium scriptores fecisse video, inserendam putaui. *Flauius Claudius Valerio Aureliano suo salutem. Expetit à te munus solitum nostra resp. Aggredere, quid moraris? Tuo magisterio milites vti volo, tuo ductu tribunos. Gotthi oppugnandi sunt: Gotthi à Thraciis amouendi. Eorum enim plerique Hæmi montem Europámque vexant, qui te pugnante fugerunt. Omnes exercitus Thracios, omnes Illyricianos totúmque limitem in tua potestate constituo, solitam nobis ede virtutem. Tecum erit etiam frater Quintillus quum occurrerit. Ego aliis rebus occupatus, summam belli illius virtutibus tuis credo. Misi sanè equos decem, loricas duas, & cætera, quibus muniri ad bellum euntem necessitas cogit.* Secundis igitur prælijs vsus auspiciis Claudianis, rempublicam in integrum reddidit: atque ipse statim (vt suprà diximus) consensu omnium legionum factus est Imperator. Equites sanè omnes ante imperium sub Claudio Aurelianus gubernauit, quum offensam magistri eorum incurrissent quod temerè Claudio non iubente pugnassent. Item Aurelianus contra Sueuos & Sarmatas iisdem temporibus vehementissimè dimicauit, ac florentissimam victoriam retulit: accepta est sanè clades sub Aureliano à Marcomannis per errorem. Nam dum is à fronte non curat occurrere, subitò hostes eruperе: dúmque illos à dorso persequi parat, omnia circa Mediolanum grauiter euastata sunt. Postea tamen ipsi quoque Marcomanni superati sunt. In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vastabant, ingentes Romæ seditiones motæ sunt, pauentibus cunctis ne eadem quæ sub Gallieno fuerant, prouenirent. quare etiam libri Sibyllini noti beneficiis publicis inspecti

Quod facile fuit principi belli constituto, & cuius antea virtutes inclaruerant aduersus hostes reipub.

Consensu omnium Aurelianus fit Imperator.

Contra Sueuos & Sarmatas dimicat.

Superat Marcomannos, post librorum Sibyllinorum inspectionẽ.

inspecti sunt: inuencúmque vt in certis locis sacrificia fierent quæ barbari transire non possent. Facta denique sunt ea quæ præcepta fuerant in diuerso ceremoniarum genere: atque ita barbari restiterunt, quos omnes Aurelianus carptim vagantes occidit. Libet ipsius senatusconsulti formam exponere, quo libros inspici clarissimorum iussit autoritas. *Die tertio Idus Ian. Fuluius Sabinus prætor vrbanus dixit, Referimus ad vos P.C. Pontificum suggestionem, & Aureliani principis literas, quibus iubetur vt inspiciantur fatales libri quibus spes belli terminandi sacrato deorum imperio continetur. Scitis enim ipsi quotiescunque grauior aliquis extitit motus, eos semper inspectos: neque prius mala publica esse finita quàm ex iis sacrificiorum processit autoritas.* Tunc surrexit primæ sententiæ Vlpius Syllanus, atque ita loquutus est, *Serò nimis P.C. de reip. salute consulimus, serò ad fatalia iussa respicimus, more languentium qui ad summos medicos nisi in summa desperatione non mittunt; proinde quasi peritioribus viris maior facienda sit cura, quum omnibus morbis occurri sit melius. Meministis enim P. C. me in hoc ordine sæpe dixisse iam tum quum primùm nuntiatum est Marcomannos erupisse, consulenda Sibyllæ decreta, vtendum Apollinis beneficiis: recusasse verò quosdam, & cum ingenti calumnia recusasse, quum adulando dicerent tantam principis esse virtutem vt opus non sit deos consuli, proinde quasi & ipse vir magnus non deos colat, non de diis immortalibus speret. Quid plura? audiuimus literas quibus rogauit opem deorum, quæ nunquam cuiquam turpis est vt vir fortissimus adiuuetur. Agite igitur pontifices, quà puri, quà mundi, quà sancti, quà vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros euoluite, fata reip. quæ sunt æterna perquirite: patrimis matrimisque pueris carmen indicite: nos sumptum sacris, nos apparatum sacrificiis, nos aris ambaruali[a] indicemus.* Post hæc interrogati plerique senatores sententias dixerunt, quas

De qua Senatusconsultum, ex quo constat Romanos superstitionū sualium diligentiss. obseruatores fuisse. Princeps recte institutus, religionem veram imprimis tuetur. Qui suis consiliis confidunt, Numine contempto, malè pereunt.

Quibus ceremoniis libri Sibyllini inspiciebantur.

longum est innectere. Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo consentientibus, conditum est S.C. Itum deinde ad templum, inspecti libri, proditi versus, lustrata vrbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarualia promissa: atque ita solennitas quæ iubebatur, expleta est. Est epistola Aureliani de libris Sibyllinis: nam ipsam quoque indidi ad fidem rerum. *Miror vos patres sancti tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium, tractaretis. Agite igitur, & castimonia pontificum, ceremoniisque solennibus iuuate principem necessitate publica laborantem. Inspiciantur libri: quæ facienda fuerint celebrentur, quemlibet sumptum, cuiuslibet gentis captiuos, quælibet animalia regia non abnuo, sed libens offero: neque enim indecorum est diis iuuantibus vincere: sic apud maiores nostros multa finita sunt bella, sic cœpta. Siquid est sumptuum, datis ad præfectum ærarii literis decerni iussi. est præterea vestræ autoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio quàm cupio.*

Epistola Aureliani in hanc rem.

6 QVVM autem Aurelianus vellet omnibus simul facta exercitus sui constipatione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est vt Romanum penè solueretur imperium. Et causa quidem huius periculi perfidia & calliditas barbarici fuit motus. Nam quum congredi aperto marte non possent, in syluas se densissimas contulerunt, atque ita nostros vespera incumbente turbarunt. Denique nisi diuina ope post inspectionem librorum sacrificiorúmque curas, monstris quibusdam speciebúsque diuinis impliciti essent barbari, Romana victoria non fuisset. Finito prælio Marcomannico, Aurelianus, vt erat natura ferocior, plenus irarum Romam petit, vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat: inciuilius denique vsus imperio, vir

Calliditas Marcomannorum bellicam fortitudinem Rom. pene euertit

In magna prosperitate principes natura feroces iracundiæ

vir aliàs optimus, seditionum autoribus interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda, compescuit. Interfecti sunt enim nonnulli etiam nobiles senatores, quum his leue quiddam & quod contemni à mitiore principe potuisset, vel vnus, vel leuis, vel vilis testis obiiceret. Quid multa? Magnum illud, & quod iam fuerat, & quod non frustra speratum est, infamiæ tristioris ictu contaminauit imperium. timeri cœpit princeps optimus, non amari, quum alij dicerent, perfodiendum talem principem, non optandum; alij bonum quidem medicum, sed mala ratione curantem. His actis, quum videret posse fieri vt aliquid tale iterum quale sub Galhieno euenerat proueniret, adhibito consilio senatus, muros vrbis Romæ dilatauit. Nec tamen pomœrio addidit eo tempore, sed postea. Pomœrio autem nemini principum licet addere nisi ei qui agri barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletauerit. Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit Nero, sub quo Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ. ¶Transactis igitur quæ ad sectiones, atque vrbis statum & ciuilia pertinebant, contra Palmyrenos, id est contra Zenobiam, quæ filiorum nomine orientale tenebat imperium, iter flexit. Multa in itinere ac magna bellorum genera confecit. Nam in Thraciis & in Illyrico occurrens barbaros vicit: Gotthorum quinetiam ducem Cannabam, siue Cannabaudem, cum quinque millibus hominum transDanubium interemit. Atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit, eámque nullo certamine obtinuit. Multa eius tam præclara facta quàm dicta sunt: sed omnia libro innectere nec possumus fastidij euitatione, nec volumus: sed ad intelligendos mores atque virtutem pauca libanda sunt. Nam quum Tyanam venisset, eámque occlusam reperisset, iratus dixisse fer

habenas facilè laxant.

At principis eximia dos, liberalitas & clementia, amari, item vt patrē & medicum, non timeri vt carnificem.

Non in murorum dilatatione, sed in subditorū conseruatione gloria principū & reipub. salus consistit.

22.

Bella in itinere cōfecta per Aurelianum.

Ex vnguib. leonem, vt aiunt.

Ad irā pronus Aurelianus.

tur, *Canem in hoc oppido non relinquam.* Tunc & militibus acrius incumbentibus spe prædæ, & Heraclammone quodam, timore ne inter cæteros occideretur, patriam suam prodente, ciuitas capta est. Sed Aurelianus duo statim præcippua, quod vnum seueritatem ostenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monstrauit. Nam & Heraclammonem proditorem patriæ suæ sapiens victor occidit: & quum milites iuxta illud dictum quo canem se relicturum apud Tyanæos negaret, euersionem vrbis exposcerent, respondit iis, *Canem,* inquit, *negaui in hac vrbe me relicturum, canes omnes occidite.* Grande principis dictum, grandius militum votum: nam dictum principis quo præda negabatur, ciuitas seruabatur, totus exercitus ita quasi ditaretur, accepit. Epistola de Heraclammone. *Aurelianus Augustus Mallio Chiloni. Occidi passus sum cuius quasi beneficio Tyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui: & libenter tuli quòd eum milites occiderunt: neque enim mihi fidem seruare potuisset qui patriæ non pepercit. Solum denique ex omnibus qui oppugnabantur, campus accepit. Diuitem hominem negare non possum, sed cuius bona eius liberis reddidi: nequis me causa pecuniæ locupletem hominem occidi passum esse criminaretur.* Capta autem ciuitas est miro modo. Nam quum Heraclammon locum ostendisset aggeris naturali specie tumentem, qua posset Aurelianus occultus ascendere, ille conscendit, atque elata purpurea chlamyde, intus ciuibus, foris militibus se ostendit, & ita ciuitas capta est, quasi totus in muris Aureliani fuisset exercitus. Taceri non debet res quæ ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Tyanæ ciuitatis euersione vera dixisse, vera cogitasse: verùm Apollonium Tyanæum celeberrimæ famæ autoritatisque sapientem, veterem philosophum, amicum verum deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum, recip

Proditionis non proditoris (iustam parricidij mercedem recipientis) amator.

In victoria prudens & clemens.

In proditorē viuis coloribus depictum grauis epistola.

Strategema Aureliani in capienda ciuitate.

Spectrum Apollonij, Tyanenses ab excidio

23.

24.

recipienti se in tentorium ea forma qua videtur, subitò astitisse, atque hęc Latinè, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse, *Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vincere.* Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, & imaginem & statuas & templum eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Hęc ego a grauibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diuiniúsque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam. Ille multa vltra homines & fecit & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros qui de eius vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri fauori vsquequaque placuerit, breuiter saltem tanti viri facta in literas mittam: non quo illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed vt ea quę miranda sunt, omnium voce prædicentur. Recepta Tyana Antiochiam, proposita omnibus impunitate, breui apud Daphnen certamine obtinuit: atque inde præceptis quantum probatur venerabilis viri Apollonij parens, humanior atque clementior fuit.

liberat, & victoris partes attingit.

Encomium Apollonij ethnici, ab ethnico Vopisco scriptum.

Antiochia ab Aureliano recepta.

7 PVGNATVM est post hæc de summa rerum contra Zenobiam & Zabam eius sociam apud Emessam magno certamine. Quúmque Aureliani equites fatigati iam penè discederent, ac terga darent, subitò vi numinis, quod postea proditum, hortante quadam diuina forma, per pedites etiam equites restituti sunt. Fugata est Zenobia cum Zaba, & plenissimè parta victoria. Recepto igitur orientis statu, Emessam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali retendit, quasi communi officio vota soluturus. Verùm illic eam for-

Pugna de summa rerum aduersus Zenobiam.

Victoria potitur Aurelianus.

mam numinis reperit quam in bello sibi fauentem vidit. Quare & illic templa fundauit, donariis ingentibus positis:& Romę Soli templum posuit maiore honorificentia consecratum, vt suo dicemus loco. Post hæc Palmyram iter flexit, vt ea oppugnata, laborum terminus fieret. Sed in itinere à latronibus Syris malè accepto frequenter exercitu, multa perpessus est, & in obsidione vsque ad ictum sagittæ periclitatus est. Epistola ipsius extat ad Mucaporem missa, in qua de eius belli difficultate vltra pudorem imperialem fatetur. *Romani me modò dicunt bellum contra fœminam gerere, quasi sola mecum Zenobia & suis viribus pugnet, ac non hostium quantum si vir à me oppugnandus esset, in conscientia & timore longè deteriore. Dici non potest quantum hîc sagittarum, qui belli apparatus, quantum telorum, quantum lapidum: nulla pars muri est quæ non binis & ternis balistis occupata sit: ignes etiam tormentis iaciuntur. Quid plura? non quasi fœmina pugnat, quasi pœnam timens: sed credo adiuturos Rom. remp. deos, qui nunquam nostris conatibus defuerunt.* Denique fatigatus ac pro malis fessus, literas ad Zenobiam misit, deditionem illius petens, vitam promittens, quarum exemplum indidi. *Aurelianus Imperator Rom. orbis, & receptor orientis, Zenobiæ cæterisque quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis id quod meis literis nunc iubetur: deditionem præcipio impunitate vitæ proposita, ita vt illic Zenobia cum tuis agas vitam vbi te ex senatus amplissimi sententia collocauero. Gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos in ærarium Rom. conferas. Palmyrenis ius suum seruabitur.* Hac epistola accepta, Zenobia superbius insolentiusque rescripsit quàm eius fortuna poscebat. credo ad terrorem: nam eius quoque epistolæ exemplum indidi. *Zenobia regina orientis, Aureliano Augusto. Nemo adhuc præter te quod poscis, literis petiit. Virtute faciendum est quicquid in rebus bellicis est gerendum. Deditionem meam petis, quasi nescias*

Palmyram oppugnat.

Difficultatē huius belli fatetur.

Zenobiam ad deditionē per literas sollicitat.

Illa autem viribus humanis innitens superbè respondet.

Cleop

Cleopatram reginam perire maluisse quàm in qualibet viuere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quæ iam speramus: pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenii. Latrones Syri exercitum tuum Aureliane vicerunt: quid igitur si illa venerit manus quæ vndique speratur? pones profectò supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperas. Hanc epistolam Nicomachus se transtulisse in Græcum ex lingua Syrorum dicit ab ipsa Zenobia dictatam. nam illa superior Aureliani, Græca missa est. His acceptis literis, Aurelianus non erubuit, sed iratus est: statímque collecto exercitu ac ducibus suis, vndique Palmyram obsedit: neque quicquam vir fortis reliquit quod aut imperfectum videretur aut incuratum. Nam & auxilia quæ a Persis missa fuerant, intercepit: & alas Saracenas Armeniásque corrupit atque ad se modò ferociter modò subtiliter transtulit, denique post multa mulierem potentissimam vicit. Victa igitur Zenobia quum fugeret camelis quos dromadas vocitant, atque ad Persas iter tenderet, equitibus missis est capta, atque in Aureliani potestatem deducta. Victor itaque Aurelianus, totiúsque iam orientis possessor, quum in vinculis Zenobiam teneret cum Persis, Armeniis, Saracenis superbior atque insolentior egit ea quæ ratio temporis postulabat. Tunc illæ vestes quas in templo Solis videmus, confertæ gemmis, tum Persici dracones, & tiaræ, tum genus purpuræ quod postea nec vlla gens detulit, nec Romanus orbis vidit: de qua pauca saltem libet dicere. Meministis enim fuisse in templo Iouis optimi maximi capitolini pallium breue purpureum lanestre, ad quod quum matronę atque ipse Aurelianus iungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cæteræ diuini comparatione fulgoris. Hoc munus rex Persarum ab Indis interioribus sumptum, Aureliano dedisse perhibetur, scribens, Sume

Vnde ira Aureliani, & Palmyræ expugnatio.

Zenobiæ item captiuitas.

Aureliani elatus animus.

Digressio, de orientalis purpuræ præstantia.

purpuram qualis apud nos est. sed hoc falsum fuit. Nam postea diligentissime & Aurelianus & Probus & proxime Diocletianus missis diligentissimis confectoribus, requisiuerunt tale genus purpuræ, nec tamen inuenire potuerunt. Dicitur enim sandix Indica talem purpuram facere, si curetur. Sed ad incepta redeamus. Ingens tamen strepitus militum fuit omnium, Zenobiam ad pœnam poscentium. Sed Aurelianus indignum existimans mulierem interimi, occisis plerisque quibus autoribus illa bellum mouerat, parauerat, gesserat, triumpho mulierem reseruauit, vt populi Romani oculis esset ostentui. Graue inter eos qui cæsi sunt, de Longino philosopho fuisse perhibetur, quo illa magistro vsa esse ad Græcas literas dicitur. Quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse quod superbior illa epistola ipsius diceretur dictata consilio, quanuis Syro esset sermone contexta.

Zenobia ad triumphum reseruatio.

Longini cædes.

8 PACATO igitur oriente, in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic Carporum copias afflixit: & quum illum Carpicum senatus absentem vocasset, mandasse ilico fertur, *Superest P.C. vt me etiam Carpisculum vocetis.* Carpisculum enim genus calciamenti esse satis notum est, quod cognomen deforme videbatur: quum & *Gotthicus*, & *Sarmaticus*, & *Armeniacus*, & *Parthicus*, & *Adiabenicus* diceretur. Rarum est vt Syri fidem seruent, imo difficile. Nam Palmyreni, qui iam victi atque contusi fuerant, Aureliano rebus Europensibus occupato, non mediocriter rebellarunt. Sandarionem enim, quem in præsidio illic Aurelianus posuerat, cum sexcentis sagittariis occiderunt, Achilleo cuidam parenti Zenobiæ parantes imperium. Verùm adeo Aurelianus, vt erat paratus ex Europa reuertit: atque vrbem, quia ita merebatur, euertit. Crudelitas denique Aureliani, vel (vt quidam dicunt) seueritas, eatenus extitit

Bellicosis bellica non desunt negotia. Inde noua gloria.

Et perfidis populis confusio.

Quam crudelitas comitatur; nec e-

extitit, vt epistola eius feratur, confessionem immanissimi furoris ostentans, cuius hoc exemplum est. *Aurelianus Augustus Ceionio Basso. Non oportet vlterius progredi militum gladios. iam satis Palmyrenorum cæsum atque occisum est. Mulieribus non pepercimus, infantes occidimus, senes iugulauimus, rusticos interemimus: cui terras, cui vrbem deinceps relinquemus? Parcendum est iis qui remanserunt. Credimus enim paucos tam multorum suppliciis esse correctos. Templum sanè Solis, quod apud Palmyram aquilifer legionis tertiæ cum vexilliferis & draconario cornicinibus atque liticinibus diripuerunt, ad eam formam volo quæ fuit, reddi. Habes trecentas auri libras Zenobiæ capsulis: habes argenti mille octingenta pondo. De Palmyrenorum bonis habes gemmas regias. Ex his omnibus fac cohonestari templum: mihi & diis immortalibus gratissimum feceris. Ego ad senatum scribam, petens vt mittat pontificem qui dedicet templum.* Hæ literæ vt videmus, indicant satiatam esse immanitatem principis duri. Securior denique iterum in Europam rediit: atque illic omnes qui vagabantur, hostes nota illa sua virtude contudit. Interim res per Thracias Europamque omnem Aureliano ingentes agente, Firmus quidam extitit, qui sibi Aegyptum sine insignibus imperij, quasi vt esset ciuitas libera, vindicauit. Ad quem continuò Aurelianus reuertit: nec illi defuit felicitas solita. Nam Aegyptum statim recepit: atque, vt erat ferox animi, cogitatione multus, vehementer irascens quòd adhuc Tetricus Gallias obtineret, occidentem petiit: atque ipso Tetrico exercitum suum prodente, quòd eius scelera ferre non posset, deditas sibi legiones obtinuit. Princeps igitur totius orbis Aurelianus pacatis per occidentem Gallis, atque vndique terris, Romam iter flexit, vt de Zenobia & Tetrico, hoc est de oriente & occidente, triumphum Romanis oculis exhiberet. Non ab re est cognoscere, qui fuerit Aureliani trium-

nim feroces animi rebus secundis elati facilè modum seruant. Etiā si flagitia quadam sæuitiā exposcant, reges & principes minimè decet esse crudeliū suppliciorū autores: nullo modo autem cōuenit eos esse suppliciorū spectatores, ne atrocia moliri discant.

Hostes in Europa contundit.

Firmum in Aegypto.

Tetricum in Galliis.

De Oriente & Occidente triumphū exhibet.

phus. Fuit enim ſpecioſiſſimus. Currus regij tres fuerunt. In his vnus Odenati, argento, auro, gemmis operoſus atque diſtinctus: alter, quem rex Perſarum Aureliano dono dedit, ipſe quoque pari opere fabricatus: tertius, quem ſibi Zenobia compoſuerat, ſperans ſe vrbem Romanam cum eo viſuram: quod illam non fefellit. nam cum eo vrbem ingreſſa eſt victa & triumphata. Fuit alius currus quatuor ceruis iunctus, qui fuiſſe dicitur regis Gotthorum: quo, vt multi memoriæ tradiderunt, capitolium Aurelianus inuectus eſt, vt illic cæderet ceruos quos cum eodem curru captos vouiſſe Ioui optimo maximo ferebatur. Præceſſerunt elephanti viginti, feræ manſuetæ Libycæ Palæſtinæ diuerſæ ducentæ: quas ſtatim Aurelianus priuatis donauit, ne fiſcum annonis grauaret. tigrides quatuor: camelopardali, alces, cætera talia per ordinem ducta: gladiatorum paria octingenta: præter captiuos gentium barbararum, Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Perſæ, cum ſuis quique muneribus: Gotthi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, religatis manibus captiui præceſſerunt. Inter hos etiam Palmyreni, qui ſuperfuerant principes ciuitatis, & Aegyptij ob rebellionem. Ductæ ſunt & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat: quum multæ eſſent interemptæ, quas de Amazonum genere titulus indicabat. Prælati ſunt tituli gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus chlamyde coccinea, tunica galbina, braccis Gallicis ornatus, adiuncto ſibi filio quem Imperatorem in Gallia nuncupauerat. Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alij ſuſtentabant. præferebantur coronæ omnium ciuitatum aureæ titulis eminentibus proditæ. Iam populus ipſe Romanus iam vexilla collegiorum atque caſtrorum, &

In quo Zenobia captiua ducta & currus regij.

Cerui.

Elephanti.

Feræ manſuetæ.

Tigrides.

Camelopardali.

Alces.

Gladiatores

Captiui populi.

Mulieres Amazones.

Tetricus pater & filius.

Corona ciuitatum.

& cataphractarij milites, & opes regiæ, & omnis exercitus & senatus, etsi aliquanto tristior quod senatores triumphari videbat, multum pompæ addiderant. Denique vix nona hora in capitolium peruenit, sero autem ad palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum circẽsium, venationum, gladiatorum, naumachiæ. Non prætermittendum videtur, quod & populus memoria tenet & fides historica frequentauit: Aurelianum eo tempore quo proficiscebatur ad orientem, bilibres coronas populo promisisse si victor rediret: & quum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, coronas eum fecisse de panibus qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donasse: ita vt siligineum suum quotidie toto æuo suo, & vnusquisque reciperet, & posteris suis dimitteret. Nam idem Aurelianus & porcinam carnem populo Rom. distribuit, quæ hodiéque diuiditur: leges plurimas sanxit, & quidem salutares: sacerdotia composuit, templum Solis fundauit, & pontifices roborauit. Decreuit etiam emolumenta architectis & ministris.

Pompa Senatus & populi.

Ludi populo exhibiti.

Donum pecuniarium mutatum.

Leges, statuta, ædificia.

9 HIS gestis, ad Gallias profectus, Vindelicos obsidione barbarica liberauit: deinde ad Illyricum rediit, paratóque magno potius quàm ingenti exercitu, Persis, quos eo quoque tempore quo Zenobiam superauit, gloriosissime iam vicerat, bellum indixit. Sed quum iter faceret, apud Cænophrurium, mansionem quæ est inter Heracliam & Byzantium, malitia notarij sui, & manu Mucaporis interemptus est. Et causa occidendi eius quæ fuerit, & quemadmodum sit occisus, ne res tanta lateat, breui edisseram. Aurelianus, quod negari non potest, seuerus, truculentus, sanguinarius fuit princeps. Hic quum vsque eò seueritatem tetendisset, vt & filiam sororis occideret, non in magna neque sa-

Armis exultãs princeps violento casu opprimitur, notarij sui malitia.

Mors vndique & potentioribus imminet, eáque sæpius crueta. Qui enim clemẽtiam non colunt, in seipsos accersunt fata crudelia.

tis idonea causa, iam primùm in odium suorum venit. Incidit autem, vt se res fataliter agunt, vt Mnestheum quendam quem pro notario secretorum habuerat, libertum, vt quidam dicunt, suum infensiorem sibi minando redderet, quòd nescio quid de quodam suspicatus esset. Mnestheus, qui sciret Aurelianum neque frustra minari solere, neque si minaretur, ignoscere, breue nominum conscripsit, mixtis iis quibus Aurelianus verè irascebatur, cum iis de quibus nihil asperum cogitabat, addito etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ sollicitudinis: ac breue legit singulis quorum nomina continebat: addens, disposuisse Aurelianum eos omnes occidere: illos vero debere suæ vitæ, si viri sunt, subuenire. Hi quum exarsissent timore qui merebantur offensam, dolorem miscentes beneficiis atque officiis quibus Aurelianus videbatur ingratus, in supradicto loco iter facientem principem subito adorti, interemerunt. Hic finis Aureliano fuit principi necessario magis quàm bono. Quo interfecto quum esset res prodita, & sepulcrum ingens, & templum illi detulerunt ij à quibus interemptus est. Sanè Mnestheus postea surrectus ad stipitem bestiis obiectus est: quod statuæ marmoreæ positæ in eodem loco vtrinque significant, vbi & in columnis diuo Aureliano statuæ constitutæ sunt. Senatus mortem eius grauiter tulit, grauius tamen pop. Rom. qui vulgò dicebat, *Aurelianum pædagogum esse senatorum.* Imperauit annis sex, minus paucis diebus: ac rebus magnis gestis inter diuos relatus est.

Impij serui artes adu. dominum.

Aureliani interitus & elogium.

Serui proditoris iustum supplicium.

10 QVIA pertinet ad Aurelianum id quod in historia relatum est, tacere non debui. Nam multi ferunt Quintillum fratrem Claudij, quum in præsidio Italico esset, audita morte Claudij sumpsisse imperium. Verùm postea vbi Aurelianum comperit imperare, à toto exercitu derelictum, quúmque contra

Acta sub Aureliano ante imperium.

Mors Quintilli.

contra eum concionaretur, nec à militibus audiretur, incisis sibimet venis die vigesimo imperij sui periisse. Quicquid sane scelerum fuit, quicquid malæ conscientiæ, vel artium funestarum, quicquid denique factionum, Aurelianus toto penitus orbe purgauit. Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filij nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, imperium tenuisse quod tenuit. Fuit sub Aureliano etiam monetariorum bellum, Felicissimo rationali autore: quod acerrime seuerissiméque compescuit, septem tamen millibus suorum militum interemptis: vt epistola docet missa ad Vlpium Crinitum ter consulem, qui eum antè adoptauerat. *Aurelianus Augustus Vlpio patri. Quasi fatale quiddam incessit, vt omnia quæcunque gessero, omnes motus ingrauescant. Ita enim seditio intramurana bellum mihi grauissimum peperit: monetarii autore Felicissimo vltimo seruorum, cui procurationem fisci mandaueram, rebelles spiritus extulerunt. Hi compressi sunt, septem millibus Hiberorum Riparienſium & Castrianorum & Daciscorum interemptis. Vnde apparet nullam mihi à diis immortalibus datam sine difficultate victoriam.* Tetricum triumphatum correctorem Lucaniæ fecit, filio eius in senatu manente. Templum Solis magnificentissimum constituit: muros vrbis Romę sic ampliauit vt quinquaginta propè millia murorum eius ambitus teneant. Item quadruplatores ac delatores ingenti seueritate persequutus est: tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Trajani semel iussit. Amnestia etiam sub eo delictorum publicorum decreta est de exemplo Athenienſium: cuius rei etiam Tullius in Philippicis meminit. Fures prouinciales repetundarum ac peculatus reos vltra militarem modum est persequutus, vt eos ingentibus suppliciis cruciatibúsque puniret. In templo Solis multum auri gemmarúmque constituit. Quum vastatum Illyri-

Sub imperio bella feliciter cõfecta.

Monetariorum bellum

Non sine Romanorũ militum sudore & sanguine confectũ. Nulla sine difficultate datur victoria.

Aureliani benignitas.

Magnificentia.

Seueritas.

Moderatio.

Aequitas.

Liberalitas.

cum ac Mœſiam deperditam videret, prouinciam trans Danubium Daciam a Trajano conſtitutam ſublato exercitu & prouincialibus reliquit, deſperans eam poſſe retineri: abductóſque ex ea populos, in Mœſiam collocauit, appellauitq; ſuam Daciam, quæ nunc duas Mœſias diuidit. Dicitur præterea huius fuiſſe crudelitatis vt pleriſque ſenatoribus ſimulatam ingereret factionem coniurationis ac tyrannidis, quo facilius eos poſſet occidere. Addunt nonnulli, filium ſororis non filiam ab eodem interfectum: plerique autem etiam filiam ſororis. Quàm difficile ſit Imperatorem in locum boni principis legere, & ſenatus ſanctioris grauitas probat, & exercitus prudentis autoritas. Occiſo nanque ſeueriſſimo principe, de Imperatore deligendo exercitus retulit ad ſenatum, idcirco quòd nullum de his faciendum putabat qui tam bonum principem occiderant. Verùm ſenatus hanc eandem delectionem in exercitum refudit, ſciens, non libenter iam milites accipere Imperatores eos quos ſenatus elegerit. Denique id tertiò factum eſt, ita vt per ſex menſes Imperatorem Romanus orbis non habuerit, omnéſque iudices ij permanerent quos aut ſenatus aut Aurelianus elegerat, niſi quòd proconſulem Aſiæ Falconium Probum in locum Aurelij Fuſci delegit. Non iniucundum eſt ipſas inſerere literas quas ad ſenatum exercitus miſit. *Felices ac fortes exercitus ſenatui populóque Romano. Aurelianus Imperator noſter per fraudem vnius hominis, & per errorem bonorum ac malorum interemptus eſt. Hunc inter deos referte, ſancti & domini P. C. & de vobis aliquem, ſed dignum veſtro iudicio, principem mittite. Nos enim de iis qui vel errauerunt vel malè fecerunt, imperare nobis neminem patimur.* Reſcriptum eſt ſenatuſconſulto, Quum die tertio nonas Febr. ſenatus ampliſſimus in curiam Pompilianam conueniſſet, Aurelius Gordianus conſul dixit, *Referimus*

Prouidētia.

Crudelitas.

Difficile eſt bono principi dare ſucceſſorem.

Exercitui de eligendo imperatore cura commiſſa.

Exercitus Romani prudens modeſtia.

Quomodo exercitus literæ exceptæ & expenſæ.

40.

41.

rimus ad vos P. C. literas exercitus felicissimi. Quibus recitatis Aurelianus Tacitus primę sententiæ senator ita loquutus est, (hic autem est qui post Aurelianum sententia omnium Imperator est appellatus) *Recto ordine consuluissent dii immortales P. C. si boni principes ferro inuiolabiles extitissent, vt longiorem ducerent vitam: neque contra eos aliqua esset potestas iis qui neces infandas tristissima mente concipiunt. Viueret enim princeps noster Aurelianus, quo neque vtilior fuit quisquam. Respirare certè post infelicitatem Valeriani, post Gallieni mala, imperante Claudio cœperat nostra respublica: at eadem reddita fuerat Aureliano toto penitus orbe vincente. Ille nobis Gallias dedit: ille Italiam liberauit: ille Vindelicis iugum barbaricæ seruitutis amouit. Illo viuente Illyricum restitutum est, redditæ Romanis legibus Thracię. Ille (proh pudor) orientem fæmineo pressum iugo in nostra iura restituit: ille Persas insultantes adhuc Valeriani nece, fudit, fugauit, oppressit. Illum Saraceni, Blemyes, Axomitæ, Bactriani, Seres, Hiberi, Albani, Armenii, populi etiam Indorum, veluti pręsentem penè venerati sunt deum. Illius donis quæ à barbaris gentibus meruit, refertum est capitolium: quindecim millia librarum auri ex eius liberalitate vnum tenet templum, omnia in vrbe fana eius micant donis. Quare P. C. vel deos ipsos iure conuenio, qui talem principem interire passi sunt, nisi fortè secum eum esse maluerunt. Decerno igitur diuinos honores: id quod vos omnes existimo esse facturos. Nam de Imperatore deligendo ad eundem exercitum censeo esse referendum. Etenim in tali genere sententiæ, nisi fiat quod dicitur, & electi periculum erit, & eligentis inuidia.* Probata est sententia Taciti: attamen quum iterum atque iterum mitterent, ex S. C. quod in Taciti vita dicemus, Tacitus factus est Imperator. Aurelianus filiam solam reliquit, cuius posteri etiam nunc Romæ sunt. Aurelianus nanque proconsul Ciliciæ, senator optimus, sui verè iuris vitæque venerabilis, qui nunc in Sicilia vitam agit, eius est nepos.

Oratio A. Taciti, in Aureliani defuncti laudem: cuius conclusio est noui Imperatoris electionem ad exercitum esse referendam. Prudenter sanè, quum à senatu electis nihil nisi periculum immineret, cũ eligentium inuidia.

Exercitus se natui electionem defert.

Aureliani filia & nepos.

Xx

Fl. Vopisci de bonis & malis Imperatorib. dissertatio.

11 QVID hoc esse dicam, tam paucos bonos extitisse principes, quum iam tot cęsares fuerint? Nam ab Augusto in Diocletianũ Maximianúmque principes, quæ series purpuratorum sit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipse Augustus, Flauius Vespasianus, Titus Cocceius Nerua, diuus Traianus, diuus Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammææ, diuus Claudius & diuus Aurelianus. Valerianus enim quum optimus fuerit, ab omnibus infelix apparuit. Vides quæso quam pauci sint principes boni, vt bene dictum sit à quodam Mimico scurra Claudij, huius temporibus, *In vno anulo, bonos principes posse perscribi atque depingi.* At contra, quæ series malorum? vt enim omittamus Vitellios, Caligulas & Nerones, quis ferat Maximinos & Philippos, atque illam inconditæ multitudinis fæcem? Tametsi Decios excerpere debeam, quorum & vita & mors veteribus comparanda est. Et quæritur quidem quæ res malos principes faciat: Iam primùm nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia. Sed ego a patre meo audiui, Diocletianum principem, iam priuatum, *dixisse nihil esse difficilius quàm bene imperare.* Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantùm scire quod illi loquuntur: facit iudices quos fieri non oportet, amouet à republica quos debeat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc Diocletiani verba sunt, quæ idcirco inserui, vt prudentia tua sciret nihil esse difficilius bono principe. Aurelianum quidem multi neque inter bonos, neque

Optimi pauci numero.

Apophthegma in hanc rem.

Pessimi.

Quid malos principes faciat.

Nihil difficilius quàm bene imperare, Diocletiani iudicio.

Perpetua omnium seculorum experientia comprobato.

43.

44.

que

que inter malos principes ponunt, idcirco quòd ei clementia, imperatorum dos prima, defuerit. Verconius Herennianus præf. præt. Diocletiani, teste Asclepiodoto, sæpe dicebat, Diocletianum frequenter dixisse quum Maximiani asperitatem reprehenderet, *Aurelianum magis ducem esse debuisse quàm principem.* Nam eius nimia ferocitas eidem displicebat. Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano Asclepiodotus Celsino consiliario suo dixisse perhibet. sed de hoc posteri iudicabunt. Dicebat enim, quodam tempore Aurelianũ Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem vtrum apud eius posteros imperium permaneret: tum illas respondisse dixit, *Nullius clarius in republica nomen quàm Claudii posterorum futurum.* Et est quidem iam Constantius Imperator eiusdem vir sanguinis, cuius puto postetos ad eam gloriam quæ à Druidibus prænuntiata sit, peruenire. Quod idcirco ego in Aureliani vita constitui, quia hæc ipsi Aureliano consulenti responsa sunt.

Aurelianus in medio cõstitutus, & dote prima principum destitutus.

De posteris Claudij Imper. Druidarum prædictio.

12 VECTIGAL ex Aegypto vrbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ, atque anabolicas species æternas constituit. Thermas in Transtiberina regione Aurelianus facere parauit hyemales, quòd aquæ frigidioris copia illic deesset. Forum nominis sui in Hostiensi ad mare fundare cœpit. In quo postea prætorium publicum constitutum est. Amicos suos honestè ditauit & modicè, vt miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent. Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri vtendam dedit. Et quum ab eo vxor sua peteret, vt vnico pallio blatteo serico vteretur, ille respondit, *Absit vt auro fila pensentur.* libra enim auri tunc libra serici fuit. Habuit in animo vt aurum neque in cameras, neque in tunicas, néque in pelles, neque in

Aureliani vectigal.

Thermæ.

Forum.

Beneficẽtia in amicos.

Cultus.

argentum mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura quàm argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum vsus perire, argentum autem in suo vsu manere. Idem dederat facultatem vt aureis qui vellent & vasis vterentur & poculis. Dedit præterea potestatē vt argentatas priuati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent. Idem concessit vt blatteas matronę tunicas haberent, & cæteras vestes, quum antea colореas habuissent, & vt multum oxypæderotinas. Et vt fibulas aureas gregarij milites haberent, idem primus concessit: quum antea argenteas habuissent. Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit: quū ante nonnisi rectas purpureas accepissent: & quidem aliis monolores, aliis dilóres, trilores aliis, & vsque ad pentelores, quales hodie lineæ sunt. Panibus vrbis Romæ vnciam de Aegyptio vectigali auxit, vt quadam epistola data ad præfectum annonæ vrbis etiam ipse gloriatur. Aurelianus Augustus Flauio Arabiano præfecto annonæ. Inter cætera quibus diis fauentibus Romanam remp. iuuimus, nihil mihi est magnificentius quàm quod additamento vnciæ omne annonarum vrbicarum genus iuui: quod vt esset perpetuum, nauicularios Niliacos apud Aegyptum nouos, & Romæ amnicos posui. Tiberinas extruxi ripas: vadum alueі tumentis effodi, diis & perennitati vota constitui, almam Cererem consecraui. Nunc tuum est officium Arabiane iucundissime, elaborare ne meæ dispositiones in irritum veniant. Neque enim populo Romano saturo quicquam potest esse lætius. Statuerat & vinum gratuitum populo Romano dare, vt quemadmodum oleum & panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat. Hetruriæ per Aureliam vsque ad Alpes maritimas ingentes agri sunt, iique

Priuilegia, priuatis, matronis, & militibus concessa.

Liberalitas erga milites

Erga populum Rom.

Beneuolentia in eundem.

iique fertiles ac ſyluoſi. Statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen vellent pretia dare, atque illic familias captiuas conſtituere, vitibus monteſ conſerere, atque ex eo opere vinum dare, vt nihil redituum fiſcus acciperet, ſed totum populo Romano concederet. Facta erat ratio dochæ, cuparum, nauium & operum. ſed multi dicunt, Aurelianum, ne id faceret, præuentum, alij a præf. præt. ſui prohibitum, qui dixiſſe fertur, *Si & vinum populo Romano damus, ſupereſt vt & pullos & anſeres demus.* Argumento eſt id vere Aurelianum cogitaſſe, imò etiam facere diſpoſuiſſe, vel ex aliqua parte feciſſe, quòd in porticibus templi Solis fiſcalia vina ponuntur, non gratuita populo eroganda, ſed pretio. Sciendum tamen, congiaria illum ter dediſſe, donaſſe etiam pop. Rom. tunicas albas manicatas ex diuerſis prouinciis, & lineas Afras atque Aegyptias puras: ipſúmque primùm donaſſe oraria pop. Rom. quibus vteretur populus ad fauorem. Diſplicebat ei quum eſſet Romæ, habitare in palatio, ac magis placebat in hortis Salluſtij vel in Domitiæ viuere. Miliarenſem denique porticum in hortis Salluſtij ornauit, in qua quotidie & equos & ſe fatigabat, quanuis eſſet non bonæ valetudinis. Seruos & miniſtros peccantes coram ſe cædi iubebat, vt plerique dicunt, cauſa tenendæ ſeueritatis: vt alij, ſtudio crudelitatis. Ancillam ſuam quæ adulterium cum ſeruo ſuo fecerat, capite puniuit. Multos ſeruos è familia propria qui peccauerant, legibus audiendos iudiciis publicis dedit. Senatum, ſiue ſenatulum, matronis reddi voluerat: ita vt primæ illic quæ ſacerdotia ſenatu autore meruiſſent. Calceos mulleos, & cereos, & albos, & hederacios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit. Curſores eo habitu quo ipſe habebat, ſenatoribus conceſſit. Concubinas ingenuas haberi vetuit. Eunuchorum modum pro ſena-

In Italia incolas.

A pretorij præfecto prohibita.

Liberalitas Aureliani erga populũ Rom.

Habitatio eiuſdem.

Exercitia.

Seueritas in domeſticos.

Priuilegiũ matronis redditum.

Senatoribus conceſſum.

toriis professionibus statuit, idcirco quòd ad ingentia pretia peruenissent. Vas argenti eius nunquam triginta libras transiit. Conuiuium de assaturis maximè fuit. Vino rufo maximè delectatus est. Medicum ad se quum ægrotaret, nunquam vocauit, sed ipse se inedia præcipuè curabat. Vxori & filiæ anulum sigillaricium quasi priuatus instituit. Seruis suis vestes easdem Imperator quas & priuatus dedit, præter duos senes, quibus quasi libertis plurimum detulit, Antistium & Gillonem, qui post eum ex senatus sententia manumissi sunt. Erat quidem rarus in voluptatibus, sed miro modo mimis delectabatur: vehementissimè autem delectatus est Phagone, qui vsque eò multum comedit vt vno die ante mensam eius aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Habuit tempus, præter seditiones quasdam domesticas, fortunatissimum. Populus autem Romanus eum amauit: senatus timuit.

Tēperantia. 50.

Peculiaris voluptas.

Felicitas.

SEXTI AVRELII VICTORIS

Aurelianus.

Ex epitome.

AVRELIANVS, genitus patre mediocri: &, vt quidam ferunt, Aurelij clarissimi senatoris colono inter Daciam & Macedoniam, imperauit annis V. Iste haud dissimilis fuit Magno Alexandro seu Cæsari dictatori. Nam Romanam

vrbem

vrbem triennio ab inuasoribus receptauit: quum Alexander annis XIII, per victorias ingentes ad Indiam peruenerit, & C. Cæsar decennio subiecerit Gallos, aduersum ciues quadriennio congressus. Ille in Italia tribus prælijs victor fuit, apud Placētiam, iuxta amnem Metaurum ac fanum Fortunę, postremò Ticinensibus in campis. Huius tempore apud Dalmatas Septimius Imperator effectus, mox à suis obtruncatur. Hoc tempore in vrbe Roma monetarij rebellarunt, quos Aurelianus victor vltima crudelitate compescuit. Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit: gemmisque & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, vsus est. Hic muris validioribus & laxioribus vrbem sepsit. Porcinę carnis vsum populo instituit. Hic Tetricum, qui imperator ab exercitu in Galliis effectus fuerat, correctorem Lucaniæ prouexit, aspergens hominem eleganti ioco, *Sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem quàm trans Alpes regnare.* Nouissimè fraude serui sui, qui ad quosdam militares viros, amicos ipsius, nomina pertulit adnotata, falsò manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere, ab iisdem interfectus est in itineris medio quod inter Constantinopolin & Heracleiam est. Fuit sæuus & sanguinarius, & trux omni tempore, etiam filij sororis interfector. Hoc tempore VII mensibus interregni species euenit.

Cōparatur Aurelianus Alexandro & Cæsari.

Eius gesta bello & pace.

Mors cruenta.

Mores.

AVRELIANVS successu tanto (nempe quòd Imperator factus esset) vehementior, confestim quasi belli reliquiæ superessent, in Persas progressus est. Quis deletis, Italiam repetiuit, cuius vrbes Alamannorum vexationibus affligebantur: simul Germanis Gallia demotis, Tetrici (de quo supra commemorauimus) cæsæ legiones proditore ipso duce. Nam Tetricus, cùm Faustini præsidis dolo

Ex lib. S. A. Victoris de Cæsaribus.

Bella Aureliani.

Tetricus proditores milites prodit ipsi. Sic fraudum architecti arte sua pereunt

corruptis militibus plerumque peteretur, Aureliani per literas præsidium implorauerat, eique aduentanti producta ad speciem acie, inter pugnam se dedit. Ita, vti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt. Ipse post Celsum biennij imperij in triumphum ductus, Lucaniæ correcturam, filióque veniam atque honorem senatorum cooptauit. Neque secus intra vrbem monetæ opifices deleti: qui cum autore felicissimo rationali nummariam notam corrosissent, pœnæ metu bellum, vsque eò graue, vti per Cœlium montem congressi, septem ferè millia bellatorum confecerint. His tot tantisque prosperè gestis, fanum Romę Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis: ac ne vnquam, quæ per Gallienum euenerant, acciderent, muris vrbem quàm validissimis laxiore ambitu circumsepsit: simúlque vsus porcinæ carnis, quo plebi Romanæ affatim cæderet, prudenter magnificéque prospectauit: deletæque fiscales & quadruplatorum, quæ vrbem miserabiliter affecerant, calumnię, consumptis igni tabulis monumentísque huiuscemodi negotiorum: atque ad Græciæ morem decreta abolitione, inter quæ auaritiæ peculatum, prouinciarum prædatores, contra morem militarium, quorum è numero erat, immane quantum spectabantur. Qua causa ministri scelere, cui secretorum officium crediderat, circumuentus, apud Cœnofrurium interiit: cùm ille prædæ conscientia delictique, scripta callidè composita Tribunis, quasi per gratiam prodidisset, quibus interfici iubebantur: illique eo metu accensi facinus patrauere. Interea milites, omisso Principe, legatos statim Romam dimittunt, vti suopte arbitratu Patres Imperatorem deligerent: quibus hoc ipsorum potissimum conuenire munus respondentibus, rursum legiones ad eos reiiciunt. Ita vtrinque pudore ac modestia decertab

Bella ex metu pœnæ à subditis excitata, sunt periculosissima.

Onera populi oppressi leuanda.

Seueri principes, resp. deliciis & fraudibus eneruatæ vtiles, malis exosi.

certab

certabatur, rara in hominibus virtutę, rebus præsertim huiusmodi, ac prope ignota militibus. Tantùm ille vir seueritate atque incorruptis artibus potuit, vt eius necis autoribus exitio, prauis metui, simulationi dubiis, optimo cuique desiderio, nemini insolentiæ aut ostentationi esset: atque etiam soli, quasi Romulo, interregni species obuenit, longè verò gloriosior. Quod factum præcipuè edocuit, cuncta in orbis modo verti, nihilque accidere quod rursum naturæ vis ferre nequeat æui spatio: adhæc virtutibus principum res attolli facilè, vel afflictas, eásque firmiores præceps, vitiis dari.

Præclarum certamen.

Elogium Aureliani.

Interregnū.

Vicissitudo rerum.

Principum exēpla sunt maximi momenti.

ZOSIMI

Tacitus, Florianus, & Probus.

BREVIARIVM.

1 *Taciti breue imperium, & mors.*

2 *Imperium diuisum, cuius partem Florianus occupat, & paulò post interficitur.*

3 *Probus, imperio potitus Aureliani & Taciti interfectores supplicio afficit: seditiones in Syria & Britannia excitatas extinguit.*

4 *Bella Probi aduersus Germanos, Francos, Burgundos & Vandilos.*

5 *Motus in Isauria compescit: & varias gentes tumultuantes debellat, & gladiatores seditiosos opprimit.*

TACITO Romanum imperium consequuto, Scythæ transiecta palude Mæotide, per Pontum ad Ciliciam vsque sita incursionibus vexarunt: quos adgressus Tacitus, partim ipse debellatos ad internecionem

1 *Bella Taciti adu. Scythas.*

deleuit, partim Floriano designato prætorij præfecto debellandos tradidit, & in Europam contendit: vbi lapsus in insidias ex huiusmodi caussa necatur. Maximinum, propinquum suum, Syriæ cum potestate præfecerat. Is erga Principes in repub. viros asperrime se gerens, inuidiam pariter & metum in eis excitauit: quæ quum odium peperissent, in insidias quod reliquum erat, desiit: quarum in societatem admissis illis qui Aurelianum necauerant, Maximinum adgressi trucidant, & persequuti mouentem castra Tacitum, interficiunt.

Præfecti culpâ Tacitus occisus.

2 HINC ad tumultum ciuilem res redierunt, aliis in oriente *Probum* Imperatorem deligentibus, aliis Romæ constitutis Florianum. Ac Probus quidem obtinebat Syriam, & Phœnicen, & Palæstinam, & Aegyptum vniuersam: sitas verò à Cilicia regiones ad Italiam vsque, Florianus. Eidem & transalpinæ nationes parebant, Galli & Hispani, cum insula Britannica: prætereáque omnis Africa cum Mauritanis gentibus. Ambobus ad bellum instructis, Tarsum Florianus veniens, ibidem castra locanda statuit, victoria contra Scythas in Bosporo semiperfecta relicta. qua re factum est vt iam circumsessis ad sua redeundi copiam concederet. Cæterùm Probo bellum terente, veluti qui longè minoribus illud copiis susceperat, per æstatem magno quodam æstu Tarsi exorto, qui erant in castris Floriani milites caloris insueti, quòd maior exercitus pars ex Europa foret, diro morbo peribant. quo cognito, Probus in tempore tentandum hostem statuit. Floriani militibus etiam vltra vires egressis, velitationes quidem antè vrbem fiebant: sed quòd nihil dignum commemoratione gestum fuisset, diremptis exercitibus accedentes quidam, qui Probo militabant, imperio Florianum abdicant. quo facto, ad tempus aliquod custoditus fuit: sed quum sui dicerent

Florianus imperat in oriente.

Scythas in Bosporo bello fatigat.

Exercitum nimio calore afflictum amittit.

Vnde inclinatio rerū.

rent,non hoc de Probi factum sententia, purpuram Florianus iterum sumpsit, donec reuersi qui significarent quid reapse Probus de ipso statueret, à suis Florianum interfici curarunt.

Et tandem ipsius Floriani interitus.

3 PROBVS imperio potitus, dum mouet vlterius, exordium actionum pro republica suarum dedit facinus sanè laudabile. Nam de iis qui Aurelianum occiderant, & Tacito insidias fecerant, supplicium sumere decreuit. Sed palam quidé id quod facere deliberauerat, non facit, metuens ne quid ea res turbarum daret: verùm turma quadam militum constituta, quorum fidei rem commisisset, ad epulum cædis auctores inuitat. Posteaquam hac illi spe conuenissent vt mensæ Imperatoris adhiberentur, in pergulam quamdam secessit Probus, de qua conspici res peragenda posset, ac signum facinori perpetrando destinatis dedit. Hi verò inermes eos adorti qui conuenerant, omnes, excepto dumtaxat vno, peremerunt: quem non multo pòst comprehensum, velut auctorem periculi, viuum igni cremauit.

Probus verè probus princeps, imperium à laudabili facto inchoat & laude dignũ reddit, nefariis parricidis prudenter de medio sublatis.

His rebus à Probo gestis, Saturninus, genere Maurus, Imperatori maximè familiaris, & cui propter hanc ipsam caussam administratio Syriæ credita fuerat, ab Imperatoris fide discessit, & de rebellione cogitare cœpit. quod vbi Probus audiuisset, & ornatum eius reprimendum statuisset, orientales eum milites anteuerterunt, rebellione cum ipso Saturnino extincta. Sopiuit & aliam seditionem in Britannia concitatam, idque per Victorinum genere Maurum, cuius hortatu perduellem istum Britanniæ præsidem fecerat. Nam quum ad se Victorinum arcessiuisset, eúmque de consilio dato reprehendisset, delictum illud correcturum ablegat. Victorinus in Britanniam statim profectus, sollerti commento perduellem interficit.

Deinde seditionem à Saturnino excitatã cũ ipso authore extinguit. Principiis maturè obstandum.

Et aliam in Britannia.

Remedia applicent qui morbos inuexerunt.

4 HIS ita gestis vt diximus, victoriis Probus

Bella Probi

contra Germanos. etiam aduersus barbaros potitus est, duobus bellis confectis, quorum alteri ipsemet interfuit, alteri ducem quemdam præfecit. Et quoniam ciuitatibus Germanicis quæ a vicinis Rheno barbaris infestabantur, necessariò subueniendum erat: Rhenum versus ipsemet cum copiis mouit. Occepto bello, quum *Fames, miraculo leuata.* fames omnibus in locis ingruisset: immensus imber delapsus, vna cum guttis frumentum quoque detulit: adeo quidem vt eius acerui quibusdam in locis per se construerentur. Omnibus ad rem nouam & *Noua & inaudita res animos percellit.* incredibilem obstupefactis, initio quidem frumentum attingere, ac famis eo remedio vti non audebant: verùm vbi necessitas omni metu valentior vrgeret, panes coquebant, eisque vescentes, simul & famem pellebant, & Imperatoris fortuna, in eo bello superiores nullo prope negotio discedebant. Alia quoque bella leui labore confecit. Acres etiam pu- *Pugna contra Logiones.* gnas commisit, primùm contra Logiones, nationem Germanicam: quibus deuictis, quum Semnonem eorum ducem cum filio viuum in potestatem redegisset, supplices factos in fidem recepit, & captiuis omnique præda recuperata, quam habebant, certis eos condicionibus dimisit; ipso quoque cum filio *Et contra Frācos, Burgundos & Vandilos.* Semnone reddito. Alterum contra Francos prælium pugnauit: quibus opera ducum strenuè victis, ipse cum Burgundorum Vandilorúmque copiis dimicauit. Quúmque vires suas inferiores videret, partem quamdam ab hostibus auellere cogitabat, *Principis fortuna.* & cum ea prælio decernere. Qua in re consilio principis fortuna non defuit. quum enim exercitus vtramque fluminis ripam occupassent, barbaros in aduersa ripa castra metatos ad pugnam Romani *Romanorū prudens audacia & fortitudo.* prouocabant. Hac illi re perciti, quotquot sanè poterant transiiciebant, signisque collatis barbari partim cædebantur, partim viui Romanorum in potestatem veniebant. Reliqui, quum pacem ea lege petiissent

tiissent vt prædam cum captiuis quos habebant red derent, impetrato quod postulauerant, non omnia restituerunt. Quamobrem indignatus Imperator, discedentes adortus, merito supplicio multauit, ipsis trucidatis, & Igillo duce capto. Quotquot autem viuos in potestatem redigere poterat, in Britanniam misit: qui sedes ea in insula nancti, quoties deinde seditionem aliquis moliretur, vtiles Imperatori fuerunt.

Perfidia castigata.

Colonia vnde.

5 His bellis ita propter Rhenum ab eo gestis, operæpretium fuerit ne illa quidem silentio præteriri quæ id temporis Isauri patrarunt. Lydius quidam, Isaurus natione, consuetis latrociniis innutritus, agmine hominum sibi similium comparato, totam Pamphyliam atque Lyciam populabatur. Quum autem milites ad capiendos latrones coiuissent, quòd Lydius exercitui Romano se non posset opponere, Crymnam adiit, oppidum Lyciæ, situm in loco prærupto, & ex parte fossis profundissimis munitum. Ibi compluribus repertis qui eo velut ad tutum murisque cinctum locum confugerant, posteaquam Romanos intentos obsidioni, moram eius fortiter ferre conspexit: ædificiis dirutis, solum frumentarium fecit, & frumentum serens, iis qui erant in oppido victum parabat. Sed quòd eam multitudinem ingenti annona videret egere, quidquid erat ætatis inutilis, tam mares, quàm feminas, eiectos oppido dimisit. Quum hostes perspecto aduersarij consilio, rursus eiectos in oppidum cogerent, in ambientes oppidum fossas præcipitatos perdidit. Meatu autem operis admirandi ad oppido versus exteriora ducto, & vltra hostium castra porrecto, per eum ex oppido quosdam emittebat, qui pecora cæteráque alimenta raperent. atque hinc commeatum obsessis ex interuallo satis copiosum suppeditabat: donec id hostes mulieris cu-

Motus in Isauria quomodo repressi sint.

Autor seditionis.

Qua ratione sibi suisque consulit.

Seditiosi in dies, & pro ut occasio fert, bella protrahunt.

Nihil crudele non audent, vt se tueantur.

Astutè agunt.

Proditores produntur, nec tamen animos despondent: sed extrema quæque patiuntur.

At tandem suis sceleribus exitium sibi accersunt.

Suis enim, vel maxime necessariis parcere nesciunt.

Vnde in eos conspiratio.

Quam felix euentus subsequitur.

iusdam indicio deprehenderunt. Verùm ne sic quidem animum despondebat Lydius, sed vinum paullatim suis adimebat, & frumenti eis solito minus admetiebatur. Hoc quoque modo deficientibus alimentis, ad eam necessitatem redactus est vt omnes quotquot erant in oppido, perderet: exceptis hominibus sibi necessariis & idoneis, qui ad oppidi præsidium sufficere viderentur. Retinuit & mulieres nonnullas, quas ad vsum naturæ necessarium communes omnibus esse iussit. Qúumque constanter aduersus quoduis periculum dimicare constituisset, post istæc omnia tale quiddam accidit. Erat cum eo quidam qui & machinas conficere nouerat, & machinis emittere tela singulari cum dexteritate poterat: adeo quidem vt quoties Lydius aduersus aliquem ex hostibus telum emittere iuberet, à scopo non aberraret. Huic ergo quum imperasset vt quendam ex aduersariis vulneraret, isque telo emisso aberrasset, vel casu fortuito, vel data opera: veste nudatum flagris miserè cæcidit, mortem præterea comminatus. Ille, tum propter verbera succensens, tum nimis territus, oblato tempore semet ex oppido subducit. Quum quosdam in milites incidisset, & quidquid egisset ac perpessus esset iis exposuisset, quamdam in muro fenestram monstrauit, per quam Lydius quidquid in castris gereretur speculari consuerat. Per eam more suo prospectantem telo se petiturum pollicebatur. Ob hanc caussam quum dux eius expeditionis hominem ad se recepisset, constituta machina, nonnullisque collatis ante se, per quos occultaretur, ne ab hostibus conspici posset, Lydium per foramen illud prospectantem intuitus, emisso telo vulnere lethali percutit. Ille quum post acceptum vulnus in quosdam ex suis crudeliter deſæuiisset, ac iureiurando superstites obstrinxisset, obsidioni nullo modo cessuros, vix tandem expirauit

uit. Qui erant in oppido, non ferentes amplius obsidionem, exercitui se dediderunt. atque hunc finem latrocinium illud habuit. Quum autem & Ptolemais, in Thebaide sita, defecisset ab Imperatore, bellúmque perexiguum ad tempus duraturum suscepisset: tam ipsam, quam socios belli Blemmyas Probus opera ducum suorum ad deditionem compulit. Basternas, gentem Scythicam, quæ illi se subiecit, in Thracia sedibus concessis reliquit. Hi Romanorum moribus atque legibus constanter vsi sunt. Itidem quum Franci ad Imperatorem accessissent, & ab eo sedes obtinuissent: pars eorum quædam defectionem molita, magnámque nauium copiam nancta, totam Græciam conturbauit. In Siciliam quoque delata, & vrbem Syracusanam adorta, magnam in ea cædem edidit. Tandem quum & in Africam adpulisset, ac reiecta fuisset; adductis Karthagine copiis, nihilo minus domum redire, nullum passa detrimentum, potuit. Hoc quoque Probo imperante contigit. Gladiatores numero ad octoginta, conspiratione facta, custodibúsque suis interemptis, in vrbem progressi, quidquid offerretur, deripiebant: multis (vt fieri solet) eorum numero permistis. Verùm & illos Imperator missis copiis excidit. His rebus à Probos gestis, qui & præclarè ac iustè administrauit imperium,

Sublato autem seditionis capite membra collabuntur.

Varia Probi bella, feliciter gesta.

Et gladiatores tumultuantes excisi.

Probi elogium.

* * *

Reliqua desiderantur.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII.

Tacitus.

BREVIARIVM.

1 *Interregnum in Repub. Rom. post Romuli & Aureliani obitum. Cur exercitus ad Senatum, & Senatus ad exercitum de principe Aureliani successore legendo rem detulerit.*

2 *Quomodo Tacitus creatus sit Imperator. Acclamationes Senatus. Metii Falconii Nicomachi oratio gratulatoria ad Senatum, & ad Tacitum petitoria.*

3 *A populo, exercitu & Senatu Tacitus receptus, breues grauísque de principis officio habet orationes.*

4 *Taciti Imperatoris statuta, & modestia. Cornelii Taciti historici memoriam maximis afficit honoribus. Eiusdem liberalitas, temperantia, vigilantia, securitas aduersus interfectores Aureliani, bellum & mors.*

1 Interregnũ post Romuli & Aureliani excessum.

QVOD post excessum Romuli nouello adhuc Romanæ vrbis imperio factum pontifices, penes quos scribendæ historiæ potestas fuit, in literas retulerunt, vt interregnum, dum post bonum principem bonus alius quæritur, iniretur, hoc post Aurelianum, habito inter senatum exercitúmque Romanum non inuido, non tristi, sed grato religiosóque certamine sex totis mensibus factum est. Multis tamen modis hęc ab illo negotio causa separata est. Iam primùm enim quum interregnum initum est post Romulum, interreges tamen facti sunt. Totúsque ille annus per quinos & quaternos dies siue ternos

In quo prius illud à posteriori differat.

nos

nos centum senatoribus deputatus est, ita vt qui valerent, interreges essent singuli duntaxat. Quare factum est vt & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub æquali dignitate Romani expers remaneret imperij. Huc accedit quod etiam sub consulibus tribunisque militaribus præditis imperio consulari, siquando interregnum initum est, interreges fuerunt. Nec vnquam ita vacua fuit hoc nomine Romana respub. vt nullus interrex biduo saltem triduóve crearetur. Video mihi posse obiici, curules magistratus apud maiores nostros quadriennium in rep. non fuisse: sed erant tribuni plebis cum tribunitia potestate, quæ pars maxima regalis imperij est: tamen non est proditum, interreges eo tempore non fuisse. Quinetiam verioribus historicis referentibus declaratum est, consules ab interregibus prius creatos, qui haberent reliquorum comitia magistratuum. Ergo, quod rarum & difficile fuit, S. P. Q. R. perpessus est vt Imperatorem per sex menses, dum bonus quæritur, respub. non haberet. Quæ illa concordia militum? quanta populo quies? quam grauis senatus autoritas fuerit? Nullus vsquam tyrannus emersit: sub iudicio senatus & militum populique Romani totus orbis est temperatus: non illi principem quenquam, vt rectè facerent, non tribunitiam potestatem formidabant, sed (quod est in vita optimum) se timebant. Dicenda est tamen causa tam felicium morarum, & speciatim monumentis publicis inserenda ea in posteros humani generis stupenda moderatio: vt discant qui regna capiunt, non raptum ire imperia sed mereri. Interfecto sanè fraude Aureliano, vt superiore libro scriptum est, calliditate serui nequissimi, errore militarium, *vt apud quoslibet commenta plurimum valent, dummodo irati audiant, plerunque temulenti, certè consiliorum propè semper expertes*, reuersis ad bonam mentem om-

Obiectionis dilutio.

Posterius interregnū rarum.

Et felix.

Vnde illa felix mora.

Error & nequitia insipientiores malis edoctos aliquando meliora cupere cogit.

nibus, eiſdémque ab exercitu grauiter confutatis: cœptum eſt quæri, & quis fieri deberet ex omnibus princeps. Tunc odio præſentium, exercitus qui crea re Imperatorem raptim ſolebat, ad ſenatum literas miſit, de quibus priore libro iam dictum eſt, petens vt ex ordine ſuo principem legerent. Verùm ſenatus ſciens lectos a ſe principes militibus non placere, rem ad milites retulit, Dúmque id ſæpius fit, ſextus peractus eſt menſis.

3. *Ceremonia obſeruatu digna in Imper. electione.*

2 INTEREST tamen vt ſciatur quemadmodum Tacitus Imperator ſit creatus. Die ſeptimo Calend. Octobr. quum in curiam Pompilianam ordo ampliſſimus conſediſſet, Velius Cornificius Gordianus coss. dixit, *Referimus ad vos P.C. quod ſæpe retulimus. Imperator eſt deligendus: exercitus ſine principe rectè diutius ſtare non poteſt, ſimul quia cogit neceſſitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupiſſe dicuntur, occupaſſe vrbes validas, nobiles, diuites, & potentes. Iam ſi nihil de Perſicis motibus nuntiatur, cogitate tam leues eſſe mentes Syrorum vt regnare vel fœminas cupiant potius quàm noſtram perpeti ſanctimoniam. Quid Africam? Quid Illyricum? Quid Aegyptum, earúmque omnium partium exercitum, quouſque ſine principe credimus poſſe conſiſtere? Quare agite P. C. & principem dicite: aut accipiet eum exercitus quem elegeritis: aut ſi refutauerit, alterum faciet.*

Conſulis denunciatio.

4. Poſt hæc quum Tacitus, qui erat primæ ſententiæ conſularis, ſententiam incertum quam vellet dicere, omnis ſenatus acclamauit, *Tacite Auguſte, dii te ſeruent. te deligimus, te principem facimus, tibi curam reipub. orbiſque mandamus. Suſcipe imperium ex ſenatus autoritate: tui loci, tuæ vitæ, tuæ mentis eſt quod mereris. Princeps ſenatus rectè Auguſtus creatur, primæ ſententiæ vir rectè Imperator creatur. Et quis melius quàm grauis imperat? & quis melius quàm literatus imperat? Quod bonum, fauſtum, ſalutaréque ſit, diu priuatus fuiſti. Scis quemadmodum debeas imperare qui alios principes pert*

Senatus acclamationes

pertulisti. Scis quemadmodum debeas imperare, qui de aliis principibus iudicasti. At ille, *Miror P.C. in locum Aureliani fortissimi Imperatoris senem velle principem facere. En membra quæ iaculari valeant; quæ hastile torquere, quæ clypeis intonare, quæ ad exemplum docendi milites frequenter equitare. Vix munia senatus implemus, vix sententias, ad quas nos locus arctat, edicimus. Videte diligentius quam ætatem de cubiculo atque vmbra in pruinas æstúsque mittatis. An probaturos senem Imperatorem milites creditis? Videte ne resp. non eum quem velitis principem detis: & mihi hoc solum obesse incipiat quòd me vnanimiter delegistis.* Post hæc acclamationes senatus hæ fuerunt. *Et Traianus ad imperium senex venit* (dixerunt decies) *Et Adrianus ad imperium senex venit* (dixerunt decies) *Et Antoninus ad imperium senex venit* (dixerunt decies) *Et tu legisti*, incanáque menta Regis Romani (dixerunt decies) *Et quis melius quàm senex imperat?* (dixerunt decies) *Imperatorem te, non militem, facimus;* (dixerunt vicies) *Tu iube milites pugnent.* (dixerunt tricies) *Habes prudentiam & bonum fratrem.* (dixerunt decies) Seuerus dixit, *Caput imperare non pedes.* (dixerunt tricies) *Animum tuum non corpus eligimus.* (dixerunt vicies) *Tacite Auguste, dii te seruent.* Deinde omnes interrogati: præterea qui post Tacitum sedebat senator consularis Metius Falconius Nicomachus in hæc verba disseruit, *Semper quidem P.C. rectè atque prudenter resp. magnificus hic ordo consuluit, neque à quoquam orbis terræ populo solidior vnquam expectata sapientia est: attamen nulla vnquam neque grauior, neque prudentior in hoc sacrario dicta sententia est. Seniorem principem fecimus, & virum qui omnibus quasi pater consulat. Nihil ab hoc immaturum, nihil properum, nihil asperum formidandum est. Omnia seria, cuncta grauia, & quasi ipsa resp. iubeat, auguranda sunt. Scit enim qualem sibi principem semper optauerit: nec potest aliud nobis exhibere quàm quod ipse desiderauit & voluit. Enimuero si recolere velitis*

Electi Imperatoris excusatio.

Iterata Senatus acclamationes & responsiones ad electi obiecta.

5.

Omnium interrogatio.

6.

Metij Falconij oratio gratulatoria ad senatum.

Virtutes Taciti depictæ

A comparatis, senis principis principatum utilem futurum demonstrat.

vetusta illa prodigia, Nerones dico & Heliogabalos, & Commodos, seu potius semper Incommodos, certè non hominum magis vitia illa quàm ætatum fuerunt. Dii auertant principes pueros, & patris patriæ dici impuberes: & quibus ad subscribendum magistri literarii manus teneant: quos ad consulatus dandos dulcia & circuli, & quæcunque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malum, ratio est habere Imperatorem qui famam curare non nouerit: qui quid sit respub. nesciat, nutritionem timeat, respiciat ad nutricem, manuum magistralium ictibus terrorique subiaceat: faciat eos consules, duces, iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit? Sed quid diutius P.C. protrahor? magis gratulemur quòd habemus principem senem, quàm illa iteremus quæ plusquam lacrymanda tolerantibus extiterunt. Gratias igitur diis immortalibus ago atque habeo, & quidem pro vniuersa rep. teque Tacite Auguste conuenio, petens, obsecrans, liberè pro communis patriæ legibus deposcens ne paruulos tuos, si te citius fata præuenerint, facias Romani hæredes imperii: ne sic remp. patresque conscriptos populúmque Romanum, vt villulam tuam, vt colonos tuos, vt seruos tuos relinquas. Quare circumspice, imitare Neruas, Traianos, Adrianos. Ingens est gloria morientis principis rempub. magis amare quàm filios.

Peroratio artificiosa.

Ad Tacitũ petitoria & pathetica oratio.

Eloquentiæ mirus effectus.

Ceremoniæ in receptione Imperatoris.

Populi, cui offertur, acclamationes

3 Hac oratione & Tacitus ipse vehementer est motus, & totus senatorius ordo concussus: statímque acclamatum est, *Omnes, Omnes.* Inde itum ad campum Martium: ibi comitiale tribunal ascendit: ibi præfect. vrbis Aelius Cesetianus sic loquutus est, *Vos sanctissimi milites, & sacratissimi vos Quirites, habetis principem quem de sententia omnium exercituum senatus elegit: Tacitum dico augustissimum virum, vt qui hactenus sententiis suis remp. iuuit, nunc iuuet iussis atque consultis.* Acclamatum est à populo, *Felicissime Tacite Auguste, dii te seruent,* & reliqua quæ solent dici. Hoc loco tacendum non est plerosque in literas retulisse, Tacitum absentem & in Campania positum, principem

cipem nuncupatum: quod verum est, nec dissimulare possum. Nam quum rumor emersisset illum Imperatorem esse faciendum, discessit, atque in Baiano duobus mensibus fuit. Sed inde deductus huic senatusconsulto interfuit, quasi vere priuatus, & qui verè recusaret imperium. Ac nequis me Græcorum alicui vel Latinorum existimet temere credidisse, habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librum elephãtinum, in quo hoc S.C. perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc S.C. quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur. Inde ad exercitus profectus: ibi quoque quum primùm tribunal ascendit, Mesius Gallicanus præfect. præt. in hæc verba disseruit, *Dedit sanctissimi commilitones senatus principem quem petiistis: paruit præceptis & voluntati castrensium ordo ille nobilissimus. Plura mihi apud vos præsente Imperatore non licet loqui. Ipsum igitur qui tueri nos debet, loquentem dignanter audite.* Post hoc Tacitus Augustus dixit, *Et Traianus ad imperium senex venit, sed ille ab vno deductus est: at me, sanctissimi commilitones, primùm vos qui scitis principes approbare, deinde amplissimus senatus dignum hoc nomine iudicauit: curabo, enitar, efficiam ne vobis desint, si non fortia facta, at saltem vobis atque Imperatore digna consilia.*

De Taciti timida modestia digressio.

Senatusconsulta de principatu diligenter adseruata.

Exercitui Imperator offertur, ad quẽ habet orationem.

Post hoc stipendium & donatiuum ex more promisit, & primam orationem ad senatum talem dedit, *Ita mihi liceat P.C. sic imperium regere vt à vobis me constet electum, vt ego cuncta ex vestra facere sententia & potestate decreui. Vestrum est igitur ea iubere atque sancire quæ digna vobis, digna modesto exercitu, digna populo Romano esse videantur.*

Et ad Senatum.

4 In eadem oratione Aureliano statuam auream ponendam in capitolio decreuit, item statuam argenteam in curia, item in templo Solis, item in foro diui Trajani. Sed aurea non est posita: dedicatæ autem sunt solæ argenteæ. In eadem oratione cauit

Noui Imperatoris statuta, quæ remp. decẽt.

vt ſiquis argento publicè priuatímque æs miſcuiſſet, ſiquis auro argentum, ſiquis æri plumbum, capitale eſſet cum bonorum proſcriptione. In eadem oratione cauit vt ſerui in dominorum capita non interrogarentur, ne in cauſa maieſtatis quidem. addidit, vt Aurelianum omnes pictum haberent. Diuorum templum fieri iuſſit, in quo eſſent ſtatuæ principum bonorum, ita vt iiſdem natalibus ſuis, & parilibus, & calend. Ianuariis & votis, libamina ponerentur. In eadem oratione fratri ſuo Floriano conſulatum petiit, & non impetrauit, idcirco quòd iam ſenatus omnia nundina ſuffectorum cōſulum clauſerat. Dicitur autem multum lætatus ſenatus libertate, quòd ei negatus eſt conſulatus quem fratri petierat. Fertur denique dixiſſe, *Scit ſenatus quem principem fecerit.* Patrimonium ſuum publicauit quod habuit in reditibus, H-S. bis millies octingenties. Pecuniam quam domi collegerat, in ſtipendium militum vertit, Togis & tunicis iiſdem eſt vſus quibus priuatus. Meritoria intra vrbem ſtare vetuit: quod quidem diu tenere non potuit. Thermas omnes ante lucernam claudi iuſſit, nequid per noctem ſeditionis oriretur, *Cornelium Tacitum*, ſcriptorem hiſtoriæ auguſtæ, quòd parentem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iuſſit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in euicis archiis iuſſit, & in bibliothecis poni. Holoſericam veſtem viris omnibus interdixit. Domum ſuam deſtrui præcepit, atque in eo loco thermas publicas fieri priuato ſumptu iuſſit, columnas centum Numidicas pedum vicenûm ternûm Hoſtienſibus donauit. De proprio poſſeſſiones quas in Mauritania habuit, ſartis tectis capitolij deputauit. Argentum menſale quod priuatus habuerat, miniſteriis conuiuiorum, quæ in templis fierent, dedicauit. Seruos vrbanos omnes manum

De Floriano fratre ſollicitus repulſam patitur & moderatè fert.

10

Corn. Tacitus factus ex diuinus, poſtea verò in bibliothecis crudeliter mulctatus à ſciolorum & indoctorum factione.

manumisit vtriusque sexus, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur. Ipse fuit vitæ parcissimæ, ita vt sextarium vini tota die nunquam potauerit, sæpe intra heminam. Cóuiuium verò vnius gallinacei, ita vt sinciput adderet & oua. Præ omnibus oleribus affatim ministratis, lactucis impatienter indulsit. somnum enim se mercari illa sumptus effusione dicebat. Amariores cibos appetiuit. Balneis rarò vsus est, atque validior fuit in senectute. Vitreorum diuersitate atque operositate vehementer est delectatus. Panem nisi siccum nunquam comedit, eundémque sale atque aliis rebus conditum. Fabricarum peritissimus fuit, marmorum cupidus, nitoris senatorij, venationum, studiosus. Mensam denique suam nunquam nisi agrestibus opimauit. Fasianam auem, nisi suo & suorum natali & diebus festissimis, non posuit. Hostias suas semper domum reuocauit, iisdémque suos vesci iussit. Vxorem gemmis vti non est passus. Auroclauatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse autor Aureliano fuisse perhibetur vt aurum à vestibus & cameris & pellibus submoueret. Multa huius feruntur, sed longum est ea in literas mittere. Quòd siquis omnia de hoc viro cupit scire, legat Suetonium Optatiannm qui eius vitam affatim scripsit. Legit sanè senex minutulas literas ad stuporem: nec vnquam noctem intermisit qua non aliquid vel scriberet vel legeret, præter posterum calendarum diem. Nec tacendum est, & frequenter imitandum, tantam senatus lætitiam fuisse quòd eligendi principis cura ad ordinem amplissimum reuertisset, vt & supplicationes decernerentur, & hecatombe promitteretur à singulis: denique senatores ad suos scriberent, nec ad suos tantùm, sed etiam ad externos. Mitterentur præterea literæ ad prouincias, vt scirent omnes socij omnésque nationes in antiquum statum rediisse

Vita Taciti consideratio

Studia.

Temperantia.

Quem historicum (temporis iniuria obrutũ) nactus sit.

Senatus lætitia, post Taciti legitimã electionem.

Nec immerito: nulla enim lætitia, nisi leges vigeant.

rempubl. ac senatum principes legere, imò ipsum senatum principem factum: leges à senatu petendas, reges barbaros senatui supplicaturos: pacem ac bella senatu autore tractanda. Nequid denique deesset cognitioni, plerasque huiusmodi epistolas in fine libri posui, & cum cupiditate & sine fastidio, vt existimo, perlegendas. Et prima quidem illi cura Imperatoris facti hæc fuit, vt omnes qui Aurelianum occiderant, interimeret, bonos malósve, quum iam ille vindicatus esset. Et quoniam à Mœotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilio atque viribus, vt eò redirent, compulit. Ipsi autem Mœotidæ ita congregabantur, quasi accitu Aureliani ad bellum Persicum conuenissent, auxilium daturi nostris, si necessitas postularet. Quum Tullius dicat, magnificentius esse dicere quemadmodum ceperit consulatum: at in isto viro magnificum fuit quòd tanta gloria cepit imperium. Gessit autem propter breuitatem temporum nihil magnum. Interemptus est enim insidiis militaribus, vt alij dicunt, sexto mense: vt alij, morbo interiit. Tamen constat, factionibus eum oppressum, mente atque animo defecisse. Hic idem mensem Septembrem *Tacitum* appellari iussit, idcirco quòd eo in mense & natus & factus est Imperator. Huic frater Florianus imperio successit, de quo pauca ponenda sunt.

Iusta Taciti seueritas.

Bellū adu. barbaros.

Mors.

Successor.

FLAV

FLAVII VOPISCI SYRACVSII.

Florianus.

BREVIARIVM.

1 *Floriani breue imperium, mors cruenta, mores. Aruspicum responsum de imperii gloria & dignitate in familia Taciti & Floriani.*

2 *Principatus & mortis Taciti omina, Epistolæ quæ gaudia Senatus creato Tacito principe testantur.*

HIc frater Taciti germanus fuit, qui post fratrem arripuit imperium, non senatus autoritate, sed suo motu, quasi hæreditarium esset imperium: quum sciret adiuratum esse in senatu Tacitum, vt quum mori cœpisset, non liberos suos, sed optimum aliquem principem faceret. Denique vix duobus mensibus imperium tenuit, & occisus est Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. Tantus autem Probus fuit in re militari, vt illum senatus optaret, miles eligeret, ipse populus Rom. acclamationibus peteret. Fuit etiam Florianus morum fratris imitator, nec tamen vsquequaque. Nam effusionem in eo frater frugi reprehendebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas aliis eum moribus ostendit fuisse quàm fratrem. Duo igitur principes vna extiterunt domo: quorum alter sex mensibus, alter vix duobus imperauerunt, quasi quidam interreges inter Aurelianum & Probum, post interregnum principes nuncupati. Horum statuæ fuerunt Interamnæ duæ pedum tricenûm ex marmo-

1 Infirmum est imperium quod imperantis motu rapitur.

Præcipuè verò quum princeps melior apparet

Tacitus & Florianus quasi quidã interreges.

2

Horũ ſtatuæ fulminis violentia contrita.

re, quòd illic eorum cenotaphia conſtituta ſunt in ſolo proprio: ſed deiectæ fulmine, ita contritæ ſunt vt membratim iaceant diſſipatæ, quo tempore reſponſum eſt ab aruſpicibus quandoque ex eorum familia Imperatorem Romanum futurum, ſeu per fœminam, ſeu per virum, qui det iudices Parthis ac Perſis: qui Francos & Alemanos ſub Romanis legibus habeat: qui per omnem Africam barbarum non relinquat: qui Taprobanis præſidem imponat: qui adRomanam inſulam proconſulem mittat: qui Sarmatis omnibus iudicet: qui terram omnem quam oceanus ambit, captis omnibus gentibus, ſuam faciat: poſtea tamen ſenatui reddat imperium, & antiquis legibus viuat ipſe victurus annis cxx, & ſine hærede moriturus. Futurum autem eum dixerunt à die fulmine præcipitatis ſtatuíſque confractis poſt annos mille. Non magna hæc vrbanitas aruſpicum fuit, qui principem talem poſt mille annos futurum eſſe dixerunt? quia ſi poſt cẽtum annos prædicerent fore, poſſent eorum deprehendi mendacia, quum vix remanere talis poſſit hiſtoria. Ego tamen idcirco hæc inſerenda volumini credidi ne quis me legens legiſſe non crederet. Tacitus congiarium populo Romano intra ſex mẽſes vix dedit. Imago eius poſita eſt in Quintiliorum in vna tabula quincuplex, in qua ſemel togatus, ſemel chlamydatus, ſemel armatus, ſemel palliatus, ſemel venatorio habitu. De qua quidam epigrammatarius ita luſit, vt diceret, *Non agnoſco ſenem armatum, non chlamydatum inter cætera, ſed agnoſco togatum.* Et Floriani liberi & Taciti multi extiterunt: quorum ſunt poſteri credo milleſimum annum expectantes. In quos multa epigrammata ſcripta, quo iocati ſunt aruſpices imperium pollicentes. Hæc ſunt quæ de vita Taciti atque Floriani digna memoratu comperiſſe memini. Nunc nobis aggrediendus eſt Probus, vir domi foriſque

De ipſis aruſpicum reſponſa ambigua.

A Vopiſco irriſa.

Taciti breue imperiũ. Boni principes citò trãſeunt.

Imago togata venerabilis ob ſenectutẽ Taciti cui militaris habitus minimè conueniebat

risque conspicuus: vir Aureliano, Trajano, Adriano, Antoninis, Alexandro, Claudióque præferendus: nisi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuere: qui post Tacitum omnium iudicio bonorum Imperator est factus, orbémque terrarum pacatissimum gubernauit, deletis barbaris gentibus, deletis etiam plurimis tyrannorum, qui eius temporibus extiterunt: de quo dictum est vt Probus diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. Quem quidem multi ferunt Sibyllinis libris fore promissum: qui si diutius fuisset, orbis terræ barbaros non haberet. Hæc ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum aliquid sibi vindicaret, ne fatali necessitate absumptus Probo indicto deperirem.

Probi elogium.

Eius gestorum compendium.

Quantum ei addictus fuerit Vopiscus

2 NVNC claudam volumen, satisfactum arbitrans studio & cupiditati meæ. Omina imperij Tacito hæc fuerunt: Fanaticus quidam in templo Syluani tensis membris exclamauit, *Tacita purpura, tacita purpura.* (idque septimo) Quod quidem postea omini deputatum est. Vinum quo libaturus Tacitus fuerat in templo Herculis Fundani, subitò purpureum factum est. Vitis quæ vuas Amineas albas ferebat, eo anno quo ille imperium meruit, purpurascere plurima purpura cœpit. Mortis omina hæc fuerunt: Patris sepulcrum disruptis ianuis se aperuit, matris vmbra se per diem & Tacito & Floriano velut viuentis obtulit. nam diuersis patribus nati ferebantur: in larario dij omnes seu terræ motu, seu casu aliquo conciderunt. Imago Apollinis quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine cuiuspiam manu deprehensa est. Sed hæc sunt quæ à plerisque dicuntur. Nos ad Probum & ad Probi gesta insignia reuertemur. Et quoniam me promisi aliquas epistolas esse positurum quæ creato Tacito principe gaudia senatus ostenderent, his ad-

De Taciti principatu omina.

Primum.

Alterum.

Tertium.

Mortis omina varia.

Epistola quæ senatus gaudium (et merito, quid enim in rep. afflicta desiderabilius, laudato principe?) creato Tacito Imperatore testantur.

Ad curiam Carthaginiensem.

Ad curiam Treuirorũ.

Epistola priuata, de eodem negotio.

Alia epistola.

ditis, finem scribendi faciam. Epistolæ publicæ. *Senatus amplissimus curiæ Carthaginensi S. D. Quod bonum, faustum, felix salutaréque sit reipublicæ orbique Rom. dandi ius imperii, appellandi principis, nuncupandi Augusti, ad nos reuertit. Ad nos igitur referte quæ magna sunt. Omnis prouocatio præfecti vrbis erit: quæ tamen à proconsulibus & ab ordinariis iudicibus emerserit, in quo quidem etiam vestram in antiquum statum rediisse credimus dignitatem, siquidem primus hic ordo est qui recipiendo vim suam, ius suum cæteris seruat.* Alia epistola. *Senatus amplissimus curiæ Treuirorum. Vt estis liberi & semper fuistis, lætari vos credimus. Creandi principis iudicium ad senatum redit, simul etiam præfecturæ vrbanæ appellatio vniuersa decreta est.* Eodem modo scriptum est Antiochensibus, Aquileiensibus, Mediolanensibus, Alexandrinis, Thessalonicensibus, Corinthiis & Athe-

6. niensibus. Priuatæ autem epistolæ hæ fuerũnt. *Autronio, iusto patri, Autronius Tiberianus salutem. Nunc te pater sancte interesse decuit senatui amplissimo, nunc sententiam dicere, quum tantum autoritatis amplissimo ordini creuerit vt reuertat in antiquum statum respubl. & nos principes demus, nos faciamus Imperatores, nos denique nuncupemus Augustos. Fac igitur vt conualescas, curiæ interfuturus antiquæ. Nos recepimus ius proconsulare, redierunt ad præfectum vrbis appellationes omnium potestatum & omnium dignitatum.* Item alia. *Claudius Capellianus Cereio Metiano patruo S. Obtinuimus pater sancte quod semper optauimus: in antiquum statum senatus reuertit. Nos principes facimus, nostri ordinis sunt potestates. Gratias exercitui Romano & verè Romano: reddidit nobis quam semper habuimus potestatem. Abiice Baianos Puteolanósque secessus. Da te vrbi, da te curiæ. Floret Roma, floret tota resp. Imperatores damus, principes facimus: possumus & prohibere, qui cœpimus facere. Dictum sapienti sat est.* Longum est omnes epistolas connectere, quas reperi, quas legi. Tantùm illud dico, senatores omnes ea esse

esse lætitia elatos vt domibus suis omnes albas hostias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati sederent, conuiuia sumptuosiora præuenirent, antiquitatem sibi redditam crederent.

Maxima lætitiæ ob recuperatam libertatem argumenta.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII.

Probus.

BREVIARIVM.

1 *Cur Vopiscus Probi Imperatoris vitam & res gestas, quóque stilo scribere aggressus sit.*

2 *Probi stemma, probitas, tribunatus, bellica prudentia & fortitudo elogiis & præmiis decorata.*

3 *Aureliano, Claudio, Tacito, Imperatoribus, militibus item ob eximias virtutes percharus est.*

4 *Tacito exstincto fit Imperator exercitus & senatus summo consensu & applausu.*

5 *Belli & pacis artes egregiæ à Probo Imperatore fortiter & prudenter adimpletæ.*

6 *Varia eiusdem bella, pax cum Parthis & Persis, dimicationes aduersus tyrannos.*

7 *Peculiaria quædam gesta: triumphus, venatio, & spectacula. Mors Probi à militibus interempti, eiusdémque elogium.*

8 *Cum aliis Imperatoribus Probus princeps verè probus & desideratissimus confertur.*

I

CERTVM est quod Sallustius Crispus, quódque M. Cato & Gellius historicæ sententiæ modo in literas retulerunt, *omnes omnium virtutes tantas esse quantas videri eas voluerint*

Exordium Vopisci à gnoma, & apophth. Alexandri.

eorum ingenia qui vniuscuiusque facta descripserint. Inde esse quod Alexander Magnus Macedo, quum ad Achillis sepulcrum venisset, grauiter ingemiscens, *Felicem te*, inquit, *iuuenis, qui talem præconem tuarum virtutum reperisti*: Homerum intelligi volens, qui Achillem tantum in virtutum studio finxit quantum ipse valebat ingenio. Quorsum hęc pertineant mi Celse, ne fortassis requiras. Probum principem, cuius imperio oriens, occidens, meridies, septentrio, omnésque orbis partes in totam securitatem redactę sunt, scriptorum inopia iam penè nescimus. Occidit, pro pudor, tanti viri & talis historia qualem non habent bella Punica, non terror Gallicus, non motus Pontici, non Hispaniensis astutia. Sed non patiar ego ille, à quo dudum solus Aurelianus est expetitus, cuius vitam quantum potui persequutus, Tacito Florianóque iam scriptis, non me ad Probi facta conscendere: si vita suppetet, omnes qui supersunt vsque ad Maximianum Diocletianúmque dicturus. Neque ego nunc facultatem eloquentiámque polliceor, sed res gestas, quas perire non patior. 2 Vsus autem sum, ne in aliquo fallam charissimam mihi familiaritatem tuam, præcipuè libris ex bibliotheca Vlpia ætate mea thermis Diocletianis, item ex domo Tiberiana. Vsus etiam ex regestis scribarum porticus Porphyreticæ, actis etiam senatus ac populi. Et quoniam me ad colligenda talis viri gesta ephemeris Turduli Gallicani plurimum iuuit, viri honestissimi ac sincerissimi, beneficium amici senis tacere non debui. Cn. Pompeium tribus fulgentem triumphis, belli piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarúmque rerum gestarum maiestate sublimem, quis tandem nosset nisi eum M. Tullius & T. Liuius in literas retulissent? P. Scipionem Africanum, imò Scipiones omnes, seu Lucios, seu Nasicas, nónne tenebræ possiderent ac teger

Probus princeps inter alios eximius

Ideo à Vopisco posteritati consecratus.

Idque instrumentis idoneis.

Quod Vopiscus exequitur, laudatorum historicorum exemplo.

tegerent nisi commendatores eorum historici nobiles atque ignobiles extitissent? Longum est omnia persequi quę ad exemplum huiuscemodi etiam nobis tacentibus vsurpanda sunt. Illud tantùm contestatum volo, me & rem scripsisse, quam siquis voluerit honestius, eloquio celsiore demonstret. Et mihi quidem id animi fuit non vt Sallustios, Liuios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum & temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium, cæterósque qui hæc & talia non tam disertè quàm verè memoriæ tradiderunt. Sum enim vnus ex curiosis, quod infinita scire non possum, incendentibus vobis, qui quum multa sciatis, scire multo plura cupitis. & ne diutius ea quæ ad meum consilium pertinent loquar, magnum & præclarum principem & qualem historia nostra non nouit, arripiam.

Sed stilo tenuiore.

Idque ad aliorum imitationem.

Et ingenium suum sequutus.

2 PROBVS oriundus è Pannonia, ciuitate Sirmiensi, nobiliore matre quàm patre, patrimonio moderato, affinitate nō magna, tam priuatus quàm Imperator nobilissimis virtutibus claruit. Probo, vt quidam in literas retulerunt, pater nomine Maximus fuit: qui quum ordines honestissimè duxisset, tribunatum adeptus, apud Aegyptum vita functus est, vxore ac filio & filia derelictis. Multi dicunt Probum Claudij propinquum fuisse, optimi & sanctissimi principis: quod quia per vnum tantum Græcorum relatum est, nos in medio relinquemus. Vnum tamen dico quod in ephemeride legisse me memini, à Claudia sorore Probum sepultum. Adolescens Probus corporis moribus tam clarus est factus vt Valeriani iudicio tribunatum propè imberbis acciperet. Extat epistola Valeriani ad Gallienum, qua Probum laudat adhuc adolescentem, & imitationi

Probi stemma & nobilis probitas ab adolescētia. Sic summus rerum arbiter salutares principes veluti Solem orientem populis ostendit.

Valeriani iudicio fit tribunus, & merito quidem.

omnium proponit. Ex quo apparet *neminem vnquam peruenisse ad virtutum summam iam maturum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus aliquid inclytum designasset.* Epistola Valeriani. *Valerianus pater Gallieno filio, Augustus Augusto. Et meum sequutus iudicium, quod semper de Probo adolescente primò habui, & omnium bonorum qui eundem sui nominis virum dicunt, tribunatum in eum contuli, datis sex cohortibus Saracenis, creditis etiam auxiliaribus Gallis cum ea Persarum manu quam nobis Artabasses Syrus mancipauit. Te quæso fili charissime, vt eum iuuenem quem imitari pueros omnibus volo, in tanto habeas honore quantum virtutes eius & merita pro debito mentis, splendore desiderant.* Alia epistola de eodem ad præf. præt. cum salario. *Valerianus Augustus Muluio Gallicano præf. præt. Miraris fortassis, quòd ego imberbem tribunum fecerim contra constitutum diui Adriani. Sed non multum miraberis, si Probum cogitas adolescentem verè probum. Nunquam enim aliud mihi, quum eum cogito, nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomen. Huic igitur dari iubebis (quoniam mediocris fortunæ est) vt eius dignitas incrementis iuuetur, tunicas rufulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragaudias duas, patinam argenteam librarum decem specillatam, aureos Antonianos centum, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decem millia. Item in salario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sextarium vnum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino: salis, olerum, lignorum, quantum satis est. Hospitia præterea eidem vt tribunis legionum præberi iubebis.* Et hæc quidem epistolæ declarant. Nunc quantum ex ephemeride colligi potuit, quum bello Sarmatico iam tribunus, transmisso Danubio, multa fortiter fecisset, publicè in concione donatus est hastis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona ciuica vna, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus, torque

Quod etiam luculento eiusdem Valeriani iudicio confirmatur.

Iterato itē scripto.

Probum re & nomine non sine multa gloria agnoscente.

Veteris disciplinæ Romanæ militaris ratio.

Dona publica, ob strenuitatem militari tribuno Probo collata.

que aureo vno, patera sacrificali quinquelibri vna. Quo quidem tempore Valerium Flaccum, adolescentem nobilem, parentem Valeriani, e Quadorum liberauit manu: vnde illi Valerianus coronam ciuicam detulit. Verba Valeriani pro concione habita, *Suscipe Probe præmia pro rep. suscipe coronam ciuicam pro parente.* Quo quidem tempore legionem tertiam eidem addidit sub testimonio eiusmodi. Epistola de legione tertia. *Res gestæ tuæ, Probe charissime, faciunt vt & serius tibi tradere maiores exercitus videar, & citò tamen tradam. Recipe in fidem tuam legionem tertiam felicem, quam ego adhuc nulli nisi prouecto iam credidi: mihi autem eo tempore credita est quo & me canosum, qui credebat, cum gratulatione vidit. Sed ego in te non expecto ætatem, quum & virtutibus fulgeas, & moribus polleas. Vestes tibi triplices dari iussi, salarium duplex feci, vexillarium deputaui.*

Fortitudinē bellicā præmia & honōres alunt.

3 LONGVM est, si per res gestas tanti percurram viri, quæ ille sub Valeriano, quæ sub Gallieno, quæ sub Aureliano & Claudio priuatus fecerit, quoties murum conscenderit, vallum diripuerit, hostem cominus interemerit, dona principum emeruerit, rempublicam in antiquum statum sua virtute reddiderit. Docet Gallieni epistola ad tribunos data, qui fuerit Probus. *Gallienus Augustus tribunis exercituum Illyricianorum. Etiamsi patrem meum fatalis belli Persici necessitas tenuit, habeo tamen parentem Aurelium Probum, quo laborante possim esse securus. qui si affuisset, nunquam ille ne nominandus quidem tyrannus, sibi vsurpasset imperium. Quare omnes vos consiliis eius cupio parere, qui & patris iudicio probatus est & senatus.* Non magnum fortassis iudicium Gallieni esse videatur, principis mollioris, sed quod negari non potest, ne dissolutus quidem quispiam se, nisi in eius fidem tradit cuius sibi virtutes existimat profuturas. Sed esto, Gallieni epistola sequestretur. Quid Aureliani

Virtutes bellicæ summi ducis, silentio non sunt obruendæ.

Præsertim quum non modo ab ignauis, verumetiam à præstantissimis principibus, commendetur.

iudicium?qui Probo decimanos,fortissimos exercitus sui, & cum quibus ipse ingentia gesserat, tradidit sub huiusmodi testimonio: *Aurelianus Augustus Probo S.D. Vt scias quanti te faciam,decimanos meos sume,quos Claudius mihi credidit.Isti enim sunt qui quadam felicitatis prærogatiua præsules nisi futuros principes habere non norunt.* Ex quo intellectum est Aurelianum in animo hic habuisse vt si quid sibi scienti prudentique eueniret Probum principem faceret.Iam Claudij, iam Taciti iudicia de Probo longum est innectere: quanuis feratur in senatu Tacitus dixisse, quum eidem offerretur imperium, debere Probum principem fieri. Sed ego S.C.ipsum inueni. Ipse autem Tacitus Imperator primam talem ad Probum epistolam dedit: Tacitus Augustus Probo. *Me quidem senatus principem fecit de prudentis exercitus voluntate. Attamen sciendum tibi est tuis nunc humeris magis incubuisse remp.qui & quantus sis omnes nouimus, scit senatus. Adesto igitur nostris necessitatibus: tuæ familiæ assere, vt soles,rempub. Nos tibi decreto totius orientis ducatu,salarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminauimus, consulatum in annum proximum nobiscum decreuimus:te enim manet pro virtutibus tuis capitolina palmata.* Ferunt quidam Probo id pro imperij omine fuisse quod Tacitus scripsit, *Te manet capitolina palmata.* Sed in hanc sententiam omnibus semper COS. scribebatur. Amor militum erga Probum ingens semper fuit. Neque enim vnquam ille passus est peccare militem. Ille quinetiam Aurelianum sæpe à graui crudelitate deduxit. Ille singulos manipulos adiit, vestes & calceamenta perspexit: si quid prædæ fuit, ita diuisit, vt sibi nihil præter tela & arma seruaret. Quinetiam quum de prædato,siue ex Alanis siue ex aliqua alia gente incertum est, repertus esset equus non decorus, neque ingens, qui, quantum captiui loquebantur, centum ad diem miliaria currere diceretur.

Qualis inter cæteros fuit Aurelianus.

Claudius itẽ & Tacitus.

Præcipuè vero Tacitus, cuius exquisitum subiicitur iudicium.

Deinde,quũ amor militũ accedit,habet princeps futuræ digni satis arrhã.

ceretur, ita vt per dies octo vel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet seruaturum, iam primùm dixit, *Fugitiuo militi potius quàm forti hic equus conuenit.* Deinde in vrnam militares iussit nomen suum mittere, vt aliquis eum sorte ductus acciperet. Et quum essent in exercitu quidam nomine Probi alij quatuor milites, casu euenit vt primùm emergeret cui Probo nomen existeret, quum ipsius Probi ducis nomen missum non esset. Sed quum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisque defenderet, iussit iterum agitari vrnam: sed & iterum Probi nomen emersit: quúmque tertiò & quartò fecisset, quartò Probi nomen effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicauit, ipsis etiam militibus quorum nomina exierant, id volentibus. Pugnauit & contra Marmaridas in Africa fortissimè, eos denique vicit, atque ex Libya Carthaginem transiit, eandémque à rebellionibus vindicauit. Pugnauit & singulari certamine contra quendam Aradionem in Africa, eundémque prostrauit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulcro ingenti honorauit, quod adhuc extat tumulo vsque ad ducentos pedes terræ lato per milites quos otiosos esse nunquam est passus. Extant apud Aegyptum eius opera quæ per milites struxit in plurimis ciuitatibus. In Nilo autem tam multa fecit vt vectigal frumentarium solus adiuuerit: pontes, templa, porticus, basilicas labore militum struxit: ora fluminum multa patefecit, paludes plerasque siccauit, atque in his segetes agrósque constituit. Pugnauit etiam contra Palmyrenos pro Odenati & Cleopatræ partibus Aegyptum defendentes, primò feliciter, postea temere, vt penè caperetur: sed postea refectis viribus, Aegyptum & orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit.

Si modo animi fortitudine & disciplinæ militaris sedula obseruantia hanc beneuolentiam retineat, quam hîc specialisquadam Numinis benignitas Probo conseruat.

9

Singulare Probi certamen.

Opera egregia in Aegypto.

Bella adu. Palmyrenos

18. *Princeps eximiis praeditus virtutibus facile sibi fortium virorum corda cōciliat.*

4 Quum his igitur tot & tantis virtutibus eniteret, Tacito absumpto fataliter, ac Floriano imperium arripiente, omnes orientales exercitus eundem Imperatorem fecerunt. Non inepta neque inelegans fabula est, scire quemadmodum imperium Probus sumpserit. Quum ad exercitus nuntius venisset, tum primùm animus militibus fuit præuenire Italicos exercitus, ne iterum senatus principem daret. sed quum inter milites sermo esset quis fieri deberet, & manipulatim in campo tribuni eos alloquerentur, dicentes requirendum esse principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum: idque per multos circulos, vt fieri assolet, diceretur, quasi diuino nutu vndique ab omnibus acclamatum est, *Probe Auguste, dii te seruent.* deinde concursus, & cespititium tribunal: appellatúsque Imperator, ornatus etiam pallio purpureo quod de statua templi oblatum est: atque inde ad palatium reductus, inuitus & retrectans, & sæpe dicens, *Non enim vobis expedit, milites, non mecum bene agitis. Ego enim vobis blandiri non possum.* Prima eius epistola data ad Capitonem præfectum præt. talis fuit: *Imperium nunquam optaui, & inuitus accepi. Deponere mihi rem inuidiosissimam non licet. Agenda est persona quam mihi miles imposuit. Te quæso, Capito, ita mecum salua repub. perfruaris. Annonam & commeatus & quicquid necessarium est vbique militi pares: ego, quantum in me est, si rectè omnia gubernaueris, præfectum alterum non habebo.* Itaque milites cognito quod imperaret Probus, Florianum qui quasi hæreditarium imperium arripuerat, interemerunt, scientes neminem dignius imperare quam Probum. Ita ei sine vlla molestia totius orbis imperium & militum & senatus iudicio delatum est. Et quoniam mentionem senatus fecimus, sciendum est quid ipse ad senatum scripserit, quid item ad eum amplissimus ordo rescripserit. Oratio Probi

Nota boni principis.

Ceremonia theo eligendo.

Scitè dictū eiusdem.

Et scriptum.

Insigni militum facinore, veluti sigillo apposito confirmatum.

ij

Probi prima ad senatum. *Rectè atque ordine P.C. proximo superiore anno factum est vt vestra clementia orbi terrarum principem daret. & quidem de vobis, qui & estis mundi principes, & semper fuistis, & in vestris posteris eritis. atque vtinam id Florianus expectare voluisset, nec velut hæreditarium sibi vindicasset imperium, vel illum vel alium quempiam maiestas vestra fecisset. Nunc quoniam ille imperium arripuit, nobis à militibus delatum est nomen Augustum, vindicatum quin etiam in illum à prudentioribus militibus, quod fuerat vsurpatum. Quæso vt de meis meritis faciatis quicquid iusserit vestra clementia.* Item S.C. Die tertio nonas Februarias in æde Concordiæ inter cætera Aelius Scorpianus cos. dixit, *Audistis P.C. literas Aurelii Valerii Probi: de his quid videtur?* Tunc acclamatum est, *Probe Auguste dii te seruent. Olim dignus, & fortis, & iustus, bonus ductor, bonus imperator. Exemplum militiæ, exemplum imperii, dii te seruent. Assertor reipub. felix imperes. Magister militiæ, felix imperes: te cum tuis dii custodiant. Et senatus antea te delegit. Aetate Tacito posterior, cæteris prior. Quòd imperium suscepisti, gratias agimus. Tuere nos, tuere rempubl. bene tibi committimus quos antè seruasti. Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia, & prius fuisti semper dignus imperio, dignus triumphis: felix agas, feliciter imperes.* Post hæc Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, ita loquutus est, *Diis immortalibus gratias, & præ cæteris P.C. Ioui optimo, qui nobis principem talem qualem semper optabamus, dederunt. Si rectè cogitemus, non nobis Aurelianus, non Alexander, non Antonini, non Traianus, non Claudius requirendi sunt: omnia in vno principe constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, vita venerabilis, exemplar agendæ reipublicæ, atque omnium prærogatiua virtutum. enimuero quæ mundi pars est quam ille non vincendo didicerit? Testes sunt Marmaridæ in Africæ solo victi, testes Franci inuiis strati paludibus, testes Germani & Alemanni longè à Rheni submoti*

Et ipsius imperatoris graui ac cordata oratione.

Atque tempestiuo senatusconsulto.

Atque faustis acclamationibus.

Nec non insigni oratione Manlij Statiani, Probi Imperatorias laudes proponentis.

12

litoribus. Iam verò quid Sarmatas loquar, quid Gotthos, quid Parthos, ac Persas, atque omnem Ponticum tractum? vbique vigent Probi virtutis insignia. Longum est dicere quot reges magnarum gentium fugauerit, quot duces manu sua occiderit, quantum armorum sit quæ ipse cepit priuatus. Superiores principes, quas illi gratias egerint, testes sunt literæ publicis insertæ monumentis. Dii boni quoties ille donis militaribus est donatus? quas militum laudes emeruit? Adolescens tribunatum, non longè post adolescentiam, regendas legiones accepit. Iupiter opt. max. Iuno regina, tuque virtutum præsul Minerua, tu orbis Concordia, & tu Romana Victoria, date hoc senatui P. Q. R. date militibus, date sociis, atque exteris nationibus. Imperet quemadmodum militauit. Decerno igitur P. C. votis omnium concinentibus nomen Cæsareum, nomen Augustum, addo proconsulare imperium, patris patriæ reuerentiam, pontificatum maximum, ius tertiæ relationis, tribunitiam potestatem. Post hæc acclamatum est, *Omnes, Omnes.*

Precatio ad deos.

Decretum.

13.

Acclamatio Optimi principis est spei de se ab omnibus conceptæ egregiis dictis et factis respondere. In summa, nouerit parcere subiectis & debellare superbos.

5 ACCEPTO igitur hoc S.C. secundum orationem permisit patribus vt ex magnorum iudicum appellationibus ipsi cognoscerent, proconsules crearent, legatos consulibus darent, ius prętorium præsidibus darent: leges quas Probus ederet, senatusconsultis propriis consecrarent. Statim deinde, si qui de interfectoribus Aureliani superfuerant, vario genere vindicauit. Mollius tamen moderatiúsque quàm prius exercitus & postea Tacitus vindicauerant. Deinde animaduertit etiam in eos qui Tacito insidias fecerant. Floriani sociis pepercit, quòd non tyrannum aliquem videbantur sequuti, sed sui principis fratrem. Recepit deinde omnes Europenses exercitus, qui Florianum & Imperatorem fecerant & occiderant. His gestis, cum ingenti exercitu Gallias petit: quæ omnes, occiso Posthumo, turbatæ fuerant, interfecto Aureliano, à Germanis possessæ. tanta autem illic prælia feliciter gessit, vt à

barb

barbaris sexaginta per Gallias, nobilissimas reciperet ciuitates: prædam deinde omnem, qua illi præter diuitias etiam efferebãtur ad gloriam. Et quum iam in nostra ripa, imò per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis propè quadringentis millibus qui Romanum occupauerant solum, reliquias vltra Nicrum fluuium & Albam remouit, tantum his prædæ barbaricæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant: contrà vrbes Romanas & castra in solo barbarico posuit, atque illic milites collocauit. Agros, & horrea, & domos, & annonam Transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet quos in excubiis collocauit: nec cessatum est vnquam pugnari, quum quotidie ad eum barbarorum capita deferrentur, iam ad singulos aureos singula, quandiu reguli nouem ex diuersis gentibus venirent, atque ad pedes Probi iacerent: quibus ille primùm obsides imperauit, qui statim dati sunt: deinde frumentum, postremò etiam vaccas atque oues. Dicitur iussisse his acrius, vt gladiis non vterentur, Romanam expectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed visum est id non posse fieri, nisi si limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota prouincia. Maximè tamen, ipsis regibus consentientibus, in eos vindicatum est qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepit præterea sedecim millia tyronum, quos omnes per diuersas prouincias sparsit ita vt numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos interfereret, dicens sentiendum esse non videndum quum auxiliaribus barbaris Romanus iuuatur. Compositis igitur rebus in Gallia, tales ad senatum literas dedit, *Ago diis immortalibus gratias P. C. quia vestra in me iudicia comprobarunt. Subacta est omnis quà tenditur latè Germania: nouem reges gentium diuersarum ad meos pedes, imò ad vestros, supplices stratique iacuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis iam se-*

Pacis & belli artes à Probo impleta.

14

Felicitas & fortitudo bellica.

Prudentia item, vt remp. sartam tectam tueretur.

15

De victoria nobili ab hostib. potentissimis reportata relatio modesta &

optimo digna principe ad senatum.

runt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam & quadringenta millia hostium cæsa sunt & sedecim millia armatorum nobis oblata, & septuaginta vrbes nobilissimæ captiuitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas, vestræ P. C. clementiæ dedicaui. Et has Ioui opt. max. cæterisque diis deabúsque immortalibus vestris manibus consecrate. Præda omnis recepta est, capta etiam alia, & quidem maior quàm fuerat antè direpta. Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & iuga Germanica captiua præbent nostris colla cultoribus: pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diuersarum: equinum pecus nostro iam fœcundatur equitatui: frumento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus sola, nos eorum omnia possidemus. Volueramus P. C. Germaniæ nouum præsidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus. Quod quidem credimus conferre, quum diuina prouidentia nostros vberius fœcundarit exercitus.

Bella in Illyrico & Rhetia.

6 POSTHAEC Illyricum petiit: & prius quàm veniret, Rhetias sic pacatas reliquit vt illic ne suspicionem quidem vllius terroris relinqueret. In Illyrico Sarmatas cæterásque gentes ita contudit, vt propè sine bello cuncta reciperet quæ illi diripuerant. Tetendit deinde iter per Thracias, atque omnes Geticos populos fama rerum territos, & antiqui nominis potentia pressos, aut in deditionem aut in amicitiam recepit. His gestis orientem petiit, atque in itinere potentissimo quodam latrone Palfurio capto & interfecto, omnem Isauriam liberauit: populis atque vrbibus Romanis legibus restitutis. Barbarorum qui apud Isauros sunt, vel per terrorem vel per voluntatem, loca ingressus est: quæ quum peragrasset, hoc dixit, *Facilius est ab istis locis latrones arceri quàm tolli.* veteranis omnia illa quæ angustè adeuntur loca priuata donauit, addens vt eo-

In Oriente.

In Isauria.

rum

rum filij ab anno octauodecimo mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne antè latrocinari quàm militare discerent. Pacatis denique omnibus Pamphyliæ partibus, cęterarúmque prouinciarum quę sunt Isauriæ vicinæ, ad orientem iter flexit. Blemyas etiam subegit, quorum captiuos Romam transmisit, qui mirabilem sui visum, stupente pop. Rom. præbuerunt. Copton præterea & Ptolemaidem vrbes, ereptas barbarico seruitio, Romano addidit iuri. Ex quo tantum profecit vt Parthi legatos ad eum mitterent, confitentes timorem pacémque poscentes: quos ille superbius acceptos, magis timentes domum remisit. Fertur etiam epistola illius, repudiatis donis quæ rex Parthorum miserat, ad Narseum talis fuisse, *Miror te de omnibus quæ nostra futura sunt, tam pauca misisse. Habeto interim omnia illa quibus gaudes: quæ si nos habere cupiamus, scimus quemadmodum possidere debeamus.* His acceptis literis Narseus maximè territus, & eo præcipuè quòd Copton & Ptolemaidem comperit à Blemyis qui eas tenuerant vindicatas, cęsósque ad internecionem eos qui gentibus fuerant antè terrori. Facta igitur pace cum Persis, ad Thracias rediit, & centum millia Bastarnarum in solo Rom. constituit, qui omnes fidem seruauerunt. Sed quum & ex aliis gentibus plerosque pariter transtulisset, id est, ex Gepidis, Gautunnis, & Vandalis, illi omnes fidem fregerunt, & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum penè orbem pedibus & nauigando vagati sunt, nec parum molestiæ Rom. gloriæ intulerunt. quos quidem ille diuersis vicibus, variisque victoriis oppressit, paucis cum gloria domum redeuntibus, quòd Probi euasissent manus. Hæc Probus cum barbaris gessit. Sed habuit etiam non leues tyrannicos motus. Nam & *Saturninum*, qui orientis imperium arripuerat, variis præliorum generibus & nota virtute superauit.

Blemya subiugati.

Parthi ad pacem quærendam adacti.

Pax inita cum Persis, & colonia instituta.

Bella eiusdem aduers. tyrannos, Saturninum nempe, Proculum & Bonosum.

Quo victo,tanta in oriente quies fuit,vt (quemadmodum vulgò loquebantur) mures rebelles nullus audiret. Deinde quum *Proculus* & *Bonosus* apud Agrippinam in Gallia imperium arripuissent, omnésque sibi Britannias,Hispanias, & braccatæ Galliæ prouincias vindicarent, barbaris semet iuuantibus, vicit. Ac ne requiras plura vel de Saturnino, vel de Proculo, vel de Bonoso, suo eosdem inseram libro,pauca de iisdem,vt decet,imò vt poscit necessitas, loquuturus. Vnum sane sciendum est quòd Germani omnes, quum ad auxilium essent rogati à Proculo, Probo potius perseruire maluerunt quàm cum Bonoso & Proculo esse.

Peculiaria quædam Probi gesta.

7 GALLIS omnibus & Hispanis ac Britannis hinc permisit vt vites haberent vinúmque conficerent. Ipse Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum,lecta vite conseuit. Dedit Rom.etiam voluptates, & quidem insignes: delatis etiam congiariis. Triumphauit de Germanis & Blemyis: omnium gentium drungos vsque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. venationem in circo amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulsę connexis latè longéque trabibus affixæ sunt,terra deinde superiecta,totúsque circus ad syluæ consitus speciem,gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia,quanta vel ali potuerunt vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interempti sunt,non magnum præbētes spectaculum quum occidebantur. Neque enim erat bestiarum impetus ille

Triumphus & venatio pop. Rom. magnificentissimè exhibita.

ille qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi qui diripere volebant, sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum leænæ, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat spectaculum fuisse quàm gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemyis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris. Quibus peractis, bellum Persicum parans, quum per Illyricum iter faceret, à militibus suis per insidias interemptus est. Causæ occidendi eius hæ fuere: Primùm, quòd nunquam militem otiosum esse perpessus est. Siquidem multa opera militari manu perfecit, dicens annonam gratuitam militem comedere non debere. His addidit dictum eius graue, *Si vnquam eueniat salutare, Reip. breui milites necessarios non futuros.* Quid ille conceperat animo qui hoc dicebat? nónne omnes barbaras nationes subiecerat pedibus? quia totum mundum fecerat iam Romanum: *Breui*, inquit, *milites necessarios non habebimus.* Quid est aliud dicere? Romanus iam miles erit nullus, vbique regnabit, omnia possidebimus, secura resp. orbis terrarum non arma fabricabit, non annonam præbebit: vobis habebuntur aratra, equus nascetur ad pacem, nulla erunt bella, nulla captiuitas. vbique pax, vbique Rom. leges, vbique iudices nostri. Longius amore Imperatoris optimi progredior quàm pedestris sermo desiderat. Quare addam illud quod præcipuè tanto viro fatalem properauit necessitatem. Nam quum Sirmium venisset, ac solum patrium effœcundari cuperet & dilatari, ad siccandam quandam paludem multa simul millia militum posuit, ingentem parans fossam, qua, deiectis in altum nauibus, loca Sirmiensibus profutura siccaret. permoti milites confugientem eum in tur-

Mors Probi Imp. à militibus labore nimio fatigatis interempti.

Probi animus erga remp.

Mortis huius ratio.

rem ferratam, quam ipse speculæ causa editissimam exædificauerat, interemerunt anno imperij sui quinto. Postea tamen ingens ei sepulchrum elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt cum titulo huiusmodi inciso marmori, *Hic Probus Imperator, & verè Probus situs est, victor omnium gentium barbararum, victor etiam tyrannorum.*

Sepulchrum & elogium.

Probus inter præstantiss. principes præstantissimus.

8 CONFERENS ego cum aliis Imperatoribus principem Probum, omnibus prope Romanis ducibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles extiterunt, intelligo hunc virum parem fuisse, aut, si non repugnat inuidia furiosa, meliorem. Quinquennio enim imperij sui per totum orbem terrarum tot bella gessit, & quidem per se, vt mirabile sit quemadmodum omnibus occurrerit præliis. Multa manu sua fecit, duces præclarissimos instituit. Nam & eius disciplina Carus, Diocletianus, Constantius, Asclepiodorus, Annibalianus, Leonides, Cecropius, Pisonianus, Herennianus, Gaudiosus, Vrsinianus, Herculius, Maximianus, & cæteri, quos patres nostri mirati sunt, & de quibus nonnulli boni principes extiterunt, instituti sunt. Conferat nunc, cui placet, viginti Trajani Adrianique annos, conferat propè totidem Antoninorum. Nam quid de Augusto loquar? cuius imperij anni vix possunt credi. Malos autem principes taceo: ipsa vox Probi clarissima indicat quid se facere potuisse speraret qui dixit, *Breui necessarios milites non futuros.* Ille verò conscius sui, non barbaros timuit, non tyrannos. Quæ deinde felicitas emicuisset, si sub illo principe milites non fuissent? Annonam prouincialibus daret nullus, stipendia de largitionibus nulla erogarentur, æternos thesauros haberet Romana resp. Nihil expenderetur à principe, nihil à possessore redderetur: aureum profectò seculum promittebat. Nulla futura erant castra, nusquam li-

Seu felicitatem bellicã consideras.

Siue pacis studium, & commoda inde exorientia.

tuus audiendus,arma non erant fabricanda: populus iste militantium,qui nunc bellis ciuilibus remp. vexat,pacis studiis incumberet, erudiretur artibus, nauigaret. adde quod nullus occideretur in bello. Dij boni quid tantum vos offendit Rom.respub.cui talem principem sustulistis? Eant nunc qui ad ciuilia bella milites parant,in Germanorum necem,arment dexteras fratrum,hortentur in patrum vulnera liberos,&dignitatem Probo derogent,quam Imperatores nostri prudenter & consecrandam vultibus,& ornandam templis,&celebrandam ludis circensibus iudicarunt. Posteri Probi vel odio inuidię, vel timore,Romanam rem fugerunt:&in Italia circa Veronam ac Benacum & Larium, atque in his regionibus,larem locauerunt. Sane,quod præterire non potui, quum imago Probi in Veronensi ita fulmine icta esset vt eius prætexta colores mutaret, aruspices responderunt, huius familiæ posteros tantæ in senatu claritudinis fore vt omnes summis honoribus fungerentur.Sed adhuc neminem vidimus: posteri autem videntur æternitatem habere. Senatus mortem Probi grauissimè accepit, æquè populus. Et quum esset nunciatum,Carum imperare,virum bonum quidem, sed longè à moribus Probi, causa filij eius Carini qui semper pessimè vixerat, tam senatus quàm populus inhorruit. Metuebant enim vnusquisque tristiorem principem, sed magis improbum metuebant hæredem. Hæc sunt quæ de Probo cognouimus, vel quæ digna memoratu existimauimus. Nunc in alio libro,& quidem breui,de Firmo, & Saturnino, & Bonoso, & Proculo dicemus. Non enim dignum fuit vt quadrigæ tyrannorum bono principi miscerentur. Pòst deinde, si vita suppetit, Carum incipiemus propagare cum liberis.

Querela adu.deos, et Probi desiderium.

24

Posterorum præcipuè respectu.

Imaginis eius omen.

Mors grauissimè accepta.

Successor nō ita dilectus.

Quadrigæ tyrannorum.

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

Firmus, Saturninus, Proculus & Bonoſus.

BREVIARIVM.

1 *Cur vitas quatuor tyrannorum hoc volumine ſit complexus Vopiſcus. De firmo quid ſenſerit. Firmi patria, dignitas, diuitiæ, ſtatura, robur, intemperantia in cibo & potu, mors.*

2 *Saturninus Gallus cur ab Aureliano prohibitus ne vnquam Aegyptum videret. De Aegyptiorum natura & ingenio. Imperium ab Aegyptiis oblatum recuſat, & coactus retinet, ac tandem inuito Probo Auguſto iugulatur.*

3 *Proculi patria, domus, opes, vxor, filius, mores, fortia facta, libidines, imperium iocoſum, mors.*

4 *Bonoſi tyrocinia & munera bellica, bibacitas, imperium, mors pudenda, filii, nobilis vxor.*

1 *Tr. Pollionis exemplo, horũ quatuor vitas ſcribere aggreſſus eſt Vopiſcus.*

MINVSCVLOS tyrannos ſcio pleroſque tacuiſſe, aut breuiter præteriſſe. Nam & Suetonius Tranquillus, emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor, Antonium & Vindicem tacuit, contentus eo quòd eos curſim perſtrinxerat: & Marius Maximus, qui Auidium Marci temporibus, Albinum & Nigrum Seueri, non ſuis propriis libris, ſed alienis innexuit. Et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit amare breuitatem. Quid Marius Maximus, homo omnium verboſiſſimus, qui & mythiſtoricis ſe voluminibus implicauit, non ad iſtam

istam descriptionem curámque descendit? At contrà Trebellius Pollio ea fuit diligentia, eáque cura in edendis bonis malisque principibus, vt etiam triginta tyrannos vno breuiter libro concluderet, qui Valeriani & Gallieni, nec multo superiorum aut inferiorum fuere principum temporibus. Quare nobis etiam non minima fuit cura vt dictis Aureliano, Tacito & Floriano, Probo etiam magno ac singulari principe, quum dicendi essent Carus, Carinus, & Numerianus, de Saturnino, Bonoso, Proculo, & Firmo, qui sub Aureliano fuerant, non taceremus. Scis enim, mi Basse, quanta nobis contentio proximè fuerit cum amatore historiarum M. Fonteio, quum ille diceret *Firmum* qui Aureliani temporibus Aegyptum occupauerat, latrunculum fuisse non principem: contrà ego mecúmque Rufus Celsus, & Ceionius Iulianus, & Fabius Sosianus contenderent, dicentes illum & purpura vsum, & percussa moneta Augustum esse vocitatum. quinetiam nummos eius Seuerus Archontius protulit: de Grecis autem Aegyptiisque libris conuicit, illum αὐτοκράτορα in edictis suis esse vocitatum. Et illi quidem aduersum nos contendenti hæc sola ratio fuit quòd dicebat Aurelianum in edicto suo non scripsisse quòd tyrannum occidisset, sed quòd latrunculum quendam à rep. remouisset: perinde quasi dignè tanti princeps nominis debuerit tyrannum appellare hominem tenebrarium, aut non semper latrones vocitauerint magni principes eos quos inuadentes purpuras necauerunt. Ipse ego in Aureliani vita prius quàm de Firmo cuncta cognoscerem, Firmum non inter purpuratos habui, sed quasi quendam latronem: quod idcirco dixi, nequis me oblitum existimaret mei. Sed ne volumini, quod breuissimum promisi, multa connectam, veniamus ad Firmum. Firmo patria Seleucia fuit: tametsi plerique

Firmi verè dignitatem aduers. Fonteium asserit.

Eiúsque rationi respondet.

Et seipsum explicat.

Firmi patria.

Græcorum alteram tradunt, ignari eò tempore ipso tres fuisse Firmos, quorum vnus præf. Aegypti, alter dux limitis Africani, idémque proconsul, tertius iste Zenobiç amicus ac socius: qui Alexandriam Aegyptiorum incitatus furore peruasit, & quem Aurelianus solita virtutum suarum felicitate contriuit. De huius diuitiis multa dicuntur. Nam & vitreis quadraturis bitumine aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur: & tantum habuisse de chartis vt publice sæpe diceret, exercitum se alere posse papyro & glutino. Idem & cum Blemyis societatem maximam tenuit, & cum Saracenis naues quoque ad Indos negotiatorias sæpe misit. ipse quoque dicitur habuisse duos dentes elephanti, pedum denum, è quibus Aurelianus ipse sellam constituerat facere, additis aliis duobus, in qua Iupiter aureus & gemmatus sederet, cum prætexta, ponendus in templo Solis, Apenninis sortibus additis: quem appellari voluerat *Iouem consulem* vel consulentem. Sed eosdem dentes postea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis fecisse narratur. Et quia nunc scitur, & sciri apud posteros nihil proderit, taceo. Ita donum Indicum Ioui opt. max. consecratum, per deterrimum principem & ministerium libidinis factum videtur & pretium. Fuit tamen Firmus statura ingenti, oculis foris eminentibus, capillo crispo, fronte vulnerata, vultu nigriore, reliqua parte corporis candidus, sed pilosus atque hispidus, ita vt eum plerique *Cyclopem* vocarent. Carne multa vescebatur, struthionem ad diem comedisse fertur. Vini non multum bibit, aquæ plurimum, mente firmissimus, neruis robustissimus ita vt triarium vinceret, cuius Varro Aelius meminit. Nam & incudem superpositam pectori constanter aliis tundentibus pertulit, quum ipse recliuus ac resupinus & curuatus in manus penderet potius quàm

Dignitas. *Fatum.* *Diuitiæ.* *Chartaceæ.* *Maritimæ.* *Elephantinæ* *Statura & forma.* *Intemperantia.* *Robur mirandum.*

quàm iaceret. Fuit tamen ei contentio cum Aureliani ducibus ad bibendum, siquando eum tentare voluisset. Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum notissimus potator; quum ad bibendum eundem prouocasset, situlas duas plenas mero duxit: & toto postea conuiuio sobrius fuit. Et quum ei Burburus diceret, *Quare non fæces bibisti?* respondit ille; *Stulte, terra non bibitur.* Leuia persequimur, quum maiora dicenda sint. Hic ergo contra Aurelianum sumpsit imperium ad defendendas partes quæ supererant Zenobiæ. Sed Aureliano de Carris redeunte superatus est. Multi dicunt laqueo vitam eum finisse: aliud edictis suis ostendit. nanque quum eum vicisset, tale dictum Romæ proponi iussit. *Amantissimo sui pop. Rom. Aurelianus Augustus S. D. Pacato vndique gentium toto quà patet orbe terrarum, Firmum etiam latronem Aegyptium, barbaricis motibus æstuantem, & fæminei propudii reliquias colligentem, ne plurimum loquar, fugauimus, obsedimus, cruciauimus, & occidimus. Nihil est, Romulei Quirites, quod timere possitis. Canon Aegypti, qui suspensus per latronem improbum fuerat, integer veniret si vobis esset cum senatu concordia, cum equestri ordine amicitia, cùm prætorianis affectio. Ego efficiam ne sit aliqua solicitudo Romana. Vacate ludis, vacate circensibus. Nos publicæ necessitates teneant: vos occupent voluptates. Quare sanctissimi Quirites.* & reliqua. Hæc nos de Firmo cognouisse scire debuisti, sed digna memoratu. Nam ea quæ de illo Aurelianus Festius libertus Aureliani sigillatim retulit, si vis cognoscere, eundem oportet legas, maximè quum dicat Firmum eundem inter crocodilos vnctum, crocodilorum adipibus natasse, & elephantum rexisse, & hippopotamos edisse, & sedentem ingentibus struthionibus vectum esse, & quasi volitasse. Sed hęc scire quid prodest? quum & Liuius & Sallustius taceant res leues de iis quorum vitas scribendas arri-

Bibacitas prodigiosa.

Imperium.

Mors.

De qua, Aureliani testimonium.

Leuia quædam de Firmi moribus Vopiscus nô attigit.

Ridiculi enim sunt qui ridicula persequuntur.

puerint.non enim scimus quales mulos Clodius habuerit,aut mulas T.Annius Milo, aut vtrum Tusco equo sederit Catilina an Sardo,vel quali chlamyde Pompeius vsus fuerit,an purpura. Quare finem de Firmo faciemus,venientes ad Saturninum,qui contra Probum imperium sibimet in orientis partibus vindicauit.

Saturninus.

Saturninus ex Gallis gente inquietissima oriundus.

SATVRNINVS oriundus fuit Gallis ex gente hominum inquietissima, & auida semper vel faciendi principis vel imperij. Huic inter cæteros duces, qui vere summus videretur, Aurelianus limitis orientalis ducatum dedit, sapienter præcipiens ne vnquam Aegyptum videret. Cogitabat enim, quantum videmus,vir prudentissimus, Gallorum naturam, & verebatur ne si perturbidam ciuitatem vidisset, quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur. Sunt enim Aegyptij (vt satis nosti) viri ventosi,furibundi, iactantes, iniuriosi, atque adeo vani, liberi, nouarum rerum vsque ad cantilenas publicas cupientes, versificatores,epigrammatarij,mathematici, aruspices, medici.nam & Christiani,Samaritæ,& quibus præsentia semper tempora cum enormi libertate displiceant. Ac nequis mihi Aegyptiorum irascatur, & meum esse credat quod in literas retuli, Adriani epistolam ex libris Phlegontis liberti eius proditam, ex qua penitus Aegyptiorum vita detegitur indidi. *Adrianus Augustus Seruiano* COSS. *S. Aegyptum quam mihi laudabas, Seruiane charissime, totam didici, leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum presbyter, non*

Ne Aegyptum videret prohibitus.

Aegyptiorũ mores descripti.

Ab Adriano præcipuè, sed ethnicorum more, qui Christianorum (quos minimè nouerant) infensissimi hostes fuere.

mathem

mathematicus, non aruspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha quum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum. Genus hominum seditiosissimum, vanissimum, iniuriosissimum: ciuitas opulenta, diues, fœcunda, in qua nemo viuat otiosus. Alii vitrũ conflant, ab aliis charta conficitur: omnes certè lymphiones cuiuscunq; artis & videntur & habetur. Podagrosi quod agant habẽt, cæci quod agant habẽt, cæci quod faciant: ne chiragrici quidẽ apud eos otiosi viuunt. Vnus illis Deus est. hũc Christiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes: & vtinam melius esset morata ciuitas, digna profectò sui profunditate, quæ pro sui magnitudine totius Aegypti teneat principatum. Huic ego cuncta concessi, vetera priuilegia reddidi, noua sic addidi vt præsenti gratias agerent. denique vt primum inde disceßi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonino quæ dixerunt, comperisse te credo. nihil illis opto nisi vt suis pullis alantur, quos quemadmodum fœcundant, pudet dicere. Calices tibi alassontes versicolores transmisi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conuiuiis adhibeas. Caueas tamen ne his Africanus noster indulgenter vtatur. Hæc ergo cogitans de Aegyptiis Aurelianus iusserat ne Saturninus Aegyptum videret: & mente quidem diuina. Nam vt primùm Aegyptij magnam potestatem ad se venisse viderunt, statim clamauerunt, *Saturnine Auguste, dii te seruent*: & ille quidem, quod negari non potest, vir sapiens, de Alexandrina ciuitate mox fugit, atque ad Palæstinam rediit. Ibi tamen quum cogitare cœpisset, tutum sibi non esse si priuatus viueret, deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade vxoria militibus circunstantibus amictus, & adoratus est. Auum meum sæpe dicentem audiui se interfuisse quum ille adoraretur. Flebat (inquit) & dicebat, *Necessarium (si non arroganter dicam) resp. virum perdidit. Ego certè instauraui Gallias, ego à Mauris possessam Africam reddidi. Ego Hispanias*

Saturninus ab Aegyptiis Imperator salutatus.

Alexãdriã fugit.

Deinde reluctans & flẽs dignitatem vi quadam oblatam acceptat.

pacaui. Sed quid prodest? omnia hæc affecta. o semel honore perierunt. Et quum eum animarent, vel ad vitam, vel ad imperium, qui induerunt purpuram, in hæc verba disseruit, *Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ vndique, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro autoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur: sin minus, inest furor. nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.* M. Saluidienus hanc ipsius orationem vere fuisse dicit, & fuit re vera non parum literatus. Nam & in Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentauerat pergulas magistrales. Et ne longius progrediar, dicendum est quod præcipue ad hunc pertinet. Errare quosdam scio, & putare hunc esse Saturninum qui Gallieni temporibus imperium occupauit: quum hic longe alius fuerit, etiam Probo pene nolente sit occisus. Fertur autem Probus & clementes ad eum literas sæpe misisse & veniam esse pollicitum: sed milites qui cum eo fuerant, non credidisse. Obsessum denique in castro quodam ab iis quos Probus miserat, inuito Probo esse iugulatum. Longum est friuola quæque connectere, & odiosum dicere quali statura fuerit, quo corpore, quo decore, quid biberit, quid comederit, ab aliis ista dicantur quæ prope ad exemplum nihil prosunt. Nos ad ea quæ sunt dicenda, redeamus.

Oratione grauissima imperatium miseriam aperit.

Vnde non parum literatus apparet.

Tandem inuito Probo iugulatur.

Friuola de Saturnino omissa.

Proculus.

PROCVLO patria Albingauni fuere, positi in Alpibus maritimis: domi nobilis, sed maioribus latrocinantibus, atque adeo pecore ac seruis & iis rebus

Proculi patria.

Domus.

rebus quas abduxerat, satis diues. Fertur denique eo tempore quo sumpsit imperium duo millia seruorum suorum armasse. Huic vxor virago, quæ illum in hanc præcipitauit dementiam, nomine Sampso, quod ei postea inditum est: nam antea Viturgia nominata est. Filius Herennianus, quem & ipsum, quinquennium si impleffet, (ita enim loquebatur) dicasset imperio. Homo, quòd negari non potest, optimus, idémque fortissimus: ipse quoque latrociniis assuetus, qui tamen armatam semper egerit vitam. Nam & multis legionibus tribunus præfuit, & fortia edidit facta: & quoniam minima quæque iucunda sunt, atque habent aliquid gratiæ quum leguntur, tacendum non est, quod & ipse gloriatur in quadam sua epistola, quam ipsam melius est ponere quàm de ea plurimum dicere. *Proculus Metiano affini S. D. Centum ex Sarmatia virgines cepi. Ex his vna nocte decem iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra dies* XV *reddidi.* Gloriatur (vt vides) rem ineptam, & satis libidinosam: atque inter fortes se haberi credit si criminum densitate coalescat. Hic tamen quum etiam post honores militares se improbe & libidinosè, tamen fortiter ageret, hortantibus Lugdunensibus, qui & ab Aureliano grauiter contusi videbantur, & Probum vehementissime pertimescebant, in imperium vocitatus est ludo pene & ioco, vt Onesimus dicit: quod quidem apud nullum alium reperisse me scio. Nam quum in quodam conuiuio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra. *Aue*, inquit, *Auguste.* Allatáque lana purpurea, humeris eius iunxit, eúmque adorauit: timor inde consciorum, atque inde iam exercitus tentatio & imperij. Non nihilum tamen Gallis profuit. Nam Alemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit, nunquam aliter quàm la-

Opes. *Vxor.* *Filius.* *Mores.* *Robur.* *Munera.* *Libidines prodigiosæ.* 13. *Imperium.* *Res fortiter gesta.*

Fuga. trocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum vſque ad vltimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, a quibus originem ſe trahere ipſe dicebat, ipſis prodentibus Francis, quibus familiare eſt ridendo fidem frangere, vicit & *Mors.* interemit. *Poſteri.* Poſteri eius etiam nunc apud Albingaunos agunt, qui ioco ſolent dicere ſibi non placere eſſe vel principes vel latrones. Hæc digna memoratu de Proculo didiciſſe memini. Veniamus ad Bonoſum, de quo multo minora condidi.

Bonoſus.

14. *Bonoſi origo Parentes.*

BONOSVS homo Hiſpanienſis fuit, origine Britannus: Galla tamen matre (vt ipſe dicebat) rhethoris filius: vt ab aliis comperi, pædagogi literarij. paruulus patrem amiſit, atque à matre fortiſſima educatus, literarum nihil didicit. *Tyrocinia et munera bellica.* Militauit primùm inter ordinarios, deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit, dux limitis Rhetici fuit: bibit quantum hominum nemo. *Bibacitas aſtuta & pene ſicca.* De hoc Aurelianus ſæpe dicebat, *Non vt viuat natus eſt, ſed vt bibat.* quem quidem diu in honore habuit cauſa militiæ. Nam ſiquando legati barbarorum vndecunque gentium veniſſent, ipſis propinabat, vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognoſceret. Ipſe quãtumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus & ſobrius: &, vt Oneſimus dicit ſcriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. *Dolium pertuſum.* Habuit præterea rem mirabilem, vt quantum bibiſſet tantum mingeret: neque vnquam aut eius pectus, aut venter, aut veſica grauaretur.

15. Hic idem quum quodam tempore in Rheno Romanas luxurias Germani incendiſſent, timore ne pœnas *Imperium.* daret, ſumpſit imperium: ídq; diutius tenuit quàm *Mors turpis & ridiculũ ſpectaculũ.* rebatur. Nam longo grauíque certamine à Probo ſuperatus, laqueo vitam finiuit. Tunc quidem iocus extitit

extitit, *Amphoram pendere, non hominem.* Filios duos reliquit, quibus ambobus Probus pepercit, vxore quoque eius in honore habita, & vsque ad mortem salario præstito. Fuisse enim dicitur (vt & auus meus dicebat) fœmina singularis exempli, & familiæ nobilis gẽtis Gotthicæ: quam illi Aurelianus vxorem idcirco dederat vt per eum à Gotthis cuncta cognosceret. Erat enim illa virgo regalis. Extant literæ ad legatum Thraciarum scriptę, de iis nuptiis & donis quæ Aurelianus Bonoso dari nuptiarum causa iussit, quas ego inserui: *Aurelianus Augustus Gallonio Auito salutem. Superioribus literis scripseram, vt optimates Gotthicas apud Perinthum collocares, decretis salariis, non vt singulæ acciperent, sed vt septem simul vnum conuiuium haberent. Quum enim diuisæ accipiunt, & illæ parum sumunt, & resp. plurimum perdit. Nunc tamen quoniam placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei iuxta breue infra scriptum omnia quæ præcipimus: sumptu etiam publico nuptias celebrabis. Breuis numerus fuit: Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas: tunicam auro clauatam subsericam librilem vnam, interulas dilores duas, & reliqua quæ matronæ conueniunt. Ipsi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris* H-S *decies.* Hæc me legisse teneo de Bonoso, & potui quidem horum vitam præterire, quos nemo quærebat. Attamen, ne quid fidei deesset, etiam de iis quæ didiceram intimanda curaui. Supersunt mihi Carus, Carinus, & Numerianus: nam Diocletianus & qui sequuntur, maiore stylo dicendi sunt.

Vxor nobilis

Nomen eius.

Dona eidem Aureliani iussu collata

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

Carus, Numerianus & Carinus.

BREVIARIVM.

1 *Imperatore Probo è viuis sublato respublica trepidat, vnde Vopisci de morte intempestiua præstantissimorum principum querelæ. Carus Roma oriundus, præfectus pretorio, militibus & Probo ipsi Carus, Imperator eligitur: bellum Persis feliciter infert. immani coruscatione & tonitru paulò post examinatur. Eiusdem elogium.*

2 *Numerianus egregius & eruditus princeps, & orator potentissimus, Caro patri succedens ab Apro socero interficitur. Diocletianus Aprum interficit. De Diocletiani fato quædam addita.*

3 *Carinus, impurissimus nebulo, ac moribus deploratissimis à Caro patre ceu spurius abiicitur. Audita patris & fratris morte imperium capessens multis præliis contra Diocletianum confligit, & vltimo commisso victus occumbit. Ludi theatrales & Circenses sub Numeriano & Carino.*

1 *Fato, id est, Numinis prouidētia, regitur orbis*

FATO remp. regi, eámque nunc ad summum euehi, nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit. Nam quum ducta per tempora variis vel erecta motibus, vel afflicta, nunc tempestate aliqua, nunc felicitate variata, omnia propè passa esset quæ patitur in homine vno mortalitas, videbatur post diuersitatem malorum iam secura continuata felicitatis mensura, post Aurelianum vehementem principem Probo

Probo ex ſententia ſenatus & populi, leges & gubernacula temperante. Sed ruina ingens vel naufragij modo vel incendij, accenſis fataliter militibus, ſublato è medio tali principe, in eam deſperationem votum publicum redegit vt timerent omnes Domitianos, Vitellios, & Nerones. *Plus enim timetur de incertis moribus principis*, maximè in ea repub. quæ recentibus confoſſa vulneribus, Valeriani captiuitatem, Gallieni luxuriam, xxx etiam prope tyrannorum cæſa ciuilium membra ſibimet vindicantium perpeſſa mœruerit. Nam ſi volumus ab ortu vrbis repetere quas varietates ſit paſſa Rom. reſp. inueniemus nullam magis vel bonis floruiſſe vel malis laboraſſe. Et vt à Romulo incipiam vero patre ac parente reip. quæ illius felicitas; qui fundauit, conſtituit, roborauitque remp. atque vnus omnium conditorum perfectam vrbem reliquit: Quid deinde Numam loquar: qui frequentem bellis & grauidam triumphis ciuitatem religione muniuit? Venit igitur vſque ad Tarquinij Superbi tempora noſtra reſp. ſed paſſa tempeſtatem de moribus regiis, non ſine graui exitio ſemet vlta eſt. Adoleuit deinde vſque ad tempora Gallicani belli: ſed quaſi quodam merſa naufragio, capta præter arcem vrbe, plus penè mali ſenſit quàm tunc boni habuerat. Reddidit ſe deinde in integrum, ſed eouſque grauata eſt Punicis bellis ac terrore Pyrrhi, vt mortalitatis mala præcordiorum timore ſentiret. Creuit deinde victa Carthagine, trans maria miſſis imperiis: ſed ſocialibus affecta diſcordiis, extenuato felicitatis ſenſu vſque ad Auguſtum bellis ciuilibus confecta conſenuit, per Auguſtum deinde reparata: ſi reparata dici poteſt, libertate depoſita. Tamen vtcunque (etiamſi domi triſtis fuit) apud exteras gentes effloruit: paſſa deinceps tot Nerones, per Veſpaſianum caput extulit. Nec omni Titi felicitate lætata, Do-

Incerti mores principis nouum principatum ſuſpectum & formidabilẽ reddunt.

Reip. Romanæ facies depicta.

Sub regibus.

Sub cõſulib.

Sub Imperatoribus.

mitiani vulnerata immanitate, per Neruam atque Trajanum vſque ad Marcum ſolito melior, Commodi vecordia, & crudelitate lacerata eſt: nullum poſt hæc præter Seueri diligentiam vſque ad Alexandrum Mammææ ſenſit bonum. Longum eſt quę ſequuntur vniuerſa connectere. Vti enim principe Valeriano non potuit, & Gallienum per quindecim annos paſſa eſt. Inuidit Claudio longinquitatem imperij, amans varietatum propè & ſemper inimica fortuna iuſtitiæ. Sic enim Aurelianus occiſus eſt, & ſic Tacitus abſumptus, ſic Probus cæſus, *vt appareat nihil tam gratum eſſe fortunæ quàm vt ea quæ ſunt in publicis actibus, euentuum varietate mutentur.* Sed quorſum talibus querelis & temporum caſibus diſtinemur? veniamus ad Carum, medium (vt ita dixerim) virum, inter bonos magis quàm inter malos principes collocandum, & longè meliorem, ſi Carinum non reliquiſſet hæredem. Cari patria ſic ambiguè à pleriſque proditur vt præſumptè veritatem dicere nequeam quæ illa vera ſit. Oneſimus enim, qui diligentiſſimè vitam Probi ſcripſit, dicit Romæ illum & natum & literis eruditum: ſed Illyricianis parentibus fuiſſe contendit. Sed Fabius Cerilianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani ſolertiſſimè perſequutus eſt, neque Romæ, ſed in Illyrico genitum, neque Pannoniis, ſed Pœnis parentibus aſſerit natum. In ephemeride quadam legiſſe memini Carum Mediolanenſem fuiſſe, ſed auo iuri Aquileienſis ciuitatis inſertum. Ipſe, quod negari non poteſt, vt epiſtola eius indicat quam proconſul ad legatum ſcripſit, quum eum ad bona hortaretur officia, Romanus vult videri. Epiſtola Cari: *Carus Manlius Aurelianus proconſul Ciliciæ, Iunio legato ſuo. Maiores noſtri Romani illi principes in legatis creandis hac vſi ſunt conſuetudine, vt morum ſuorum ſpecimen per eos oſtenderent quibus remp. delegabant. Ego verò, ſi ita non eſſet*

De eadem Vopiſci iudicium.

Rerum humanarũ inconſtantia.

De Cari patria diſceptatio.

Ipſe Romanus vult videri, vt ex eiuſdem epiſtola & oratione conſtat

esset, aliter non fecissem: feci aliter, si te iuuante non fallar. Fac igitur vt maioribus nostris, id est Romanis, non discrepemus viris. Vides quòd tota epistola maiores suos Romanos vult intelligi. Indicat & oratio eius ad senatũ data istam generis prærogatiuam. Nam quum primùm Imperator esset creatus, sic ad senatorium ordinem scripsit inter cætera: *Gaudendum est itaque P.C. quòd vnus ex vestro ordine, vestri etiam generis Imperator est factus. Quare adnitemini ne meliores peregrini quàm vestri esse videantur.* Hoc quoque loco satis clarum est illum voluisse intelligi se esse Romanum, id est Roma oriundum. Hic igitur per ciuiles & militares gradus, vt tituli statuarum eius indicant, præf. præt. à Probo factus, tantum sibi apud milites amoris locauit, vt interfecto Probo tanto principe, solus dignissimus videretur imperio. Non me præterit suspicatos esse plerosque, & eos in fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum, sed neque meritum Probi erga Carum, neque Cari mores id credi patiuntur: simul quia Probi mortem & acerrimè & constantissimè vindicauit. Quid autem de eo Probus senserit, indicant literæ de eius honoribus ad senatum datæ. *Probus Augustus amantißimo senatui suo salutem dicit.* Inter cætera: *Felix esset nostra respub. si qualis Carus est, aut plerique vestrûm, plures haberem in actibus collocatos. Quare equestrem statuam viro morum veterum (si vobis placet) decernendam censeo: addito eo, vt publico sumptu, vel eidem exædificetur domus, marmoribus à me delatis. Decet enim nos talis integritatem remunerari viri.* & reliqua. Ac ne minima quæque connectam, & ea quę apud alios poterunt inueniri, vbi primùm accepit imperium, consensu omnium militum bellum Persicum quod Probus parabat, aggressus est, liberis Cæsaribus nuncupatis: & ita quidem vt Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret: secum verò Numerianum adolescentem,

Praefectus prætorio tandem fit Imperator.

An eius factione Probus sit interemptus.

Probo fuit charißimus.

Bellũ adu. Persas.

cum lectissimum, tum etiam disertissimum, duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse se miserum quòd Carinum ad Gallias principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani vt illi Gallicanum, quod maximè constantem principem quærit, crederetur imperium. Sed hæc aliàs. Nam extant iam literæ Cari, quibus apud præf. suum de Carini moribus queritur, vt appareat verum esse quod Onesimus, dicit habuisse in animo Carum vt Carino cæsareum abrogaret imperium. Sed hæc (vt diximus) aliàs in vita Carini dicenda sunt. Nunc ad ordinem reuertamur. Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico quod gerebat, contra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam Carus cepit, & Ctesiphontem vsque peruenit. Occupatisque Persis domestica seditione, Imperatoris Persici nomen meruit. Verùm quum auidus gloriæ, præfecto suo maximè iurgante qui & ipsius & filij eius quærebat exitium, cupiens imperare, longius progressus esset, vt alij dicunt morbo: vt plures, fulmine interemptus est. Negari non potest eo tempore quo periit tantum fuisse subitò tonitruum vt multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Quum igitur ægrotaret atque in tentorio iaceret, ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori, vt diximus, tonitru, exanimatus est. Iunius Calphurnius qui ad memoriam dictabat, talem ad præfect. vrbis super morte Cari epistolam dedit. Inter cætera: *Quum, inquit, Carus princeps noster verè carus ægrotaret, tanti turbinis subitò exorta tempestas est vt caligarent omnia, neque alter alterum nosceret: coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio, omnibus nobis veritatis scientiam sustulit. Subitò enim conclamatum est Imperatorem mortuum, & post illud præcipuè tonitruum quod cuncta terruerat. His accessit quòd cubicularii dolentes prin*

Impares filij Cari: vnus optimus, alter pessimus.

Res gestæ adu. Persas.

Morte violenta rapitur.

Et maximis principibus fera parca minimè parcit.

Descriptio mortis Cari.

principis mortem, incenderunt tentorium. Vnde fama emersit fulmine interemptum eum quem, quantum scire possumus, ægritudine constat absumptum. Hanc ego epistolam idcirco indidi quòd plerique dicunt vim fati quondam esse vt Rom. princeps Ctesiphontem transire non possit: ideóque Carum fulmine absumptum quòd eos fines transgredi cuperet qui fataliter constituti sunt. *Sed sibi habeat artes suas timiditas calcanda virtutibus.* Licet planè ac licebit per sacratissimum Cæsarem Maximianum Persas vincere, atque vltra eos progredi; & futurum reor, si à nostris non deseratur promissus numinum fauor. Bonum principem Carum fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam quòd statim adeptus imperium, Sarmatas adeo morte Probi feroces vt inuasuros se non solùm Illyricum, sed Thracias quoque Italiámque minarentur: ita inter bella patiendo contudit vt paucissimis diebus Pannonias securitate donauerit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diuersi sexus viginti millibus. Hæc de Caro satis esse credo. Veniamus ad Numerianum, cuius & vicinior patri, & admirabilior per socerum suum facta videtur historia. Et quanuis Carinus maior ætate fuerit, prior etiam Cæsar sit nuncupatus, tamen necesse est vt prius de Numeriano loquamur, qui patris sequutus est mortem: pòst de Carino, quem vir reipub. necessarius, Augustus Diocletianus, habitis conflictibus interemit.

Vis fati Romanos ab aliorum populorum limitibus arcentis.

Cari elogium.

Eius filij, horúmque fortuna.

Numerianus.

2

NVMERIANVS Cari filius, moratus egregie & verè dignus imperio, eloquentia etiam præpollens, adeo vt publicè declamauerit, ferantúrque illius scripta nobilia, declamationi tamen quàm Tulliano accommodatiora stylo. Versu autem talis

Numeriani mores, nobilitas, eruditio, eloquentia, felix ingenium.

fuisse prædicatur vt omnes poetas sui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἀλιευτικὰ, κυνηγετικὰ & ναυτικὰ scripsit: quique omnibus coloniis illustratus emicuit & Aurelium Apollinarem amborum scriptorem, qui patris eius gesta in literas retulit, iisdem quæ recitauerat editis veluti radio solis obtexit. Huius oratio fertur ad senatum missa tantum habuisse eloquentiæ, vt illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Vlpia, cui subscriptum est, *Numeriano Cæsari oratori temporibus suis potentissimo.* Hic patri comes fuit bello Persico: quo mortuo quum nimio fletu oculos dolere cœpisset, quòd illud ægritudinis genus nimia, vtpote familiarissima, confectus angustia incurrisset: & dum lectica portaretur, factione Arrij Apri soceri sui, qui inuadere conabatur imperium, occisus est. Sed quum per plurimos dies de Imperatoris salute quæreretur à milite, concionaretúrque Aper, idcirco illum videri non posse quòd oculos inualidos à vento ac sole subtraheret, fœtore tamen cadaueris res esset prodita, omnes inuaserunt Aprum, cuius factio non latere potuit, eúmque ante signa & principia protraxere. Tunc habita est ingens concio, factum etiam tribunal. Et quum quæreretur quis vindex Numeriani iustissimus fieret, quis daretur reip. bonus princeps, Diocletianum omnes diuino consensu, cui multa iam signa facta dicebantur imperij, Augustum appellauerunt, domesticos tunc regentem, virum insignem, callidum, amantem reipubl. amantem suorum, & ad omnia quæ tempus quæsierat, paratum: consilij semper alti, nonnunquam tamen effrontis, sed prudentis, nimia peruicacia motus inquieti pectoris comprimentis. Hic quum tribunal conscendisset, atque Augustus esset appellatus, & quæreretur quemadmodum Numerianus esset

Poemata cedro digna.

Oratio eloquentissima, elogio publico decorata.

Charitas erga patrem.

Mors violenta.

Aper Numeriani interfector ad iustum supplicium pertractus.

Et lingua manúq. Diocletiani percussus.

set occisus, educto gladio Aprum praefect. praetor. ostentans percussit, addens verbis suis, *Hic est autor necis Numeriani.* Sic Aper seipsum foedauit, & deformibus consiliis agens dignum moribus suis exitum dedit. Auus meus retulit se interfuisse concioni quum Diocletiani manu esset Aper occisus: percussisse autem dicebat Diocletianum, & dixisse, *Gloriare Aper, magni Aeneae dextera cadis.* Quid ego miror de homine militari, quãuis sciam plurimos plus quam militares vel Graecè vel Latinè, vel comicorum vsurpare dicta vel talium poetarum. Ipsi denique comici plerunque sic milites inducunt, vt eos faciant vetera dicta vsurpare. Nam &, *Lepus tute es, & pulpamentum quaeris*, Liuij Andronici dictum est: multáque alia quae Plautus Caeciliúsque posuerunt. Curiosum non puto, neque satis vulgare, fabellam de Diocletiano Augusto ponere hoc conuenientem loco, quae illi data est ad omen imperij. Auus meus mihi retulit ab ipso Diocletiano compertum. Quum (inquit) Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem conuictus sui quotidiani faceret, at illa diceret, *Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es*, ioco non seriò Diocletianus respondisse fertur, *Tunc ero largus quum Imperator fuero.* Post quod verbum Druias dixisse fertur, *Diocletiane iocari noli: nam Imperator eris quum Aprum occideris.* Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperij cupiditatem, idque Maximiano conscio atque auo meo, cuius hoc dictum à Druide ipse retulerat. Denique vt erat altus, risit & tacuit. Apros tamen in venationibus, vbi fuit facultas, manu sua semper occidit. Denique quum Aurelianus Imperium accepisset, quum Probus, quum Tacitus, quum ipse Carus, Diocletianus dixit, *Ego semper apros occido,*

Gladio percutiens percutitur.

Poetarum dicta à plurimis vsurpata.

Omen imperij Diocletiano datũ à Druide muliere.

Diocletianus amphibologia vocis Apri diu deceptus.

Tandem Apro bipede & fatali interfecto pra dictionem fatidicæ mulieris impletam esse experitur.

sed alter semper vtitur pulpamento. Iam illud notum est atque vulgatum, quòd quum occidisset Aprum præfect. præt. dixisse fertur; *Tandem Aprum fatalem occidi.* Ipsum Diocletianum idem auus meus dixisse dicebat, nullam aliam fuisse sibi causam occidendi manu sua Aprum, nisi vt impleret Druidis dictum, & suum firmaret imperium. Non enim tam crudelem se innotescere cuperet, primis maximè diebus imperij; nisi illum necessitas ad hanc atrocitatem occisionis attraheret. Dictum est de Caro, dictum etiam de Numeriano, superest nobis Carinus.

Carinus.

Carini mores contaminatissimi.

Et eo tẽpore quo minimè oportuit. Reipub. enim cura intemperantissimos principes ad seria tractãda & persequenda vt plurimũ reuocare solẽt Contra Carinus luxuria & crudelitate pascitur, quod aliis innumeris Carinis accidisse

CARINVS homo omnium contaminatissimus, adulter, frequens corruptor iuuentutis (pudet dicere quod in literas Onesimus retulit) ipse quoq; malè vsus genio sexus sui. Hic quum Cæsar decretis sibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis & Africa, relictus à patre Cæsarianum teneret imperium; sed ea lege vt omnia faceret quæ Augusti faciunt, enormibus se vitiis & ingenti fœditate maculauit. Amicos optimos quosque relegauit: pessimum quenque elegit aut tenuit: præf. vrbi vnum ex cancellariis suis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici. Præfectum præt. quem habebat, occidit: in eius locum Matronianum, veterem conciliatorem, fecit vnum ex his notarium quem stuprorum & libidinum conscium semper atque adiutorem habuerat, inuito patre consulem fecit. Superbas ad senatum literas dedit. Vulgo vrbis Romæ quasi populo Rom. bona senatus promisit. Vxores ducendo ac reiiciendo nouem duxit, pulsis plerisque prægnantibus. Mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus atque lenonibus, palatium impleuit. Fastidium subscribendi tantum

tantum habuit vt impurum quendam cum quo semper meridie iocabatur, ad subscribendum poneret, quem obiurgabat plerunque quòd bene suam imitaretur manum. Habuit gemmas in calceis: nisi gemmata fibula vsus non est. Balteum etiam sæpe gemmatum. Regem denique illum Illyrici plerique vocitarunt. Præfectus nunquam coss. obuiam processit. Hominibus improbis plurimum detulit, eósque ad conuiuium semper vocauit. Centum libras auium, centum piscium, mille diuersæ carnis in conuiuio suo frequenter exhibuit. Vini plurimum effudit. Inter poma & melones natauit. Rosis Mediolanensibus & triclinia & cubicula strauit. Balneis ita frigidis vsus est, vt solent esse cellæ suppositoriæ, frigidariis semper niualibus. Quum hyemis tempore ad quendam locum venisset in quo fons erat aqua pertepida, vt solet per hyemem naturaliter, eáque in piscina vsus esset, dixisse balneatoribus fertur, *Aquam mihi muliebrem præparatis*: atque hoc eius clarissimum dictum effertur. Audiebat pater eius quæ ille faceret, & clamabat, *Non est meus*. Statuerat denique Constantium (qui postea Cæsar est factus tunc autem præsidatum Dalmatiæ administrabat) in locum eius subrogare quòd nemo tunc vir melior videbatur: illum verò (vt Onesimus dicit) occidere. Longum est si de eius luxuria plura velim dicere. Quicunque ostiatim cupit noscere, legat etiam Fuluium Asprianum vsque ad tædium gestorum eius vniuersa dicentem. Hic vbi patrem fulmine absumptum, fratrem à socero interemptum, Diocletianum Augustum appellatum comperit, maiora vitia & scelera edidit, quasi iam liber à frenis domesticæ pietatis suorum moribus absolutus. Nec ei tamen defuit ad vindicandum sibimet imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianum multis præliis conflixit. Sed vltima pugna apud Murtium

sequentium seculorum historia testatur.

Carini molities probrosa. Roma eiusmodi mõstris dignissima.

Pater generosus degens sobolem repudiat.

Impij & luxuriosi principes quum minus conueniit tunc sibi maximè indulgent.

Carinus à Diocletiano victus. commiſſa victus occubuit. Hic trium principum finis fuit, Cari, Numeriani, & Carini: poſt quos Diocletianum & Maximianum principes dij dederunt, iungentes talibus viris Galerium atque Conſtantium: quorum alter natus eſt, qui acceptam ignominiam Valeriani captiuitate deleret: alter qui Gallias Romanis legibus redderet. *Sequentium Imperatorũ vitæ à Cl. Euſthenio ſcriptæ, cuius libri perierunt.* Quatuor ſane principes mundi, fortes, ſapientes, benigni, & admodum liberales, vnum in republica ſentientes: prӕterea ſenatui Rom. moderati, populo amici, poteſtate graues, religioſi, & quales principes ſemper orauimus: quorum vitam ſingulis libris Claudius Euſthenius, qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit: quod idcirco dixi, ne quis a me tantam rem quæreret, maximè quum vel viuorum principum vita non ſine reprehenſione dicatur. *Quid memorabile ſub Carini & Numeriani imperio.* Memorabile maximè & Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos ſpectaculis dederunt, quos in palatio circa porticum ſtabuli pictos vidimus. Nam & Neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & Toichobaten, qui per parietem vrſo eluſo cucurrit: & vrſos mimum agentes: & item centum ſalpiſtas vno crepitu concinentes, & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos & gymnicos mille: *Sub vano principe vanitas conſpicua.* pegma præterea, cuius flammis ſcena conflagrauit, quam Diocletianus poſtea magnificentiorem reddidit. Mimos prӕterea vndique aduocauit. Exhibuit & ludum Sarmaticum quo dulcius nihil eſt. Exhibuit Cyclopem adornatum. & Græcis artificibus & gymnicis, & hiſtrionibus & muſicis aurum & argentum donata, & veſtis ſerica. Sed hæc omnia neſcio quantum ad populum gratiæ habeant, nullius certè ſunt momenti apud principes bonos. *Quæ nullius eſt momenti apud bonos principes.* Diocletiani denique dictum fertur, quum ei quidam largitionalis ſuus editionem Cari laudaret, dicens multum

tum

tum placuisse principes illos causa ludorum theatralium ludorúmque circensium, Ergo (inquit) bene risus est imperio suo Carus. Denique quum omnibus gentibus aduocatis Diocletianus daret ludos, parcissimè vsus liberalitate, dicens, castiores esse oportere ludos spectante censore. Legat hunc locum Iunius Messala, quem ego liberè culpare audeo. Ille enim patrimonium suum scenicis dedit, hæredibus abnegauit: matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: & rectè si auiæ pallio aurato atque purpurato, pro syrmate tragœdus vteretur. Inscriptum est adhuc in choraule pallio tyrianthino, quo ille velut spolio nobilitatis exultat, Messalæ nomen & vxoris. Iam quid lineas petitas Aegypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles? Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini, Africanæ opes in scena non prius visæ. Et hæc quidem idcirco ego in literas retuli quò futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia sua, proscriptis legitimis hæredibus, mimis & balatronibus deputarent. Habe, mi amice, meum munus, quod ego (vt sæpe dixi) non eloquentiæ causa, sed curiositatis, in lumen edidi: id præcipuè agens vt siquis eloquens vellet facta principum resecare, materiam non requireret, habiturus meos libellos ministros eloquij. Te quæso sis contentus, nósque sic voluisse scribere, meliúsque potuisse, contendas.

Censura Vopisci de ludis à Iunio Messala maximo sumptu editis.

Conclusio huius historiæ Vopisci.

SEXTI AVRELII VICTORIS

Diocletianus.

BREVIARIVM.

1 *Diocletianus Numeriano succedit, Carino oppresso.*

2 *Aprum Numeriani socerum interficit, plures collegas assumit sibi, cum quibus summam colit concordiam.*

3 *Res pace & bello gestæ sub Diocletiani Iouii & Maximiani Herculii imperio, cuius curam abiiciũt.*

1 *Numeriano cruenta morte sublato Diocletianus, princeps ambitiosissimus, cætera eximius, succedit.*

NVMERIANVS amisso patre Caro, simul confectum existimans bellum, cùm exercitum reductaret, Apri præfecti prætorio, Soceri insidiis extinguitur: quîs casum detulit adolescentis oculorum dolor, denique diu facinus occultatum, dum clausum lectica cadauer, specie ægri, ne vento obtunderetur acies, gestabatur. Sed postquam odere tabescentium membrorum scelus proditum est, ducum consilio Tribunorúmque *Valerius Diocletianus* domesticos regens, ob sapientiam deligitur: magnus vir, his moribus tamen: Quippe qui primus ex auro veste quæsita, serici ac purpuræ gemmarúmque vim plantis concupiuerit. Quæ quanquam plus quàm ciuilia, tumidique & affluentis animi: leuia tamen præ cæteris: namque se primus omnium Caligulam post Domitianúmque Dominum palam dici passus, & adorari se, appellariq; vti Deum. Quîs rebus, quantum ingenium est, compertum

pertum habeo, *humillimos quosque, maximè vbi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse.* Hinc Marius patrum memoria, hinc iste nostra, communem habitum supergressi, dum animus potentiæ expers, tanquam inedia refectus, insatiabilis est. Quo mihi mirum videtur, Nobilitati plerosque superbiam dare, quæ gentis patriciæ memor, molestiarum, quîs agitatur, remedio, eminere paululum pluris habet. Verùm hæc in *Valerio* obducta cæteris bonis, eóque ipso quod Dominum dici passus, parentem egit: satisque constat prudentem virum edocere voluisse, *atrocitatem rerum magis quàm nominum officere.* Interim Carinus, eorum quæ acciderant certior, spe facilius erumpentis metus sedatum iri, Illyricum properè Italiæ circuitu petit. Ibi Iulianum, pulsa eius acie, obtruncat. Námque is cum Venetos correctura ageret, Cari morte cognita, imperium auens arripere, aduentanti hosti obuiam processit. At Carinus vbi Mœsam contigit, ilico Murgum iuxta Diocletiano congressus, dum victos auide præmeret, suorum ictu interiit, quod libidine impatiens militarium nuptas affectabat: quarum infestiores viri iram tamen dolorémque in euentum belli distulerant. Quo prosperius cedente, metu ne huiusmodi ingenium magis magisque victoria insolesceret, sese vlti sunt. Is finis Caro, liberisque, Narbone patria, imperium biennij fuere.

Carino competitore propter libidines à suismet interfecto.

2 IGITVR Valerius Diocletianus prima ad exercitum concione, cum educto gladio, solem intuens, obtestaretur, ignarum cladis Numeriani, neque imperij cupientem se fuisse, Aprum proximè astantem ictu transegit: cuius dolo adolescens bonus, facundúsque, & gener, occiderat: cæteris venia data, retentique hostium ferè omnes, ac maximè vir insignis Aristobulus præfectus prætorio per officia sua. Quæ res post memoriam humanam noua

Aper sceleratus parricida pœnas meritas luit

Clementia politica Diocletiani.

atque inopinabilis fuit, ciuili bello, fortunis, fama, dignitate spoliatū neminē: *cùm piè admodum mansuetéque geri lætemur, exsilio, proscriptioni, atq; etiam suppliciis & cædibus modum fieri.* Quid ea memorem, adsciuisse consortio multos externósque, tuendi prolatandive gratia iuris Romani? Námque vbi comperit Carini discessu, Helianum Amandúmque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris plerasque vrbium tentare, *Maximianum* statim, fidum amicitia, quanquam semiagrestem, militiæ tamen atque ingenio bonum, Imperatorem iubet. Huic postea cultu numinis, *Herculii* cognomentum accessit, vti Valerio *Ionii*: vnde etiam militaribus auxiliis longè in exercitu præstantibus nomen impositum. Sed Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia breui patrauerat. Quo bello Carausius, Menapiæ ciuis, factis promptioribus enituit: eóque eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus præfecere. Hoc elatior, cùm parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret, Herculij metu, à quo se cædi iussum compererat, Britanniam hausto imperio capessiuit. Eodem tempore Orientem Persæ, Africam Iulianus ac nationes Quinquegentanæ grauiter quatiebant. Adhuc apud Aegypti Alexandriam Achilleus nomine, dominationis insignia induerat. His de caussis *Iulium Constantium, Galerium Maximianum*, cui cognomen Armentario erat, creatos Cæsares, in affinitatem vocat. Prior Herculij priuignam, alter Diocletiano editum sortiuntur, diremptis prioribus coniugiis: vt in Nerone, Tiberio ac Iulia filia Augustus quondam fecerat. His sanè omnibus Illyricum patria fuit: qui quanquam humanitatis parum

Prudentia, collegā quū opus est, adsciscens.

Carausij ambitio.

Bellis vexatur imperiū Rom. vnde nouorum collegarum adoptio.

parum, iuris tamen ac militiæ miseriis imbuti satis optimi reipub. fuere. Quare constat *sanctos prudentésque sensu mali promptius fieri: contráque expertes ærumnarum, dum opibus suis cunctos æstimant, minus consistere.* Sed horum concordia maximè edocuit *virtuti ingenium vsúmque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probique institutio fuit, penè sat esse.* Denique Valerium, vt parentem, seu Dei magni suspiciebant modo: quod quale quantúmque sit, ab vrbis conditore ad nostram ætatem propinquorum facinoribus patefactum est.

Mira potentiss. collegarum concordia.

3 ET quoniam bellorum moles acrius vrgebat, quasi partito imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt Constantio commissa, Africa Italiáque Herculio, Illyriciq; ora vsque ad Ponti fretum Galerio, cætera Valerius retentauit. Hinc denique parti Italiæ inuectum tributorum ingens malum. Nam cùm omnis eadem functione moderatáque ageret, quo exercitus atque Imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent, pensionibus, inducta lex noua. Quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis in perniciem processit. His tempestatibus interim Iouio Alexandriam profecto, prouincia credita Maximiano Cæsari, vti relictis finibus in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. A quîs primò grauiter vexatus, con tracto confestim exercitu è veteranis ac tironibus per Armeniam in hostes contendit: quæ fermè sola seu facilior vincendi via est. denique ibidem Narseum regem in ditionem subegit, simul liberos, coniugésque & aulam regiam: adeo victor, vt ni Valerius, cuius nutu omnia gerebantur, incertum qua caussa, abnuisset, Romani fasces in prouinciam nouam ferrentur. Verùm pars terrarum tamen nobis vtilior quæsita: quæ cum acrius reposcuntur, bellum recens susceptum est, graue admodum perni-

Diuisio imperij, & Cæsarum bella.

Tributa.

Maximianus Persas debellat.

Achilleus victus in Aegypto.

ciosúmque. At in Aegypto Achilleus, facili negotio pulsus, pœnas luit. Per Africam gestæ res pari modo, solique Carausio remissum insulæ imperium, postquam iussis ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus. Quem sanè sexennio post Allectus nomine, dolo circumuenit. Qui cum eius permissu summæ rei præesset, flagitiorum & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat. quo vsum breui, Constantius Asclepiodoto, qui prætorianis præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmisso, deleuit. Et interea cæsi Marcomanni, Carporúmque natio translata omnis in nostrum solum, cuius ferè pars iam tum ab Aureliano erat. Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis: ac remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt. Qui cùm ad explorandum annunciandúmque, qui forte in prouinciis motus exsisterent, instituti viderentur, compositis nefariè criminationibus, iniecto passim metu, præcipuè remotissimo cuique, cuncta fœdè diripiebant: simul annona, vrbis ac stipendiariorum salus anxie soliciteque habita: honestiorúmque prouectu: & è contra suppliciis flagitiosi cuiusque virtutum studia augebantur: veterrimæ religiones castissimè curatæ. Ac mirum in modum nouis adhuc cultisque mœnibus Romana culmina & cæteræ vrbes ornatæ, maximè Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Neque tamen cùm hæc agerent extra vitia fuerunt. Quippe Herculius libidine tanta agebatur, vt ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret: Valerio parum honesta in amicos fides erat, discordiarum sanè metu, dum enunciationibus posse agitari quietem consortij putat. Hinc etiam quasi truncatæ vires Vrbis, imminuto prætoriarum cohortium atque in armis vulgi numero: quo quidem plures volunt

Allectus in Africa deletus. Marcomanorum item & Carporum gens subacta.

Reip. status sub Diocletiano & Maximiano Herculio, atque horum vitia & abdicatio.

volunt imperium posuisse. Namque imminentium scrutator, vbi fato intestinas clades, & quasi fragorem quendam impendere comperit status Romani, celebrato regni vicesimo anno, valentior curam reipub. abiecit, cùm in sententiam Herculium ægerrimè traduxisset, cui anno minus potentia fuerat. Et quanquam aliis alia æstimantibus veri gratia corrupta sit, nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse.

POMPONII LÆTI
C. Aurel. Valerius Diocletianus Iouius, & Maximianus Herculius.

BREVIARIVM.

1 *Diocletianus Apro & Carino deletis constitutus Imperator Maximianum consortē imperii legit.*

2 *Horum collegæ & bella.*

3 *Bellum Persicum à Galerio feliciter confectum.*

4 *Imperii onere deposito Diocletianus & Maximianus priuatam vitam colunt. vtriúsque obitus.*

DIOCLETIANVS Salonis Dalmatiæ ortus, vtroque parente ignobili & obscuro (quidam scribunt libertino Anulini senatoris genitum, quidam scribæ filium) militare à pueritia cœpit. Qúmque gregarius miles in Gallia esset, diuersorio cuiusdam Dryadis vtebatur, ab qua cibaria emebat, debebátque plurimum vetulæ: quum illa pretium posceret,

1 *Diocletiani stemma obscurum.*

Belli tyrocinia & imperij omen.

dicere solebat, *Soluam quum Imperator fuero.* At illa subiunxit, *Eris Imperator quum Aprum interficies.* Hac voce augurium futurę felicitatis accepit, etiam studebat venatum ire, sæpius contra apros congrediens, plurimos interfecit: tandem quum Arium Aprum sua manu confodisset, & Imperator ob id factus esset, intellexit vocem Dryadis haud vanam fuisse. Profligato & cæso Carino Augustus appellatus, & ab S.P.Q.R. magno honore exceptus est. In quibusdam imperij regionibus facti sunt motus, & tyranni non deerant. Diocletianus animaduertens consorte imperij opus esse (vt citius pacem vbique redderet) *Maximianum* legit: tantáque fuit in gubernanda repub. inter principes concordia, vt alter alteri, quanuis semper honesta cupiebant, nunquam repugnauerit: verùm Maximianus, vt filius patri, Diocletiano obtemperabat. Felicissima cognomina sibi indidere. Diocletianus *Iouius*, Maximianus *Herculius* appellati sunt: velut ille Iouis, hic Herculis hæres. Iupiter, gigantes vt cæli regiam defenderet, perdidit: Diocletianus, vt orbis terrarum regiam tueretur, tyrannos surgentes, vt Centimanos, diligenti cura perdidit ac deleuit: & vt Iupiter turbata pacauit elementa, sic Diocletianus domitis ac cæsis seditiosis hominibus, imperium turbatum, tranquillum reddidit. Iupiter ab sua arce vndique suum numen diffundit: Diocletianus quanuis vno esset in loco, sua prouidentia præsens vbique videbatur. Hercules ἀλεξίκακος, à nostris custos generis humani cognominatus, vrbes, oppida, agros, regiones, syluas, horrendis & perniciosis monstris, & aerem infestis alitibus liberauit, simul & genus humanum tutatus est: Maximianus post salubre temperamentum virtutis & imperij assertor, nunquam nisi reddita toti orbi securitate, quieuit: conatus contra rempub. dispulit. Hercules qui magna gessit, materiam

Apro interfecto & Carino cæso Augustus appellatus.

Consortem imperij legit Maximianũ: cum quo concorditer remp. administrat

Horum cognomina.

Cognominũ ratio curiosènimium à Pomp. Læto, & stilo luxuriante ac adulatorio reddita.

riam præbuit camœnis concinendi, harúmque comes habitus eſt, vnde Muſagetes appellatus: Maximianus laborum Herculis æmulus, niuoſas Alpes maiore conatu tutior calcauit: latrones plurimos toto imperio exegit, ſuperiora ſecula geſtis adęquauit, peſtilentem aerem in perpetuam ſalubritatem reſtituit, immiſſis in perpetuas foueas paludibus, materiam canendi poetis exhibuit. Hercules Iouis F. Maximianus Diocletiani. Veram igitur cognominis adoptionem duo Cæſares Aug. meruere. Inter quos quidam clarior ac præcipuus amor vſque ad ſapientiæ finem perdurauit. Eam ſic appello quum imperium depoſuere.

Imperatorũ bella.

2 ITA cognomine patris ac filij vnanimes nihil orbi pacando pr̨etermiſere. Maximianus tumultus in Galliis, quos Amandus & Aelianus excitauerant ſub ſpecie tyrannidis, cum tota factione Bagaudarum (hoc nomine ſe appellauit turba ruſticorum) compreſſit mira celeritate, ſtatimque deleuit. Ita pax Galliis reſtituta eſt. Inde tranſlatus in Africam Gentianos deuicit, qui vix pacem impetrarunt. Quinquagenarij & ſupra eum numerum annorum hi milites fuere qui Africam diripiebant, cupientes ſibi regnum vindicare. Pullulantibus per varia loca nouis bellis, concordes Auguſtos duos adoptauere: Diocletianus *Galerium Maximianum*, Maximianus *Conſtantium* cognomine *Chloron*, Cæſaréſque fecerunt, & præter adoptionem affinitate iunxerunt. Nam coacti repudiare primas vxores, nouas duxerunt, ille Valeriam Diocletiani F. hic Theodoram priuignam Maximiani. Erat in Gallia Herculius: Iouius verò in Aegypto. Ille Gallias, vt diximus: hic euerſis duabus vrbibus, ſuperato Achilleo, pacauerat Aegyptum. vrbes prope veteres Thebas poſitæ erant, dites ac populoſæ, Buſiris & Coptos: ſpem rebellionis augebat Achilleus, cuius conſilio

Maximiani in Gallia.

Deinde in Africa.

Duo alij cõſortes adlecti.

Diocletiani bellum Aegyptium.

do marte vexabat. Maximinus verò iratum principem placare ſtudens, abolendæque ignominiæ accenſus, priuſquam manus confereret, hoſtium ſtationes ipſe habitu gregarij diligentiſſimè explorauit. Interea Diocletianus cum firmiſſimo ſubſidio Meſopotamiam conceſſerat, vt noſtris animum & hoſti terrorem præberet. ibique Cercuſium oppidum ſpatio ampliauit, mœnibus & turribus inexpugnabilibus muniuit. Galerius cum viginti millibus equitum ex improuiſo hoſtilia caſtra noctu aggreſſus, innumerabilium Perſarum ſtrage, decus noſtrum non modò vltus eſt, ſed felici vſus victoria, fines imperij longius produxit, vetus oraculum falſum eſſe oſtendit. Antiquiſſimi vates cecinerant, Romana arma Cteſiphontem tranſire nefas eſſe, & duces qui auſi fuiſſent, pœnas darent. Putant M. Craſſum id cogitantem cum exercitu periiſſe: M. Vlpium Trajanum tranſgredi auſum, Italiam non repetiiſſe, & quinque prouincias trans Tigrim ſtatim amiſiſſe. ſatiúſque fuiſſet iter non tentaſſe: legiones longo labore attriuit, & ferè conſumpſit, & quanuis victor longius produxerit terminos, tamen non multùm profecit. neſcio an ſic volentibus fatis, an culpa ſucceſſoris Adriani. Cteſiphontem cupiens tranſire ſuperato Tigride Valerianus, ab Sapore rege Perſarum captus eſt. Verùm Odenatus Palmyrenus victor Romanæ maieſtatis, Cteſiphontem vſque trans Tigrim peruenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè victorem duxit in Perſida, hoſtile regnum vaſtauit. Seleuciam cinctam Euphrate, quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnauit: deinde Cteſiphontem. & longius progredi volentem, vel morbus vel ictus fulmine cælo turbido & coruſcante abſumpſit. Galerius de quo nunc ſermo eſt, totam Aſſyriam expugnata Cteſiphonte cepit: & quinque prouincias

Inſignis Galerij victoria, veterũ oraculorum falſitatem aperiens.

Quid veteres Imperatores armis effecerint adu. Perſas.

Galerius Perſarum domitor.

Tran

Transtigritanas, quæ statim redeunte ad nos Trajano defecerant, subegit & imperio adiunxit. victor rediit ad Diocletianum, & post imperauit Augustus. Illud sane constat, numinum oracula bona ex parte vana & fidem rarò implere: & siquando euenerit, vix intelligi, & sæpius eludere credentes: adeóque præstat rationibus & experimentis atque consultò res aggredi: etsi in rebus bellicis fortuna plurimùm sibi vindicat, tamen credibile est etiam virtute augeri atque ampliari, vt in propagando Rom. imperio facilè animaduertere licet. Nam si de rebus futuris certa starent vaticinia, virtus pro nihilo esset. Non eo inficias cælitus nostra gubernari, verùm sapiens non vano consilio multa aduersa effugere potest: inconsultum & insipientem prosperi successus prætereunt. Illos verò non audio qui ad magarum monitus ac diuinationes res omnes componunt. Præter hoc quod diuulgatum iam erat, aliud occurrit augurium. Aciem explicanti contra Narsen Maximino, leo & aper trucidati oblati sunt. Tages aruspicum princeps, visum leonem exitialem pugnaturis putat. Verùm & hæc, vt oracula, sæpius vanescunt. In Maximini victoria fugatus & vulneratus Narses, quem victores vsque ad inuios Parthiæ montes persequuti sunt, & regis proles ferè omnes & vxores & sorores captæ sunt, pleraque Persarum nobilitas abducta, reguli ducésque & triumpho tam illustri reseruata, &, quanuis per legatos ab rege conualescente petita, promissa tamen, sed non statim restituta. Ictum verò est fœdus, vt Persæ ab Armeniis, Mesopotamia, Assyria, & quinque nouis prouinciis abstinerent. Diocletianus rebus toto oriente compositis, Europam repetiit: vbi iam Scythæ, Sarmatæ, Alani & Basternæ iugum subiuerant vna cum Carpis, Cattis & Quadis.

De oraculis ethnicorum sententia P. Lati.

Correctio eiusdem sententiæ.

Augurium aliud.

Narses à Maximino victus.

Vnde triumphus & fædus.

Status Europa.

4 TANDEM metus rerum humanarum, quæ

Diocletia-

nus & Maximianus Herculius reipub. cura abiecta ad otiosam vitam se recipiunt.

aut rarissimè, aut nunquam consistunt, Diocletianum suasit vt imperium deponeret. Eius etiam consilio ferum & asperum ingenium Maximiani, qui solebat in omnibus collegæ non repugnare, acquieuit. Igitur eodem die (nam ita conuenerant) Iouius Nicomediæ, Herculius Mediolani, rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus non minus dignam memoratu quam admirabilem peregerunt. In quo Iouij animus veram philosophiam est imitatus, affirmans tunc illuxisse diem, & habuisse vitæ principium, quòd magnis molestiis esset liberatus. Philosophi asserunt, dominatum appetere non esse sapientis hominis: & id cogitasse Augustum scribunt, sed vetitum ab amicissimis. Et M. Aurelius imperium molestias vocabat. Tamen ambo se excusant, & rem laudabilem ab amicis impeditam dicunt. Verùm ille sibi vixisse testari potest qui priuatus, sine rerum publicarum cura, & studioso otio, & rei rusticæ felicissimè indulsit. Stimulis collegæ vt imperium vnà repeterent, contradixit: disseruitque *se peste liberatum, nolle amplius venena imbibere, satis se pro republica elaborasse, & tempus appetiisse vt sibi viuat: & vixisse non posse testari, nisi postquam in patria sua, hoc est Salonis, holera seuisset.* Quum ille res angustas pro ea dignitate quæ præcesserat, obiiceret, respondit *non esse turpe homini qui summum bonum in animo posuerit, honestam profiteri paupertatem, exemplóque veterum, & præsertim C. Fabritii, castam opinionem confirmabat.* Vocatus ab Constantino atque Licinio, excusauit per literas senectuti minime licere. Quúmque illi ægre tulissent, rescripserunt se non admittere excusationem, quòd fauisset Maxentio ac Maximiano. Trebellius Pollio meminit Diocletianum dicere solitum, quum in priuata esset vita, *nihil esse difficilius quàm bene imperare. nam quisque pro voto de principe loquitur.* Ad hæc, principem cubiculo

Aliorum ducti exemplo.

De quibus P. Læti sententia.

Et Diocletiani ipsius.

Qui à successorib. frustra vocatur

Diocletiani scitè dicta.

culo

culo clusum vera minime noscere, aures suis præbere, & horum verbis accendi ac sedari, magistratus creare: denique sit, qui imperat, bonus, sit cautus, sit optimus, omnino venditur ab aulicis ac decipitur. Et interrogatus quę esset potissima in principe dos, respondit, *Liberalitas & clementia.* Hæc quum Aureliano desuisset, asserebat ducem esse debuisse non principem asperitatémque collegæ Imperator sæuius detestatus. In eóque summopere studuit vt liberalitatis & clementiæ cognomen assequeretur. Vnde (vt mihi videtur) Iouius appellatus. Nam qui iuuat, largitur & parcit: ius verò, ab quo clementia abest, crucem veteres appellauere. Vixit Diocletianus annis duodeoctoginta. imperauit annos XX. Mansit priuatus Salonis annos decem. Scribunt quidam stupore mentis, & longa ægritudine confectum, animam inter suspiria efflasse: quidam hausto veneno interiisse, quidam decreto senatus perfracta gula occubuisse. Id ego existimo de Herculio accipiendum esse non de Iouio. Quoniam quum pœnituisset Herculium assensisse collegæ, & inde animum hominis non flexisse, contulit se ad vrbem, simulans filio ad gubernacula auxilio fore. milites indignati sunt quòd ea tentaret, statímque subiunxit, se hoc figmento voluisse experiri an milites Maxentium amarent: vnde tumultum suppressit. Inde profectus est ad Constantinum generum suum ex Fausta quæ in Galliis erat, & clanculum quærebat genero insidias. Res aperta est viro per vxorem quæ patri maritum prætulit. Itaquè iussu generi captus Massiliæ, strangulatúsque est. Hunc finem meruit Maximianus, seuerus, asper & immitis: qui vbi collegæ obtemperauit, priuatum viuendi statum sequi debuit. Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine secesserat, nullius consilio adduci potuit vt pœniteret. Igitur priuatus quum esset, post mortem inter

Eius mores.

Cur Iouius cognominatus.

Et mors.

Maximiani gesta post abdicationē imperij.

Mores.

Thermæ Diocletiani. diuos relatus est. Thermæ eius nomine Romæ sunt consecratæ, & Maximiani Herculij Carthagini. Thermæ nominis Diocletiani inchoatæ fuerunt à veteribus principibus, & consecratæ ab nouis Augustis Constantio & Maximiano. Diocletianus igitur inchoatum opus absoluerat omni cultu perfectum. Sequuti principes posuere ibi statuas, & seniorum & nouorum Imperatorum: quorum capita integra, & fragmenta reliqua corporum erui ex subterranea testudine, velut ibi post ruinas thermarum conseruata, vidimus: & partim in capitolium delata, partim Florentiam missa. *Constantius & Maximianus inuicti Augusti, Seuerus & Maximinus Cæsares, thermas ornauerunt & Romanis suis dedicauerunt.* *Inscriptiones variæ.* Sitne in nominibus ambiguitas diximus. Hæc didicimus ex fractis marmoribus ibi effossis, in quibus & tituli victoriarum Maximiani Herculij in hæc verba,

M. Aur. Val. Maximiano Inuicto Aug. Pont. Max. Sarmat. Max. Goth. Max. Imp. VII. COS. III. *P. P. Proconf.*

Et item Viennæ Allobrogum, sic,

D. D. N. N. Imp. Cæs. C. Aur. Valerius Diocletianus P. P. inuict. Aug. muris Curalonensibus ædificiis prouidentia sua instituit.

Tis. atque erectis portam Viennensium Herculiam vocari iusserunt.

Et in fronte alterius portæ vrbis idem epigramma in fine sic,

Portam Romanam Iouiam vocari iusserunt. Nam Diocletianus Iouius est dictus, & Maximianus Herculius. Iouius & Herculius ab Gallis adeo dilecti, vt ab eis duo populi nomina sumpserint, Iouiorum & Herculiorum: & Viennenses duas vrbis portas, Iouiam & Herculiam appellauere, vt epigrammata docent. Porrò Diocletianus aurei seculi parens, & Maximianus ferrei existimatus.

ZOSI

ZOSIMI
Augusti & Cæsares,

A DIOCLETIANO AD CONSTANTII ET IVLIANI IMPERIVM.

Liber hic cõtinet res gestas sub Galerio, Constantio Chloro, Seuero, Maximino, Maxentio, Licinio, Constantino, & Constantini filiis.

BREVIARIVM.

1 *Gallerius & Constantius Imperatores, Seuerum & Maximinum Cæsares creant. Constantinus Constantii filius, patre defuncto, Cæsaris dignitatem obtinet. Maxentius Maximiani Herculii filius à tribunis militum & prætorianis Imperator salutatus, aduersus quem Gallerius Seuerum mittit. Maximianus Maxentii pater Seuerum insidiis interceptum occidit, & vt filio suo consuleret Diocletianum de imperio resumendo solicitat. Quod recusante Diocletiano alios dolos Maximianus fabricat.*

2 *Gallerius, adscito collega Licinnio, moritur: Maximianus Herculius item. Maxentius iniquis artibus suum imperium studens stabilire, milites ad seditionem prouocat, vnde Alexandri Africæ prætorio præfecti electio. Molitiones Maxentii in Constantinum Constantii filium. Bella seu latrocinia eiusdem Maxentii in Africa, vbi Alexander & alii oppressi sunt.*

3 *Bellum Constantini aduersus Maxentium, victum & fluminis Tiberis vndis immersum. Sororem Constantiam Licinnio vxorem tradit. Maximinus à Licinnio superatus, vitæ supremum diem obit.*

4 *Discordia inter Con-*

atque inopinabilis fuit, ciuili bello, fortunis, fama, dignitate spoliatũ neminẽ: *cùm piè admodum mansuetéque geri lætemur, exsilio, proscriptioni, atq; etiam suppliciis & cædibus modum fieri.* Quid ea memorem, adsciuisse consortio multos externósque, tuendi prolatandive gratia iuris Romani? Námque vbi comperit Carini discessu, Helianum Amandúmque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris plerasque vrbium tentare, *Maximianum* statim, fidum amicitia, quanquam semiagrestem, militiæ tamen atque ingenio bonum, Imperatorem iubet. Huic postea cultu numinis, *Herculii* cognomentum accessit, vti Valerio *Iouii*. vnde etiam militaribus auxiliis longè in exercitu præstantibus nomen impositum. Sed Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia breui patrauerat. Quo bello Carausius, Menapiæ ciuis, factis promptioribus enituit: eóque eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus præfecere. Hoc elatior, cùm parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret, Herculij metu, à quo se cædi iussum compererat, Britanniam hausto imperio capessiuit. Eodem tempore Orientem Persæ, Africam Iulianus ac nationes Quinquegentanæ grauiter quatiebant. Adhuc apud Aegypti Alexandriam Achilleus nomine, dominationis insignia induerat. His de caussis *Iulium Constantium, Galerium Maximianum*, cui cognomen Armentario erat, creatos Cæsares, in affinitatem vocat. Prior Herculij priuignam, alter Diocletiano editum sortiuntur, diremptis prioribus coniugiis: vt in Nerone, Tiberio ac Iulia filia Augustus quondam fecerat. His sanè omnibus Illyricum patria fuit: qui quanquam humanitatis parum

Clementia politica Diocletiani.

Prudentia, collegã quũ opus est, adsciscens.

Carausij ambitio.

Bellis vexatur imperiũ Rom. vnde nouorum collegarum adoptio.

parum, iuris tamen ac militiæ miſeriis imbuti ſatis optimi reipub. fuere. Quare conſtat *ſanctos prudentéſque ſenſu mali promptius fieri: contráque expertes ærumnarum, dum opibus ſuis cunctos æſtimant, minus conſitlere.* Sed horum concordia maximè edocuit *virtuti ingenium vſúmque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probíque inſtitutio fuit, pæne ſat eſſe.* Denique Valerium, vt parentem, ſeu Dei magni ſuſpiciebant modo: quod quale quantúmque ſit, ab vrbis conditore ad noſtram ætatem propinquorum facinoribus patefactum eſt.

Mira potentiſſ. collegarum concordia.

3 Et quoniam bellorum moles acrius vrgebat, quaſi partito imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ ſunt Conſtantio commiſſa, Africa Italiáque Herculio, Illyriciq; ora vſque ad Ponti fretum Galerio, cætera Valerius retentauit. Hinc denique parti Italiæ inuectum tributorum ingens malum. Nam cùm omnis eadem functione moderatáque ageret, quo exercitus atque Imperator, qui ſemper aut maxima parte aderant, ali poſſent, penſionibus, inducta lex noua. Quæ ſanè illorum temporum modeſtia tolerabilis in perniciem proceſſit. His tempeſtatibus interim Iouio Alexandriam profecto, prouincia credita Maximiano Cæſari, vti relictis finibus in Meſopotamiam progrederetur, ad arcendos Perſarum impetus. A quîs primò grauiter vexatus, contracto confeſtim exercitu è veteranis ac tironibus per Armeniam in hoſtes contendit: quæ fermè ſola ſeu facilior vincendi via eſt. denique ibidem Narſeum regem in ditionem ſubegit, ſimul liberos, coniugéſque & aulam regiam: adeo victor, vt ni Valerius, cuius nutu omnia gerebantur, incertum qua cauſſa, abnuiſſet, Romani faſces in prouinciam nouam ferrentur. Verùm pars terrarum tamen nobis vtilior quæſita: quæ cum acrius repoſcuntur, bellum recens ſuſceptum eſt, graue admodum perni-

Diuiſio imperij, & Cæſarum bella.

Tributa.

Maximianus Perſas debellat.

Achilleus victus in Aegypto.

ciosúmque. At in Aegypto Achilleus, facili negotio pulsus, pœnas luit. Per Africam gestæ res pari modo, solique Carausio remissum insulæ imperium, postquam iussis ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus. Quem sanè sexennio post Allectus nomine, dolo circumuenit. Qui cum eius permissu summæ rei præesset, flagitiorum & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat. quo vsum breui, Constantius Asclepiodoto, qui prætorianis præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmisso, deleuit. Et interea cæsi Marcomanni, Carporúmque natio translata omnis in nostrum solum, cuius fere pars iam tum ab Aureliano erat. Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis: ac remoto pestilenti frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt. Qui cùm ad explorandum annunciandúmque, qui forte in prouinciis motus exsisterent, instituti viderentur, compositis nefariè criminationibus, iniecto passim metu, præcipuè remotissimo cuique, cuncta fœdè diripiebant: simul annona, vrbis ac stipendiariorum salus anxie solicitéque habita: honestiorúmque prouectu: & è contra supplicijs flagitiosi cuiusque virtutum studia augebantur: veterrimæ religiones castissimè curatæ. Ac mirum in modum nouis adhuc cultisque mœnibus Romana culmina & cæteræ vrbes ornatæ, maximè Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Neque tamen cùm hæc agerent extra vitia fuerunt. Quippe Herculius libidine tanta agebatur, vt ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret: Valerio parum honesta in amicos fides erat, discordiarum sanè metu, dum enunciationibus posse agitari quietem consortij putat. Hinc etiam quasi truncatæ vires Vrbis, imminuto prætoriarum cohortium atque in armis vulgi numero: quo quidem plures volunt

Allectus in Africa deletus. Marcomãnorum item & Carporum gens subacta.

Reip. status sub Diocletiano & Maximiano Herculio, atque horum vitia & abdicatio.

volunt imperium poſuiſſe. Namque imminentium ſcrutator, vbi fato inteſtinas clades, & quaſi fragorem quendam impendere comperit ſtatus Romani, celebrato regni viceſimo anno, valentior curam reipub. abiecit, cùm in ſententiam Herculium ægerrimè traduxiſſet, cui anno minus potentia fuerat. Et quanquam aliis alia æſtimantibus veri gratia corrupta ſit, nobis tamen excellenti natura videtur ad communem vitam ſpreto ambitu deſcendiſſe.

POMPONII LÆTI

C. Aurel. Valerius Diocletianus Iouius, & Maximianus Herculius.

BREVIARIVM.

1 *Diocletianus Apro & Carino deletis conſtitutus Imperator Maximianum conſortē imperii legit.*

2 *Horum collegæ & bella.*

3 *Bellum Perſicum à Galerio feliciter confectum.*

4 *Imperii onere depoſito Diocletianus & Maximianus priuatam vitam colunt. vtriúſque obitus.*

DIOCLETIANVS Salonis Dalmatiæ ortus, vtroque parente ignobili & obſcuro (quidam ſcribunt libertino Anulini ſenatoris genitum, quidam ſcribæ filium) militare à pueritia cœpit. Quúmque gregarius miles in Gallia eſſet, diuerſorio cuiuſdam Dryadis vtebatur, ab qua cibaria emebat, debebátque plurimum vetulæ: quum illa pretium poſceret,

1 *Diocletiani ſtemma obſcurum.*

Belli tyrocinia & imperij omen.

dicere solebat, *Soluam quum Imperator fuero.* At illa subiunxit, *Eris Imperator quum Aprum interficies.* Hac voce augurium futurę felicitatis accepit, etiam studebat venatum ire, sæpius contra apros congrediens, plurimos interfecit: tandem quum Arium Aprum sua manu confodisset, & Imperator ob id factus esset, intellexit vocem Dryadis haud vanam fuisse. Profligato & cæso Carino Augustus appellatus, & ab S.P.Q.R. magno honore exceptus est. In quibusdam imperij regionibus facti sunt motus, & tyranni non deerant. Diocletianus animaduertens consorte imperij opus esse (vt citius pacem vbique redderet) *Maximianum* legit: tantáque fuit in gubernanda repub. inter principes concordia, vt alter alteri, quanuis semper honesta cupiebant, nunquam repugnauerit: verùm Maximianus, vt filius patri, Diocletiano obtemperabat. Felicissima cognomina sibi indidere. Diocletianus *Iouius*, Maximianus *Herculius* appellati sunt: velut ille Iouis, hic Herculis hæres. Iupiter, gigantes vt cæli regiam defenderet, perdidit: Diocletianus, vt orbis terrarum regiam tueretur, tyrannos surgentes, vt Centimanos, diligenti cura perdidit ac deleuit: & vt Iupiter turbata pacauit elementa, sic Diocletianus domitis ac cæsis seditiosis hominibus, imperium turbatum, tranquillum reddidit. Iupiter ab sua arce vndique suum numen diffundit: Diocletianus quanuis vno esset in loco, sua prouidentia præsens vbique videbatur. Hercules ἀλεξίκακος, à nostris custos generis humani cognominatus, vrbes, oppida, agros, regiones, syluas, horrendis & perniciosis monstris, & aerem infestis alitibus liberauit, simul & genus humanum tutatus est: Maximianus post salubre temperamentum virtutis & imperij assertor, nunquam nisi reddita toti orbi securitate, quieuit: conatus contra rempub. dispulit. Hercules qui magna gessit, materiam

Apro interfecto & Carino caso Augustus appellatus.

Consortem imperij legit Maximianũ: cum quo concorditer remp. administrat

Horum cognomina.

Cognominũ ratio curiosènimium à Pomp. Lato, & stilo luxuriante ac adulatorio reddita.

riam præbuit camœnis concinendi, harúmque comes habitus est, vnde Musagetes appellatus: Maximianus laborum Herculis æmulus, niuosas Alpes maiore conatu tutior calcauit: latrones plurimos toto imperio exegit, superiora secula gestis adęquauit, pestilentem aerem in perpetuam salubritatem restituit, immissis in perpetuas foueas paludibus, materiam canendi poetis exhibuit. Hercules Iouis F. Maximianus Diocletiani. Veram igitur cognominis adoptionem duo Cæsares Aug. meruere. Inter quos quidam clarior ac præcipuus amor vsque ad sapientiæ finem perdurauit. Eam sic appello quum imperium deposuere.

2 ITA cognomine patris ac filij vnanimes nihil orbi pacando prętermisere. Maximianus tumultus in Galliis, quos Amandus & Aelianus excitauerant sub specie tyrannidis, cum tota factione Bagaudarum (hoc nomine se appellauit turba rusticorum) compressit mira celeritate, statimque deleuit. Ita pax Galliis restituta est. Inde translatus in Africam Gentianos deuicit, qui vix pacem impetrarunt. Quinquagenarij & supra eum numerum annorum hi milites fuere qui Africam diripiebant, cupientes sibi regnum vindicare. Pullulantibus per varia loca nouis bellis, concordes Augustos duos adoptauere: Diocletianus *Galerium Maximianum*, Maximianus *Constantium* cognomine *Chloron*, Cæsaréśque fecerunt, & præter adoptionem affinitate iunxerunt. Nam coacti repudiare primas vxores, nouas duxerunt, ille Valeriam Diocletiani F. hic Theodoram priuignam Maximiani. Erat in Gallia Herculius: Iouius verò in Aegypto. Ille Gallias, vt diximus: hic euersis duabus vrbibus, superato Achilleo, pacauerat Aegyptum. vrbes prope veteres Thebas positæ erant, dites ac populosæ, Busiris & Coptos: spem rebellionis augebat Achilleus, cuius consilio

Imperatorū bella.

Maximiani in Gallia.

Deinde in Africa.

Duo alij cōsortes adlecti

Diocletiani bellum Aegyptium.

ferè tota dissenserat Aegyptus, tandem cæsis vbique authoribus defectionis, intra nouem menses quieuit prouincia seminarium religionum, in qua archisynagogi plurimum autoritatis habebant. Alexandria verò obsessa & VIII mense capta est. Imperator contentus optimatum cæde, abstinuit à multitudine. Achilleus verò meritas luit pœnas, feris oppositus & dilaniatus: terra verò vbique cædibus potentium maduit. Frustra contra Crausium, Britanniam insulam occupantem, arma cœpimus per duces Maximiani, qui anno VII, ab socio per insidias petitus occisúsque est, & is tyrannidem sumpsit, qui tertio pòst anno ab Asclepiodoto præf. præt. victus est. Britanniæ decimo pòst anno quàm defecerant receptæ sunt. Britanniam circumfluam oceano Aborigines tenuere, nomen indiderunt Britanni continentis, qui sunt intra Gallos & Hispanos, vocati pòst Britones, & hi accolæ oceani insula potiti. Eò deinde concessere Hispani, Galli & Germani. Primus Romanorum Caius Cæsar insulam ostendit. Vespasianus imperante Claudio captis regibus, domuit. Huc quum frequentes irent Romani, paulatim nostros imbibit mores. Constantius verò multa præclara gerens in Galliis, semel quum esset apud Lingonas populos, eodem die varietatem fortunæ expertus est. Alemanni magno impetu irrumpunt, Constantium in fugam verterunt. Is ad propinquam vrbem fessus se contulit. cuius portæ hostili metu occlusæ fuerant: & nisi demisso fune per muros sublatus fuisset, eum hostes captiuum abduxissent. In vrbe hortatus est robur suorum, qui eò antè confugerant, ne talem ignominiam paterentur. Pòst concionatus est ciuibus vt arma caperent, & dedecori abolendo auxilium præstarent. ita apertis portis erumpunt, hostes fugant, & propè LX millia cedunt. Ea victoria liberatæ Galliæ, attritæ

Caput seditionis feris oppositum.

Bellum Britannicum.

De Britannia, siue Anglia, insula.

Constantij Chlori bellũ aduer. Alemãnos, quos feliciter opprimit.

Celeritas audax felici successu potitur.

Germ

Germaniæ suas vires amisere, quas reparare nisi non sunt Alemanni. At in Aegypto erat Diocletianus, vt res turbatas in oriente sedaret. Narses enim modò Armenias, modò Mesopotamiam acri bello quatiebat, & cum eo conuenerant propinqui reges ac duces præcipui, rex Scionitarum & rex Albanorum.

3 PRIVSQVAM bellum contra Persas explicemus, non alienum forte erit acerrimi progeniem hostis, aperire. Regnauit in Perside Artaxerxes quidam ex genere illius qui per seditionem à militibus regnum accepit, Persis præfecit. Huius filius fuit Sapores, Saporis Hormisdas, Hormisdæ Vararanes, huius verò Vararaces, Vararacis Vararanes secundus, qui Narsen filium regni successorem reliquit. Contra hunc ab Diocletiano missus est Galerius. Eteuim ipse expeditionem parare cupiebat in Aethiopas, si res in oriente prosperè succederent. Galerius iuuenili ardore ausus est contra multitudinem congredi, & æquo marte discessit. Inde factus animosior, non longè à Carris iterum congressus, paulo inconsultius quàm antea, dum sperat vincere, superatur, amisso ferè toto exercitu. Itaque repulsus rediit in Syriam, & inde ad Diocletianum, occurritque Augusto in itinere, ad quem antea aduersi belli fama venerat. Galerius purpura indutus (nam Cæsar erat) mille passus ante carpentum indignati principis pedes cucurrit, veluti homo gregarius, & auditus non est. Tandem princeps post minas iussit vti ex lectissimo supplemento exercitum reficeret, & in Persida rediret ignominiámque aboleret. Is ex militibus Daciæ, Illyriæ ac Mysiæ, pugnacissimas copias & robustissimas coegit: & contra Persas meliore auspicio profectus, hostem inuenit in Armenia maiore, qui ex recenti victoria sumptis viribus prouincias imperij Romani secun-

Persicorum regum stemma.

Galerius Persis bellū infert, & superior primùm euadit deinde sua temeritate frangitur.

A Diocletiano obiurgatos, nouis viribus sumptis & animo collecto hostium stationes explorat, eorúmque potentiam ferociter contundit.

do marte vexabat. Maximinus verò iratum principem placare studens, abolendæque ignominiæ accensus, priusquam manus consereret, hostium stationes ipse habitu gregarij diligentissimè explorauit. Interea Diocletianus cum firmissimo subsidio Mesopotamiam concesserat, vt nostris animum & hosti terrorem præberet. ibique Cercusium oppidum spatio ampliauit, mœnibus & turribus inexpugnabilibus muniuit. Galerius cum viginti millibus equitum ex improuiso hostilia castra noctu aggressus, innumerabilium Persarum strage, decus nostrum non modò vltus est, sed felici vsus victoria, fines imperij longius produxit, vetus oraculum falsum esse ostendit. Antiquissimi vates cecinerant, Romana arma Ctesiphontem transire nefas esse, & duces qui ausi fuissent, pœnas darent. Putant M. Crassum id cogitantem cum exercitu periisse: M. Vlpium Trajanum transgredi ausum, Italiam non repetiisse, & quinque prouincias trans Tigrim statim amisisse. satiúsque fuisset iter non tentasse: legiones longo labore attriuit, & ferè consumpsit, & quamuis victor longius produxerit terminos, tamen non multùm profecit. nescio an sic volentibus fatis, an culpa successoris Adriani. Ctesiphontem cupiens transire superato Tigride Valerianus, ab Sapore rege Persarum captus est. Verùm Odenatus Palmyrenus victor Romanæ maiestatis, Ctesiphontem vsque trans Tigrim peruenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè victorem duxit in Persida, hostile regnum vastauit. Seleuciam cinctam Euphrate, quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnauit: deinde Ctesiphontem. & longius progredi volentem, vel morbus vel ictus fulmine cælo turbido & coruscante absumpsit. Galerius de quo nunc sermo est, totam Assyriam expugnata Ctesiphonte cepit: & quinque prouincias

Insignis Galerij victoria, veterũ oraculorum falsitatem aperiens.

Quid ueteres Imperatores armis effecerint adu. Persas.

Galerius Persarum domitor.

Tran

Transtigritanas, quæ statim redeunte ad nos Trajano defecerant, subegit & imperio adiunxit. victor rediit ad Diocletianum, & post imperauit Augustus. Illud sane constat, numinum oracula bona ex parte vana & fidem rarò implere: & siquando euenerit, vix intelligi, & sæpius eludere credentes: adeóque præstat rationibus & experimentis atque con sultò res aggredi: etsi in rebus bellicis fortuna plurimùm sibi vindicat, tamen credibile est etiam virtute augeri atque ampliari, vt in propagando Rom. imperio facilè animaduertere licet. Nam si de rebus futuris certa starent vaticinia, virtus pro nihilo esset. Non eo inficias cælitus nostra gubernari, verùm sapiens non vano consilio multa aduersa effugere potest: inconsultum & insipientem prosperi successus prætereunt. Illos verò non audio qui ad magarum monitus ac diuinationes res omnes componunt. Præter hoc quod diuulgatum iam erat, aliud occurrit augurium. Aciem explicanti contra Narsen Maximino, leo & aper trucidati oblati sunt. Tages aruspicum princeps, visum leonem exitialem pugnaturis putat. Verùm & hæc, vt oracula, sæpius vanescunt. In Maximini victoria fugatus & vulneratus Narses, quem victores vsque ad inuios Parthiæ montes persequuti sunt, & regis proles ferè omnes & vxores & sorores captæ sunt, pleraque Persarum nobilitas abducta, reguli ducésque & triumpho tam illustri reseruata, &, quanuis per legatos ab rege conualescente petita, promissa tamen, sed non statim restituta. Ictum verò est fœdus, vt Persæ ab Armeniis, Mesopotamia, Assyria, & quinque nouis prouinciis abstinerent. Diocletianus rebus toto oriente compositis, Europam repetiit: vbi iam Scythæ, Sarmatæ, Alani & Basternæ iugum subiuerant vna cum Carpis, Cattis & Quadis.

De oraculis ethnicorum sententia P. Lati.

Correctio eiusdem sententiæ.

Augurium aliud.

Narses à Maximino victus.

Vnde triumphus & fœdus.

Status Europæ.

4 TANDEM metus rerum humanarum, quæ

Diocletia-

nus & Maximianus Herculius reipub. cura abiecta ad otiosam vitam se recipiunt.

aut rarissimè, aut nunquam consistunt, Diocletianum suasit vt imperium deponeret. Eius etiam consilio ferum & asperum ingenium Maximiani, qui solebat in omnibus collegæ non repugnare, acquieuit. Igitur eodem die (nam ita conuenerant) Iouius Nicomediæ, Herculius Mediolani, rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus non minus dignam memoratu quam admirabilem peregerunt. In quo Iouij animus veram philosophiam est imitatus, affirmans tunc illuxisse diem, & habuisse vitæ principium, quòd magnis molestiis esset liberatus. Philosophi asserunt, dominatum appetere non esse sapientis hominis: & id cogitasse Augustum scribunt, sed vetitum ab amicissimis. Et M. Aurelius imperium molestias vocabat. Tamen ambo se excusant, & rem laudabilem ab amicis impeditam dicunt. Verùm ille sibi vixisse testari potest qui priuatus, sine rerum publicarum cura, & studioso otio, & rei rusticæ felicissimè indulsit. Stimulis collegæ vt imperium vnà repeterent, contradixit: disseruitque *se peste liberatum, nolle amplius venena imbibere, satis se pro republica elaborasse, & tempus appetiisse vt sibi viuat: & vixisse non posse testari, nisi postquam in patria sua, hoc est Salonis, holera seuisset.* Quum ille res angustas pro ea dignitate quæ præcesserat, obiiceret, respondit *non esse turpe homini qui summum bonum in animo posuerit, honestam profiteri paupertatem, exemplóque veterum, & præsertim C. Fabritii, castam opinionem confirmabat.* Vocatus ab Constantino atque Licinio, excusauit per literas senectuti minimè licere. Quúmque illi ægre tulissent, rescripserunt se non admittere excusationem, quòd fauisset Maxentio ac Maximiano. Trebellius Pollio meminit Diocletianum dicere solitum, quum in priuata esset vita, *nihil esse difficilius quàm bene imperare. nam quisque pro voto de principe loquitur.* Ad hæc, principem cubiculo

Aliorum ducti exemplo.

De quibus P. Læti sententia.

Et Diocletiani ipsius.

Qui à successorib. frustra vocatur

Diocletiani scitè dicta.

culo clusum vera minime noscere, aures suis præbere, & horum verbis accendi ac sedari, magistratus creare: denique sit, qui imperat, bonus, sit cautus, sit optimus, omnino venditur ab aulicis ac decipitur. Et interrogatus quę esset potissima in principe dos, respondit, *Liberalitas & clementia*. Hæc quum Aureliano defuisset, asserebat ducem esse debuisse non principem asperitatémque collegæ Imperator sæuius detestatus. In eóque summopere studuit vt liberalitatis & clementiæ cognomen assequeretur. Vnde (vt mihi videtur) Iouius appellatus. Nam qui iuuat, largitur & parcit: ius verò, ab quo clementia abest, crucem veteres appellauere. Vixit Diocletianus annis duodeoctoginta. imperauit annos x x: Mansit priuatus Salonis annos decem. Scribunt quidam stupore mentis, & longa ægritudine confectum, animam inter suspiria efflasse: quidam hausto veneno interiisse, quidam decreto senatus perfracta gula occubuisse. Id ego existimo de Herculio accipiendum esse non de Iouio. Quoniam quum pœnituisset Herculium assensisse collegæ, & inde animum hominis non flexisse, contulit se ad vrbem, simulans filio ad gubernacula auxilio fore. milites indignati sunt quòd ea tentaret, statímque subiunxit, se hoc figmento voluisse experiri an milites Maxentium amarent: vnde tumultum suppressit. Inde profectus est ad Constantinum generum suum ex Fausta quæ in Galliis erat, & clanculum quærebat genero insidias. Res aperta est viro per vxorem quæ patri maritum prætulit. Itaquè iussu generi captus Massiliæ, strangulatúsque est. Hunc finem meruit Maximianus, seuerus, asper & immitis: qui vbi collegæ obtemperauit, priuatum viuendi statum sequi debuit. Diocletianus, qui ab tanto rerum culmine secesserat, nullius consilio adduci potuit vt pœniteret. Igitur priuatus quum esset, post mortem inter

Eius mores.

Cur Iouius cognominatus.

Et mors.

Maximiani gesta post abdicationē imperij.

Mores.

Thermæ Diocletiani. diuos relatus est. Thermæ eius nomine Romæ sunt consecratæ, & Maximiani Herculij Carthagini. Thermæ nominis Diocletiani inchoatæ fuerunt a veteribus principibus, & consecratæ ab nouis Augustis Constantio & Maximiano. Diocletianus igitur inchoatum opus absoluerat omni cultu perfectum. Sequuti principes posuere ibi statuas, & seniorum & nouorum Imperatorum: quorum capita integra, & fragmenta reliqua corporum erui ex subterranea testudine, velut ibi post ruinas thermarum conseruata, vidimus: & partim in capitolium delata, partim Florentiam missa. *Constantius & Maximianus inuicti Augusti, Seuerus & Maximinus Cæsares, thermas ornauerunt & Romanis suis dedicauerunt.* *Inscriptiones variæ.* Sitne in nominibus ambiguitas diximus. Hæc didicimus ex fractis marmoribus ibi effossis, in quibus & tituli victoriarum Maximiani Herculij in hæc verba,

M. Aur. Val. Maximiano Inuicto Aug. Pont. Max. Sarmat. Max. Goth. Max. Imp. VII. COS. III. *P. P. Procons.*

Et item Viennæ Allobrogum, sic,

D. D. N. N. Imp. Cæs. C. Aur. Valerius Diocletianus P. P. inuict. Aug. muris Curalonensibus ædificiis prouidentia sua instituit.

Tis. atque erectis portam Viennensium Herculiam vocari iusserunt.

Et in fronte alterius portæ vrbis idem epigramma in fine sic,

Portam Romanam Iouiam vocari iusserunt. Nam Diocletianus Iouius est dictus, & Maximianus Herculius. Iouius & Herculius ab Gallis adeo dilecti, vt ab eis duo populi nomina sumpserint, Iouiorum & Herculiorum: & Viennenses duas vrbis portas, Iouiam & Herculiam appellauere, vt epigrammata docent. Porrò Diocletianus aurei seculi parens, & Maximianus ferrei existimatus.

ZOSI

ZOSIMI
Augusti & Cæsares,
A DIOCLETIANO AD CONSTANTII ET IVLIANI IMPERIVM.

Liber hic cōtinet res gestas sub Galerio, Constantio Chloro, Seuero, Maximino, Maxentio, Licinio, Constantino, & Constantini filiis.

BREVIARIVM.

1 *Gallerius & Constantius Imperatores, Seuerum & Maximinum Cæsares creant. Constantinus Constantii filius, patre defuncto, Cæsaris dignitatem obtinet. Maxentius Maximiani Herculii filius à tribunis militum & prætorianis Imperator salutatus, aduersus quem Gallerius Seuerum mittit. Maximianus Maxentii pater Seuerum insidiis interceptum occidit, & vt filio suo consuleret Diocletianum de imperio resumendo solicitat. Quod recusante Diocletiano alios dolos Maximianus fabricat.*

2 *Gallerius, adscito collega Licinnio, moritur: Maximianus Herculius item. Maxentius iniquis artibus suum imperium studens stabilire, milites ad seditionem prouocat, vnde Alexandri Africæ prætorio præfecti electio. Molitiones Maxentii in Constantinum Constantii filium. Bella seu latrocinia eiusdem Maxentii in Africa, vbi Alexander & alii oppreßi sunt.*

3 *Bellum Constantini aduersus Maxentium, victum & fluminis Tiberis vndis immersum. Sororem Constantiam Licinnio vxorem tradit. Maximinus à Licinnio superatus, vitæ supremum diem obit.*

4 *Discordia inter Con-*

ſtantinum & Licinnium, vnde bella & prælia acerrima, tandem induciæ, & noui Cæſares creati.

5 *Sauromatas debellat Conſtantinus, armáque iterum mouet in Licinnium, vnde vtrinque ingentes belli apparatus, & cruenta ad Hebrum pugna.*

6 *Licinnium fugientem Conſtantinus perſequitur & obſidet, claſſe eius clade afflicta & tandem diſsipata. Licinnius inde aufugit, bellum inſtaurat, ſed ingenti prælio ſuperatus Nicomediam contendit.*

7 *De Hormiſda Perſarum rege ad Conſtantinum confugiente iucunda narratio. Licinnius ſupplex Conſtantino factus, Theſſalonicam ablegatur, vbi non multò poſt interficitur.*

8 *Conſtantinus ſolus Imperator, Criſpum filium & Fauſtam vxorem vita priuat. Quibus de cauſis Chriſtianiſmum amplectitur. Imperii ſedem conſtituit Byzantii ſeu Conſtantinopoli, cuius ſitus & palatium à Conſtantino conditum deſcribitur.*

9 *De adminiſtratione imperii ſub Conſtantino.*

10 *Tres filios Cæſares creat Conſtantinus, ad amplitudinem vrbis longè maximæ Conſtantinopolin auget, de cuius incremento & excidio oraculum ſubiicit Zoſimus. Conſtantini lapſus in gubernatione politica detecti.*

11 *Mortuo Conſtantino tres filii ſuccedunt, diuidúntque imperium. Conſtantii crudelia facinora. Conſtans fratrem Conſtantinum interfici curat, & tandem ipſe Magnentii & aliorum artibus adprehenſus, & omni deſtitutus ope, necatus eſt.*

12 *Vetranionem & Magnentium nouos Imperatores Conſtantius perſequitur. Nepotianus Conſtantii nepos imperium arripit, & ciuili ſanguine pollutus, non multis poſt diebus interficitur à Marcellino Magnentii duce. Conſtantinus Vetraniorum dignitate exulum, ſuperſtitem relinquit in Bithynia, vbi fatis concedit.*

13 *Gallus à Conſtantio Cæſar appellatur. Magnentius initio belli proſperè*

rè agit, & dum progredi cogitat Constantii artibus penè subuertitur.

14 *His noua quædam consilia & strategemata Magnentius opponit, quæ non satis succedunt: superatis tamen obstaculis exercitum in tuto locat.*

15 *Belli inter Constantium & Magnentium progressus varii, & atrox tandem pugna.*

16 *Constantio victore, Magnentius consilii & amicorum inops mortem sibi cōsciscit. Decentius eius collega obtorta laqueo ceruice perit. Gallum Constantius tradit carnificibus necandū.*

DIOCLETIANO annis tribus post seculares ludos mortuo, qui iam facti erant Imperatores *Constantius & Maximianus Gallerius*, Cæsares appellauere *Seuerum, & Maximinum*, qui natus erat ex sorore Gallerij, quum Italiam Seuero, Maximino prouincias ad solem orientem sitas adtribuissent. Rebus rectè adfectis, quòd vbique locorum barbari perlubenter, ob res superiorum temporum feliciter in eos gestas, quiescerent: *Constantinus* natus ex consuetudine mulieris quæ materfamiliâs non esset, nec in manum Imperatori Constantio legitimè conuenisset, iamdudum cum animo suo de imperio cogitans, & modó cupiditate maiori accensus, ex quo Seuerus & Maximinus dignitatem Cæsaream consequuti fuerant, ea loca relinquenda statuit, quibus in locis agebat, & ad Constantium patrem proficiscendum, qui apud nationes transalpinas erat, & in Britannia plerumque viuebat. Veritus autem ne fortè fugiens adprehenderetur, quòd compluribus iam notissimus esset amor imperij, quo flagrabat, equos stabularios, quos alebat respublica, quumprimum aliquod stabulum adtigisset, mutilans & inutiles reddens, quotquot ad iter vlterius restabant, iis vtebatur. quod quum

Duo Imperatores & totidem Cæsares. Principum multitudo non satis nec semper felix.

Constantini (ecclesiasticis scriptoribus cognomine magni, et laudatissimi principis) stemma, si Zosimo credendum est, homini Christianis principibus infensissimo.

Constantino à Gallerio fugientis ad

Cōstantium patrem solertia. facere non desineret, persequentes excludebat quo minus vlterius progrederentur, & ipse propius ad eas nationes accedebat apud quas pater erat. Quúmque contingeret vt Constantius Imperator eodem tempore de vita decederet, prætoriani milites neminem ex legitimis ipsius liberis idoneúm *Cōstantinus imperio aptus, Cæsar appellatur.* regno iudicabant:sed Constantinum ad hoc aptum videntes, simúlque spe magnificarum largitionum erecti,Cæsaris ei dignitatem tribuebant:cuius imagine Romæ pro more exhibita, *Maxentius* Maximiani Hercului filius, non tolerandum ratus, Constantino quidem ex animi sententia rem succedere, qui muliere non matrona genitus esset, se verò talis *Ambitionis stimuli.* Imperatoris filium desidem hærere domi, aliis paternum imperium obtinentibus: adiunctis sibi conatus huius administris Marcelliano & Marcello, *Cui non desunt etiam satellites.* tribunis militum, & Luciano (suillæ carnis præbitore, quam fiscus populo Romano largiebatur) & aulicis præterea militibus (quos prætorianos vocant) in regium ab his solium collocatus est, magnis se vicissim muneribus adfecturum pollicitus eos à quibus hoc consequutus esset. Facinus qui- *Horum autē crudelia sunt initia, vt & progressus.* dem ipsum auspicati sunt, Abellio prius interfecto, quod is præfecti vrbi locum obtinens,horum molitionibus aduersari visus esset. Maximianus Gallerius his cognitis, *Seuerum* Cæsarem ablegat bellum Maxentio facturum. Eum Mediolano profectum, cùm & Maurorum ordinibus accedentem, Maxen- *Hastis argenteis pugnant.* tius militum animis maiori ex parte pecunia corruptis,atque etiam præfecto prætorio Anullino sibi conciliato,nullo negótio vicit.Seuerus fugaRauennam elapsus est, vrbem munitam & populosam, quęque cópiam victus tantam haberet,quanta tum ipsi tum militibus eius sufficeret. His intellectis, *Ambitioni crudelitati & munerum* *Maximianus Herculius* pro filio Maxentio non abs re sollicitus, Lucania relicta, in quá id temporis erat,

Rauen

Rauennam contendebat: quúmque perſpexiſſet, Seuerum hâc inuitum eiici non poſſe, quòd munita foret, & commeatu abundaret: ſacramentis circumuento Romam, vt iret perſuaſit. quo quidem pergens, vbi quendam ad locum veniſſet quem Tres Tabernas vocant, ab inſidiis, quas eo loco Maxentius collocauerat, adprehenſus necatur, ceruicibus laqueo fractis. Cæterùm Maximianus Gallerius haud æquo ferens animo quæ in Seuerum Cæſarem deſignata fuerant: ab oriente Romam eundum ſtatuit, & meritas à Maxentio pœnas exigendas. Vt in Italiam adpulerat, parum fidos ergà ſe militum animos ſentiens, ad orientem nullo commiſſo prælio rediit. Tunc & Maximianus Herculius, eas turbas quæ rempublicam vexarent, indigne ferens, ad Diocletianum, id temporis Carnuti (oppidum hoc Celticum eſt) degentem venit, eique perſuadere nititur, imperium reſumat, nec id patiatur, tam diuturno tempore tantiſque laboribus ipſorum conſeruatum, inſanienti iuuentę, ac illorum dementiæ, à quibus occupatum eſſet, expoſitum quaſſari. Verùm Diocletiano poſtulatis eius non adſentiente, ſed negotiorum occupationi quietem anteferente, (nam fortaſſis etiam rerum perturbationem ſequuturam proſpiciebat, vt erat vir religionis obſeruantiſſimus) Herculius eo conatu fruſtratus, & Rauennam vſque progreſſus, rurſum versùs Alpes contendit: vt ibi commorantem Conſtantinum conueniret. Quúmque natura curioſus & infidus eſſet, promiſſa illi Fauſta filia, eóque promiſſo impleto, fallere conabatur hominem, & perſuadere, diſcedentem ex Italia Gallerium Maximianum perſequeretur, & inſidias Maxentio ſtrueret. Ad hæc quum illum obſequentem nanctus eſſet, à Conſtantino diſcedens, imperium recuperare nitebatur, eà ſpe quod ad odia mutua Conſtantinum generum

pollicitationib. ac crudelitate corrupta, addunt etiam periuria.

Nec viris principibus parcunt.

Maximianus Herculius tyrannidem Maxentij filij ſtabilire conatur: ſed fruſtra. Eiuſmodi enim turbones tandem Deus omnipotens diſſipat.

Expertus & paſſus naufragia, nauē conſcendere recuſat, & imminentia ſibi pericula refugit.

Maximianus autē irrequieti & impotētis animi imago.

& filium Maxentium impulsurus esset.

Gallerius multa moliens in medio cursu rapitur.

2 Dum hæc ille molitur, Maximianus Gallerius ex consuetudine superiorum temporum familiarem sibi *Licinnium*, Imperatorem creat, quòd huius opera bello Maxentium persequi cogitaret. Posteaquam Gallerius hæc agitans consilia, ex incurabili vulnere vitam cum morte commutasset, imperium Licinnius quoque sibi vindicabat. Eidem recuperando, ceu diximus, intentus Maximianus Herculius, vt milites a beneuolentia & studiis erga Maxentium alienaret operam dabat. At quum is largitionibus, & miseris supplicationibus, suas in partes eos pertraxisset, Constantino struere nitebatur insidias, eorum opera militum quos ille penes se habebat. Verùm, quòd Fausta conatum illius anteuertisset, ac rem totam Constantino indicasset, in desperationem rerum omnium adductus Herculius, apud Tarsum morbo extinguitur. Maxentius insidiis hisce liberatus, séque iam constabilitum habere putans imperium, mittebat in Africam & Carthaginem qui eius imaginem circumferrent. quod quum fieri prohibuissent eorum locorum milites, ob suam erga Gallerium Maximianum beneuolentiam, eiúsque memoriam, cognito Maxentium eius rebellionis caussa suscepturum expeditionem, Alexandriam discessere: quúmque in satis magnas copias incidissent, quibus obsistere non poterant, nauigiis Carthaginem reuersi sunt. Quamobrem commotus Maxentius, in Africam nauigare constituit, & autores horum facinorum punire. sed quum haruspices rem sacram fecissent, nec perlitatum dicerent: nauigare veritus, partim quòd exta se non offerrent alia, partim quòd metueret ne Alexander aduersaretur, qui præfecti prætorio Africæ munere fungebatur, adeóque transiectionis in Africam ex Italia viam sibi muniens omni suspicione liberam, ad

Maximianus Herculius in instituto pergit.

At suis artibus capitur, & scelerum iustas luit pœnas.

Maxentius, vestigiis paternis insistens, cædes & imperia somniat: sed superstitione & hominum metu, tanquam compedibus, detinetur.

ad Alexandrum ſe conuertit, & ab eo filium ſibi obſidem dari petit. Habebat enim filium Alexander ætatis adultæ, facie quàm honeſta. Sed is ſuſpicatus non ea cauſſa filium ſuum à Maxentio peti vt obſes eſſet, verùm vt perfidè ſecum ageretur: miſſam hoc nomine legationem repudiat. Quum autem Maxentius & alios miſiſſet qui eum dolo de medio tollerent, idque facinus proditione cognitum eſſet: occaſionem nancti milites ad rebellionem idoneam, *Alexandro* purpuram tradunt, qui & natione Phryx eſſet, & timidus, & formidoloſus, & ad omnem laborem ſuſcipiendum tardus, & præter hæc ætate prouecta. Romæ tunc orto igne, incertum ex aere an è terra, templum Fortunæ conflagrauit: quúmque reſtinguendi incendij cauſſa concurriſſent omnes, contumelioſis quibuſdam in ipſum numen à milite quodam prolatis verbis, eóque propterea interempto à plebe, quæ religionis cauſſa hominem adorta fuerat, ſeditio militaris eſt concitata, qua milites parum abfuit quin ad vrbis internecionem progrederentur, niſi Maxentius eorum furorem celeriter mitigaſſet. Secundum hæc Maxentius occaſiones gerendi aduerſus Conſtantinum belli quærebat, ſéque dolere propter obitum patris ſimulans, cui mortis cauſſam Conſtantinus præbuiſſet: via qua itur ad Rhætos, proficiſci cogitabat: velut hac natione tam Galliæ quàm Illyricanis regionibus proxima. Somniabat enim & Dalmatia & Illyriis ſe potiturum, opera ducum militarium in iis locis, & Licinnij copiarum. Hæc habens in animo Maxentius, res Africanas prius conſtituendas duxit. itaque coactis hominum copiis, eiſque dato duce Rufio Voluſiano, præfecto prætorio, in Africam tranſiicit, ablegato cum hoc & Zena, viro tam bellicarum rerum experientia, quàm manſuetudine celeberrimo. Quum primo congreſſu milites Alexan-

Dolis & mala mente actus procedit.

Competitorē dehinc nanciſcitur.

Digreſſio, de conflagratione templi fortunæ vnde ſeditio militaris mitigata.

Maxentius incendio vrbis extincto aliud periculoſius accendit.

Africanas flammas autem prius ſopire conatur

dri quemdam ad globum militum deflexissent, fugæ socium se præbebat Alexander: quo globo ab hostibus superato, etiam ipse comprehensus & suffocatus est. Bello in hunc modum extincto, latus sycophantis apertus est campus, omnes, prope dixerim, quotquot in Africa vel genere vel opibus præstabant, velut Alexandri partium sectatores, deferendi, nec vllis omnino parcebatur, dum alij necarentur, alij facultates suas amitterent. Quin & Romæ triumphatum est ob perpetrata Carthagine mala. Et Maxentij quidem rerum, his ita gestis, & omnibus per Italiam ac in ipsa vrbe per summam crudelitatem libidinémque habitis, hic status erat.

At tyrānus ignem terribilem accendit.

Et de maleficio gloriatur.

3 CONSTANTINVS autem, qui hominem & antea suspectum haberet, tunc magis ad gerendum aduersus eum bellum se comparabat: ideóque collectis copiis ex redactis in potestatem barbaris, & Germanis, & aliis Celticis nationibus, itémque de Britannia coactis militibus, qui omnes erant ad nonaginta millia peditum, & octo millia equitum: ex Alpibus in Italiam mouebat, ac oppida quidem per indutias se dedentia nullo damno multabat, ad arma verò tendentia, in ditionem redigebat. Cum Maxentio longè maioribus copiis instructo, Romanorum & Italorum octoginta millia se ad belli societatem coniunxerant, itémque Thusci, quotquot vniuersam oram maritimam incolebant. Præbebant & Carthaginienses exercitum quadraginta millium. & præter hos Siculi: adeo quidem vt totus exercitus, centum & septuaginta peditum, & decem atque octo millibus equitum constaret. Tantis quum ambo copiis instructi essent, Maxentius pontem supra Tiberim flumen faciebat, non connexum prorsus à ripa, quæ vrbem spectat, ad alteram vsque ripam, sed duas in partes ita diuisum vt in medio flumine ea quæ partem vtranque pontis explebant

Numinis iusti oculus vigilat, & facinorosum Maxētium vocat in iudicium, per Constantinū apparitorē.

Reus autem viribus suis innixus, iudici quodāmodo obloquitur.

Et artes adhibet, quib. tandē euertitur, vt istis consultoribus fiunt sæpissimè pessima cōsilia.

plebant, inter ſe quodam modo concurrerent, fibulis ferreis, quæ reuellebantur quoties pontem quis iunctum nollet. Simul imperabat fabris, quum primùm viderent exercitum Conſtantini iuncturæ pontis inſiſtere, fibulas reuellerent, ac pontem ſoluerent, vt quotquot huic inſiſterent, in fluuium delaberentur. Ac Maxentius quidem hæc ſtruebat. Conſtantinus autem, cum exercitu Romam vſque progreſſus, ante vrbem caſtra metabatur, in campo qui & latè patet, & equitatui eſt opportunus. Maxentius intra muros incluſus diis victimas offerebat, & extiſpices de belli euentu conſulebat, ipſis quoque Sibyllinis oraculis perueſtigatis. Quúmque reperiſſet oraculum, quo ſignificaretur in fatis eſſe vt qui ad perniciem populi Romani ſpectantia deſignaret, miſerabili morte periret: de ſemetipſo id accipiebat, quaſi qui Romam adortos, eámque capere cogitantes, propulſaret. Euentus autem comprobauit id quod verum erat. Nam quum Maxentius ex vrbe copias produxiſſet, iámque pontem, quem ipſe iunxerat, tranſiiſſet: infinita quædam multitudo noctuarum deuolans muros complebat. quo conſpecto, ſuis Conſtantinus, vt aciem ſtruerent, imperabat. Quum exercitus vtrimque cornibus aduerſis ſtarent, equitatum Conſtantinus immiſit. is equitatum hoſtilem adortus, fudit. Peditibus quoque ſigno ſublato, ritè compoſitéque in hoſtem illi tendebant. Acri conſerto prælio, Romani quidem ipſi, & Itali ſocij, ſegniores ad obeunda pericula ſe præbebant, quòd acerba tyrannide ſe liberari optarent: reliquorum verò militum innumerabilis quædam multitudo occidit, tum ab equitibus proculcata, tum à peditibus interempta. Enimuero quandiu reſiſtebat equitatus, aliqua Maxentio ſpes eſſe reliqua videbatur: ſed equitibus iam ſuccumbentibus, fuga cum reliquis arrepta, per pontem

Cōſtantinus via regia incedens felicibus gaudet ſucceſſibus.

Superſtitioſorum & impiorum merces.

Præſagium conueniens Maxentij cæcis furoribus.

Acris pugna inter Cōſtantinū & Maxētium.

Maxentius cum exercitu fuſus fugatus.

Nouus Pharao vndis abripitur. fluminis ad vrbem contendebat. Tignis autem minimè sustinentibus eam vim oneris, adeóque ruptis, cum cætera multitudine Maxentius etiam fluminis impetu abripiebatur. Victoriæ fama ad eos perlata qui erant in vrbe,nemo propter illa quæ gesta fuerant lætitiam quandam præ se ferre audebat, quòd falsum esse nuntium plerique arbitrarentur. Verùm vbi Maxentij caput hasta suffixum in vrbem relatum esset, metu deposito, vecordiam cum voluptate commutabant. Hoc euentu rerum,Constantinus de paucis quibusdam Maxentio familiarissimis pœnas exegit: prætorianis militibus è medio sublatis, & castellis dirutis in quibus esse consueuerant. denique constitutis vrbanis rebus, ad Celtas & Gallos profectus est. Licinnio Mediolanum arcessito, sororem Constantiam in matrimonium tradidit: quam antea se daturum ei promiserat, quum eum sibi socium contra Maxentium hostem adiungere vellet. Eo peracto Constantinus ad Celtas discedebat: cæterùm bellis ciuilibus inter Licinnium & Maximinum accensis, acrique facto prælio in Illyriis,ab initio quidem superari visus erat Licinnius, sed confestim redintegrata pugna, Maximinum in fugam vertit: qui per orientem in Aegyptum discedens, spe cogendarum copiarum, quantæ gerendo bello sufficerent, Tarsi diem vitæ supremum obiit.

Tyrãni mortem omnes expetunt.

Huius familiares supplicio digni.

Constantius & Licinnius fœderati & affines. Non tamen conuenire possunt.

Maximinus fugatus à Licinnio, imperium & vitam deserit.

4 Hoc modo ad Constantinum & Licinnium deuoluto imperio, quum perexiguum temporis effluxisset, exorta sunt inter eos dissidia: non quòd Licinnius caussam præbuisset, sed quòd more suo Constantinus pacta conuenta parum integra fide seruasse visus esset, ac nationes quasdam ad imperium Licinnij pertinentes auertere voluisset. Itaque prorumpentibus in apertum inimicitiis, ambo copias suas ad dimicandum cogebant. Licinnius ad

Omnis potestas impatiẽs consortis apparet.

Nec est summorum principum beneuolentia durabilis.

Cibalim colligebat suos.id oppidum est Pannoniæ, in colle situm: ad quod oppidum via sursum ducit arta, cuius latitudo quinque stadiorum est. eiusdem maiori parti profunda palus imminet: reliquum mons est, quo in monte collis est ille situs, in quo esse óppidum ipsum diximus. Hinc aperta planicies excipit ingens ea quidem, & prospectu infinita: qua in planicie castra Licinnius habebat, phalangem suam sub colle potrigens in longitudinem, ne parum firma cornua viderentur. Cōstantinus ad montem suos instruxerat, & equitatum in fronte constituerat. hoc enim ei magis expedire visum fuit, ne hostes irruentes in pedestres copias, eas ipsas segnius ad manum venientes impedirent quò minus ob difficultatem progrederentur. Id quum factum esset, celeriter impetu primo superior, sublatis signis in aduersos statim irruebat, éstque commissum prælium quouis alio, penè dixerim, acrius. Nam emissis vtrimque telis, longo tempore cuspidibus & hastis inter eos dimicatum est: quum prælium à prima luce ceptum, ad vesperum vsque durasset, cornu dextrum, cui Constantinus præerat, vicit. Itaque coniectis in fugam aduersis, Licinnij legiones, quòd & ipsum Licinnium viderent in equum insilientem, & ad fugam paratum, non amplius eo loco manere, nec cœnare sunt ausæ: sed relictis pecoribus & iumentis, & omni apparatu reliquo, tantúmque ciborum secum auferentes quantum ad famem ea nocte pellendam satis esset, omni adhibita festinatione cum Licinnio Sirmium perueniunt. Pannoniæ ciuitas est Sirmium, quam ab vtraque parte flumen adluit, in Istrum semet exonerans. Hoc oppidum cursu prætergressus, ac ponte fluminis soluto, pergebat vlterius, quòd in Thracia militem colligere cogitaret. Constantinus, occupata Cibali & Sirmio, & aliis quæ fugiens à tergo Licinnius relin-

Immò quo plus tecta mansit simulata illa amicitia, eo truculentior in publicum prodit tandem. Habes in hac histo ria, lector, multiplicem seculi nostri effigiem.

Amicitia inimica fructus amari.

Imperatoris imprudētia toti exercitui perniciosa.

Licinnium fugientem Constantinus persequitur.

Potentē victum potentiss. victor non facilè relinquat.

quebat, quinque legionariorum millia eius persequendi caussa mittit: sed illi viæ, qua Licinnius fugerat, ignari, consequi eum minime potuerunt. Constantinus autem ponte Sai iuncto, quem Licinnius resciderat, cum exercitu Licinnij vestigiis inhærebat. Quúmque transiisset in Thraciam, peruenit ad eam planiciem in qua planicie Licinnium castra metatum reperit. Eadem nocte qua venerat, instructa suorum acie, militibus imperat prima luce parati ad pugnam essent. Vbi dies illuxisset, Licinnius conspecto cum exercitu Constantino, aciem & ipse suam instruit: quum belli socium Valentem haberet, Cæsarem ab se dictum, ex quo fuga Cibalim reliquerat. Exercitus inter se congressi, ac primùm ex interuallo seiuncti, sagittis vtebantur: telis exhaustis, cum hastis & pugionibus irruebant. Dum acriter pugnam exercitus vrgent, ij quos Constantinus Licinnium persequi iusserat, de conspicuo quodam loco pugnantibus exercitibus superueniunt, & flexo per collem quemdam itinere, cum suis ex accliui & eminentiore loco iungendas vires statuunt, & hostes ab omni parte cingendos. Ab eo quum sibi cauissent Licinnij milites, & fortiter aduersus omnes dimicassent, iámque pluribus & innumerabilibus quidem vtrimque cæsis, pari Marte pugnatum esset: signo dato à se inuicem dirempti sunt exercitus. Postridie pactis induciis, visum est inter ambos esse debere societatem, & fœdus mutuum, ita quidem vt Constantinus imperaret Illyriis, & nationibus cæteris, quotquot vlterius essent porrectæ, Licinnius Thraciam & orientem & vlteriores prouincias haberet: *Valens*, appellatus à Licinnio Cæsar, quod (vt equidem arbitror) perhiberetur autor eorum malorum quæ acciderant, é medio tolleretur. Quo facto, & sacramentis vltro citróque præstitis, sanctè conditiones has vtrimque seruandas, vt artiori

Ignauiã necessitas acuit, & sæpe desperatio spei caussa est.

Vis in arte solertiáque posita proficit: tam vbi opprimẽdus quàm vbi cauendus est hostis.

Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secũdis, secunda ex aduersis nascãtur.

Auctor bellorum ciuilium è medio tollẽdus.

tiori se fide ad standum pactis conuentis adstringerent, Constantinus *Crispum*, natum e concubina, cui Mineruinæ nomen, qui iam adoleuerat, & *Constantinum* in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum, Cæsares dixit: & cum iis *Licinnianus* quoque Licinnij filius, qui iam ætatis annum vigesimum ingressus erat, Cæsar designatus fuit. atque hunc finem bellum secundum habuit.

Fœdera nouis fœderib. firmanda.

5 QVVM autem Constantinus inaudisset, ad Mæotidem paludem habitantes Sauromatas, Istro nauigiis transiecto ditionem suam agere, ferre, copias in eos duxit. Itidem barbari cum Rausimodo rege obuiam ei profecti, primùm quoddam oppidum tentabant, satis magno præsidio munitum, cuius ea pars muri quæ a terra surgebat in altum, erat opere lapideo facta, pars superior ligneo. Quamobrem arbitrati Sauromatę, facillime se potituros oppido, si quidquid esset in muro ligneum exussissent, ignem admouebant, & consistentes in muro telis petebant. Sed quum murorum propugnatores telis ac lapidibus ex loco sublimiore deiectis, barbaros interficerent: iámque Constantinus aduenisset, in barbaros impetu facto de loco superiore, multos occidit, plures viuos cepit, reliquis fuga sibi consulentibus. Rausimodus, maiori parte copiarum amissa, naues ingressus, Istrum transiecit, quum haberet in animo ditionem Romanam denuò populari. Quod vbi Constantinus comperisset, & ipse transiecto Istro subsequitur, ac fuga quemdam ad collem syluis densum delatos adoritur, & multos interficit, quorum in numero Rausimodus erat: multisque viuis captis, residuam multitudinem quæ manus porrigebat, in fidem recepit: eóque pacto magna cum multitudine captiuorum ad prætorium reuersus est. His in vrbes distributis, Thessalonicam accessit, & portu confecto, qui antehac ibi nullus erat, rur-

Acta Constantini in bello aduer. Sarmatas, qui imprudenter oppidum munitum oppugnant.

A Constantino propeȓanter exercitum ducente funduntur

Victos victor persequitur.

Et fugatos adoritur, nec quiescere finit, donec capite sublato, mēbra trepidātia relinquat.

Bellum renouatur aduers. Licinnium. Causas nõ aperit Zosimus.

ſus ad gerendum bellum contra Licinnium ſe parabat. Naues enim quæ ſingulæ triginta remis agerentur, ducentæ inſtruebantur, & onerariæ plures quam bis mille: peditum quoque centum & viginti, naualium & equeſtrium copiarum ad decem millia cogebantur. Licinnius, audito Conſtantini apparatu, dimiſſis ad nationes hinc inde nuntiis, idoneas bello naues, & equitum peditúmque copias inſtrui iubebat. Sine mora miſſæ ſunt ab Aegyptiis octoginta triremes, a Phœnicibus totidem, ab Ionibus & Dorienſibus Aſiaticis ſexaginta: Cypriis triginta, Cares viginti, Bithyni triginta, Africani quinquaginta ſuppeditabant. Peditum habebat ad centum & quinquaginta prope millia, equitum quindecim millia, quos Phrygia Cappadociáque præbebat. Et Conſtantini quidem claſſis erat in Piræeo, Licinnij naues ad Helleſpontum. In hunc modum conſtitutis ab vtroque nauticarum ac terreſtrium copiarum rebus, Adrianopoli in Thracia caſtra Licinnius habebat, & Conſtantinus è Piræeo ſuas naues, è Græcia maiorem partem collectas, arceſſebat. Simul terreſtri cum exercitu Theſſalonica progreſſus, propter ripam fluminis Hebri, qui ad læuam Adrianopolim adluit, caſtra faciebat. Quum & Licinnius ſuos inſtruxiſſet à monte qui oppido imminet, ad ducenta vſque ſtadia, vbi Tonus fluuius Hebro coniungitur, compluribus diebus aduerſis vtrinque caſtris exercitus ſubſtiterunt. Sed animaduerſo Conſtantinus qua parte flumen eſſet artiſſimum, tale quiddam machinatur. Ligna de monte comportare iubet exercitum, funéſque nectere, quaſi pontem ſupra flumen facturus eſſet, ac per eum copias ſuas tranſportaturus. qua quidem re deceptis opinionibus hoſtium, & colle quodam conſcenſo, qui ſyluas habebat denſas, & abditis per eas tegendis idoneas, peditum ibi ſagittariorum quin

Potentiss. principum aduerſariorum, ingentes belli apparatus.

Caſtra vtriuſque Imperatoris.

Commoratio caſtrorum.

Strategema Conſtantini, vt ad hoſtẽ accederet.

quinque millia, cum equitibus octoginta collocabat. Deinde sumptis secum duodecim equitibus, per fluminis angustias, qua transiici facillime poterat, Hebro superato, improuisus in hostes irruit: tum verò quidam cædi, quidam toto impetu terga dare, alij casu inopinato territi, ore diducto consistere, propter hostis inexpectatam hanc transiectionem. Quum interim & equites cæteri toto cum exercitu securi ad alteram ripam euasissent, ingens hominum cædes accidit. nam ad triginta & quatuor hominum millia ceciderunt. Sub occasum solis castra Constantinus cepit: Licinnius autem suis, quotquot sane poterat, recollectis, per Thraciam properabat, vt ad classem perueniret.

Audentes & fortes ac armis iustis pugnantes Deus iuuat.

Victoria penes Constantinum.

6 QVVM illuxisset, omnes Licinniani milites, qui arrepta fuga vel in montem forte vel in conualles se contulerant, Constantino in fidem se tradiderunt, vnà cum iis quos Licinnius fugiens a tergo reliquerat. Eo Byzantium fuga delato, Constantinus hominem persequens, Byzantium obsedit. Iam Constantini classis (vt diximus) è Piræeo soluerat, & in Macedonia stationem habebat. itaque nauarchos arcessit, nauibus ad ostium Hellesponti adesse iussis. Vbi classis præsto iam esset, velut imperatum fuerat, Constantini duces, octoginta duntaxat expeditissimis nauibus, quæ triginta singulæ remis impellerentur, dimicādum censuerunt: quòd is locus, propter angustias, magno nauium numero non esset opportunus: Abantus autem, Licinnianæ classis Imperator, ducentis nauibus inuehebatur, & hostilium nauium paucitatem vehementer contemnebat, quas ab omni parte se nullo negotio putaret inclusurum. Sublatis vtrinque signis, & proretis in aduersos tendentibus, Constantini nauarchi sic suas agebant naues vt hostem compositè adorirentur. Abantus autem nullo ordine in aduersos impe-

Victoriæ effectus. Militum aduersorum deditio.

Byzantij obsidio.

Ad naualē pugnam facilis præparatio.

Numerosus exercitus superbiam in principū cordibus alit.

Vnde oritur imprudētia & confusio.

tum faciens, naues ſuas ob multitudinem in artum coactas inter ſe collidebat, quodámque modo demergendas & varie perdendas hoſti præbebat. denique multis militibus in mare præcipitatis, nox ſuperueniens nauale prælium diremit: & alteri quidem ad Eleuntem Thraciæ adpulerunt, alteri portum Aeantium ingreſſi ſunt. Poſtridie eius diei, quum vehementes Aquilonis flatus eſſent, Abantus egreſſus Aeantio portu, naualem ad pugnam ſe parabat. Sed quòd eæ triginta remorum naues, quæ ad oſtium Helleſponti ſubſtiterant, iam mandato ducum Eleuntem ſe contuliſſent, Abantus nauium multitudine territus, de inuadendis hoſtibus animi dubius hærebat. Circa meridiem flatus Aquilonalis remittebat, & exortus auſter vehemens, Licinnij claſſem ad litus Aſiaticum repertam, partim in ipſum litus eiecit, partim ſaxis impegit, partim cum vectoribus demerſit: ita quidem vt hominum quinque millia, naues cum hominibus centum & triginta perirent, quibus è Thracia partem exercitus in Aſiam Licinnius propterea tranſmiſerat, quòd obſeſſis cum eo Byzantium præ multitudine nimis artum fuiſſet. Quum autem in Aſiam nauibus quatuor Abantus aufugiſſet, & nauale prelium hoc modo pugnatum eſſet, iámque naues ad Helleſpontum adpuliſſent, quæ varias merces & maximam commeatus copiam Conſtantini ducibus adtulerant: vniuerſa illi cum claſſe ſoluebant, vt ſe cum iis qui Byzantium obſidebant coniungerent, & vrbem mari quoque cingerent. Licinnij pedites, quum ne conſpectum quidem copiarum illarum nauticarum ſuſtinuiſſent, nauigia nancti Eleuntem diſceſſerunt. Conſtantinus obſidionem vrgens, quum aggerem paris cum muro altitudinis excitaſſet, & turres ligneas ipſo muro ſublimiores in aggere conſtituiſſet, de quibus muri defenſores telis petebantur, vt

Deinde turpis fuga.

Item animi perplexitas.

Et tandem ſuperbos Deus diſſicit, ac ingentes illos apparatus reddit irritos. Noſtrũ hoc ſeculum nouos Abantos non paucos exhibet.

Superbiam comitatur ſera pœnitentia.

Hunc ſocij relinquunt, victori adhærentes.

Victor occaſionem oblatam perſequitur poſt tentiores hoſtes fatigans

arietes aliæque machinæ muro citra periculum admouerentur, vrbem omnino capere cogitabat. His Licinnius ad inopiam consilij redactus, statuit, deserto Byzantio, & ibidem exercitus infirmiori parte relicta, cum maximè idoneis, qui & beneuolentiam ei suam probauerant, Chalcedonem Bithyniæ quamprimum se recipere. Nam fieri posse credebat, vt rursus ex Asia collecto exercitu dimicaret. Quãobrem nauigio Chalcedonem delatus, adiunctum sibi socium periculi *Martinianum*, qui ordinum palatinorum dux erat (Romani *magistrum officiorum* vocant) Cæsarem dicit, & cum exercitu Lampsacum mittit, impediturum quo minus hostes è Thracia transirent ad Hellespontum: ipse copias suas in collibus & sitis ad Chalcedonem faucibus collocat. His rebus intento Licinnio, Constantinus, qui & onerariarum & bellicarum nauium ingentem numerum haberet, & per has aduerso litore potiri vellet, veritus inaccessas onerariis præsertim nauibus Bithynici litoris oras, celoces & cymbas quamcitissimè struit, & iis ad promontorium sacrum, quod dicitur, ad ostium Ponti situm, quódque Chalcedone ducentis stadiis abest, nauigat: & expositis ibi copiis, quosdam in colles adscendit, ac in iis aciei struendæ locum capit. Licinnius quamquam ab hoste Bithyniam teneri cerneret, tamen vt vir omnibus periculis exercitus, Lampsaco Martinianum arcessit, & milites exhortatus, quibus se præiturum diceret, ordines ad pugnam instruit, oppidóque egressus hostibus iam paratis occurrit. Acri pugna in locis Chalcedoni & fano interiectis inita, longè Constantini pars superior erat, quæ hostes ingenti cum impetu adorta, tantam cædem edidit, vt de centum & triginta millium numero, vix triginta millia euaderent. Quumprimum hæc euenissent, Byzantij Constantinum portis apertis accipie-

Victus fuga sibi consulere & nouas vires se instauraturũ putat.

At Constantinus in diligenti & forti prũdẽtia finem belli situm esse arbitratus, Licinnium persequitur, omisso Byzantio.

Et debellatis potentioribus, insigni clade affectis, imbecilliores facilè recepit.

DD 2

Victori ciui tates manus porrigunt. bant:idem & Chalcedoniis factitantibus. Licinnius victus Nicomediam cum equitibus reliquis, & paucis peditum millibus, contendit.

Regnorum miræ conuersiones.

Quarum origo latens & exigua.

7 IN hoc tempore Persa quidam, cui nomen Hormisdas, regio sanguine procreatus, ad Imperatorem Constantinum ex huiusmodi caussa transfugit. Quum pater eius, qui rex Persarum erat, diem suum natalem more Persico celebraret: Hormisdas regiam ingressus est, magna secum adlata ferinę copia. Quum inuitati ad conuiuium nullo eum honore dignati essent, nec vti decuerat adsurrexissent, indignatus, eos se Marsyæ morte multaturum minatus est. Eam orationem complures, vt peregrinam, non intelligebant: sed Persa quidam qui vixisset in Phrygia, & narrationem de Marsya audiuisset, minarum Hormisdæ sententiam adsidentibus exponebat. Illi, memoria minarum suis animis inscripta, quumprimum patrem Hormisdę mori contigit, earum recordati, fratrem ipsius natu minorem regno præficiunt, quantumuis lex maiori natu inter regios liberos rerum summam tribueret: Hormisdam verò compedibus vinctum, in sito quodam ante vrbem colle custodiunt. Posteaquam aliquid temporis intercessisset, vxor eius hoc modo molitur vt euaderet. Magno pisce capto, limam ventri eius indit: eóque rursum consuto, piscem eunucho fidelissimo tradit: cum mandato vt Hormisdæ diceret, hoc pisce nemine præsente vesceretur, & ad opem eo quod in illius ventre reperiret, vteretur. Hoc capto consilio, camelos ablegat vino cibisque copiosis oneratos, & mariti custodibus epulum præbet. Interea dum epulo custodes intenti sunt, Hormisdas, pisce discerpto, limam inuenit: qua quum pedibus iniectas compedes dissecuisset, & eunuchi stolam induisset, per medios custodes iam temulentos egressus est, sumptóque secum vno ex eunuchis, ad

Magnates minacibus verbis non irritandi sunt.

Ex verbis malè compositis ingentia mala.

Ex vexatione intellectus.

Muliebris astutia, vt virum è piscis lapidei (i. carceris) ventre educat.

Custodes temulenti, minimè custodes.

ad regem Armeniorum, amicum & hospitẽ suum, peruenit. Eius opera tutus & incolumis ad Constantinum se contulit, qui eum omni tum honore, tum beneuolentia dignatus est. Sed hæc quidem vt accidere, narrata sunto. Quum autem Constantinus etiam Nicomediæ Licinnium obsideret, rebus ille desperatis, quòd etiam sciret nullas sibi restare iustas & satis amplas ad dimicandum copias: egressus vrbe, supplex Constantino factus est, & ad eum adlata purpura, Imperatorem ac dominum clamabat, veniámque præteritorum poscebat. Nam vitam sibi certò pollicebatur, cuius nomine iusiurandum vxori eius à Constantino præstitum fuerat. Martinianum Constantinus satellitibus suis occidendum tradidit, Licinnio Thessalonicam ablegato, velut istic securè victuro: neque multo pòst ei, violata iurisiurandi religione (quod quidem Constantino non insolens erat) laqueo vitam ademit.

Rex afflictus ab optimo principe honorificè exceptus. Boni enim egenis opem lubentissimè ferunt.

Et superbos fortiter debellant: superbi verò colla flectere coguntur.

Et tandem miserè pereunt.

8 POSTEAQVAM vniuersum imperium ad vnius Constantini potestatem rediisset, non iam amplius insitam à natura malitiam tegebat: sed indulgens animi libidini, omnia pro imperio agebat. Et patritis adhuc sacris vtebatur, non tam honoris caussa quàm necessitatis: quo fiebat vt & hariolis, si qui essent experientes, fidem haberet, veluti qui vera ei de rebus omnibus feliciter gestis prædixissent. At vbi Romam venit, omnis adrogantiæ plenus, ab ipso lare sibi sumendum impietatis exordium putauit. Nam Crispum filium, Cæsaris (vt antè dictum est) ornatum titulo, quòd in suspicionem venisset quasi cum Fausta nouerca consuesceret, nulla ratione iuris naturalis habita, sustulit. Quúmque Constantini mater Helena tantam calamitatem ægro ferret animo, & intolerabilem ex cæde iuuenis dolorem perciperet: quasi consolans eam Constantinus, malum malo maiori sanauit. Nam quum ba-

Administratio politica Constantino à Zosimo culpata à scriptoribus ecclesiasticis laudata.

In filium & vxorẽ sæuit Cõstantinus. Iusta de causâ, necne, nõ satis hic liquet.

lineum accendi supra modum iussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit. Horum ipse sibi conscius, & praeterea contemptæ sacramentorum religionis: ad flamines accedens admissorum lustrationes poscebat. Illis respōdentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula posset eluere: quidam Hispanus genere, cui nomen esset Aegyptius, Romam delatus, palatinisque mulierculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum confirmauit, & id ipsum adeo polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem quum non grauatè Constantinus accepisset, ac patrita missa faceret, perceptis iis quæ hic Aegyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, vt diuinationem suspectam haberet. Nam quod ei multæ res prosperæ per hanc prædictæ fuissent, euentúmque re ipsa fortitæ: verebatur ne itidem aliis aduersus ipsum hanc consulentibus, id quod futurum esset prædiceretur: atque hoc consilio impulsus, ad huiusmodi abolenda se conuertit. Quum autem dies quidam more patrio festus adpetiisset, quo die in Capitolium exercitui adscendendum erat: eum adscensum verbis contumeliosis impudenter insectans, re diuina proculcata, senatus atque populi odium incurrit. Quúmque profectas ab omnibus, prope dixerim, execrationes haud ferret, vrbem quandam Romæ parem quærebat, in qua palatium ipse sibi conderet. Itaque quum esset inter Troadem & priscum illud Ilium, inuento loco vrbe condendæ idoneo, fundamenta iecit, & muri partem aliquam in altum e-

Si Crispus et Fausta tā execrādi sceleris rei fuere, his supplicijs merito sunt affecti. Innocentes autem quis credat à fortissimo & prudēti principe, fuisse de medio sublatos. At hæc conficta esse ab ethnicis multi existimant: qui etiam in odium Christianorum sparserūt in vulgus eiusmodi calumnias, religionem Christianam impiis & impœnitentib impunitatē & peccandi immunitatem concedere, et conscientiis horrēdorum scelerum onere grauatis torporem inijcere. Caterùm non exemplis tantùm, sed regulis etiam & quidem præcipuè ac ex veritatis normis depromptis viuimus. vt si quid peccatum est à Constantino, eum hominem, & sanè multis modis humana passum fuisse meminerimus.

git

git, quam adhuc videre eſt, ſiqui verſus Helleſpontum nauigent. Sed quod cum huius operis inſtituti pœnituiſſet, eo relicto, vt erat imperfectum, *Byzantium* conceſſit. cuius vrbis ſitum admiratus, eam quam maximè ſtatuit amplificandam, & efficiendum idoneam vt principis in ea domicilium eſſet. Nam vrbs in colle ſita eſt, eius Iſthmi partem complexa, quem Iſthmum id quod Ceras ſiue Cornu vocant, & Propontis efficiunt. Et olim quidem eo loco portam habebat, quo loco porticus illæ deſinunt quas Seuerus Imperator exſtruxit, quum ſuas aduerſus Byzantios iras depoſuiſſet, qui hoſtem ipſius Nigrum in vrbem admiſerant. Murus per collem demiſſus ab occidentali parte, vſque Veneris ædem & ipſum mare pertinebat, quod eſt e regione Chryſopolis. Eodem modo & ab Aquilonali colle deorſum ductus erat vſque ad portum, quod nauale dicunt, & vlterius vſque ad mare quod directo ſitum eſt ad id oſtium per quod in Euxinum Pontum nauigatur. Et artum quidem hoc terræ ſpatium ad Pontum vſque trecentis plus minus ſtadiis in longitudinem patet. hæc priſca ciuitatis amplitudo erat. Conſtantinus autem eo loco quo loco quondam porta erat, exſtructo foro rotundo, quod porticibus duplicibus incluſit, fornices duos è marmore Præconeſio maximos fecit, oppoſitos ſibi: per quos ire licet in Seueri porticus & vrbe priſca egredi. Quúmque longè maiorem vrbem efficere vellet, eam vltra veterem murum decem & quinque ſtadiis muro nouo circumdedit, qui totum Iſthmum à mari ad mare complecteretur. Hoc modo quum vrbem priore multo ampliorem reddidiſſet, palatium quoque condidit, Romano non multum cedens. Itidem circum ad omnem elegantiam perpoliuit, cuius partem fecit Caſtoris & Pollucis ædem, quorum ſimulachra nunc etiam in circi porticibus

Byzantij deſcriptio.

Byzantium à Conſtantio inſtauratum & ornatum.

Ampliúſq. multis modis redditũ.

ſtantia videre licet. Statuit & quadam in parte circ. Apollinis Delphici tripodem, in ſe continentem ſi-phus Apollinis ſimulachrum. Quúmque Byzantij forum maximum eſſet, quatuor porticibus incluſum: ad extremas partes vnius ex hiſce porticibus, ad quam gradus non pauci ſurſum ducunt, ædes duas exſtruxit, collocato in harum altera matris deûm Rheæ ſimulachro, quod in monte Dindymo, qui oppido Cyzico imminet, olim illi conſtituerât quos Iaſon nauigationis ſocios habuit. Et aiunt eum hoc, quadam ex vecordia nihili faciente res diuinas, mutilaſſe, leonibus vtrimque ſublatis, & manuum figura mutâta. Nam quum olim tenere leones videretur, nunc ſpeciem precantis exhibet, vrbem inſpectans & obſeruans. In altera Fortunæ Romanæ ſimulachrum poſuit. Præterea quibuſdam Roma ſequutis eum ſenatoribus domos ædificauit. Nec iam bellum vllum amplius gerebat: adeò quidem vt Thaifalis, natione Scythica, cum equitibus quingentis irruentibus, non modò nullas copias aduerſus eos in aciem eduxerit: ſed etiam parte maiori exercitus amiſſa, quum hoſtes ad ipſum vallum vſque populatos omnia conſpexiſſet, arrepta cupidè fuga ſibi conſuluerit.

Ethnico principe nō Christiano digna ædificia.

Cōſtantinus impietatis accuſatus à Zoſimo, vt pietatis patronus & fautor ab Euſebio & aliis agnitus.

Ignauia etiam: quum tamē antea fortiſſimus & ſapientiſſ. appareat.

9 A bellorum curis vacuus, voluptariæque vitæ deditus, populo Byzantino publicam annonam diſtribuit, quam & hactenus ille ſemper habuit. Quúmque pecuniam publicam in plurimas inutiles ſtructuras impenderet, quædam ædificauit, non multo pòſt diruta, quòd ob feſtinationem durabilia non eſſent. Conturbauit & magiſtratuum officia, iam olim inſtituta. Nam quum duo eſſent *præfecti prætorio*, qui hoc officium communiter gerebant: non palatini tantùm ordines eorum cura poteſtatéque gubernabantur: ſed etiam ij quibus vrbis erat commiſſa cuſtodia, & quotquot in omnibus limitibus

Aliæ accuſationes in Cōſtantinū: quod videlicet fuerit voluptuariæ vitæ deditus prodigus, imprudens in rep. adminiſtranda.

bus erant collocati. Hic enim præfectorum prætorio magistratus, qui post Imperatorem secundus existimabatur, & annonas erogabat, & contra militarem disciplinam admissa conuenientibus pœnis corrigebat. Constantinus autem recte constituta turbans, vnum hunc magistratum in quatuor imperia discerpsit. Nam vni præfecto prætorio totam Aegyptum cum Libyæ Pentapoli, & orientem ad Mesopotamiam vsque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armenios, orámque maritimam totam, à Pamphylia Trapezuntem vsque, & vsque ad castella propter Phasidem sita, tradidit: eidem & Thracia commissa, & Mysia, Hæmi, ac Rhodopes, ac Doberi oppidis finibus circumscripta. præterea Cyprum adiecit, & Cycladas insulas, Lemno, & Imbro, & Samothracia, exceptis. Alteri Macedones adtribuit, & Thessalos, & Cretenses, & Græciam, & circumiacentes insulas, & Epirum vtramque, & Illyrios, & Dacos, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vsque, & Mysiam superiorem. Tertio, totam Italiam, & Siciliam, & circumiacentes insulas, & Sardiniam, & Corsicam, & Africam à Syrtibus Cyrenem vsque. Quarto transalpinos Celtas, & Hispanos, cum insula Britannica, commisit. Hac ratione diuiso præfectorum imperio, studiosè conatus est aliis quoque modis eorum potestatem imminuere. Nam quum præessent vbique locorum militibus non modò centuriones & tribuni, verumetiam duces: (sic enim appellabantur qui quolibet in loco prætorum vicem obtinebant) magistris militum institutis, altero equitum, peditum altero, & in hos translata potestate militum ordinandorum, & coercendi delinquentes, hac etiam in parte præfectorum autoritati detraxit. Id verò tam pace quàm bello plurimum detrimenti rebus adtulisse, me protinus indicante patebit. Quippe dum præfecti præ-

Atqui sæpissimè rerum status cogit principes ad mutationem amplectēdā, quam priua ti facile & præcipiti iudicio damnant.

Quid si necesse sit immodicā præfectorum potentiam angustiorib. limitib. coercere: ne autoritate nimia freti in dominos ipsos insurgant? quemadmodum sæpius antea acciderat.

toriis vbique terrarum vectigalia per miniſtros ſuos exigerent, & militarem ex iis ſumptum facerent: iidémque milites dicto audientes haberent, in ſuſtinendis ob delicta pœnis, prout ipſis ea coercenda viderentur: non abs re milites, cum animo ſuo cogitantes, eum qui annonam & ſtipendium præberet, delinquentes etiam punire, nihil agere præter officium audebant, partim annonarum ademptionem, partim præſentem coercitionem veriti: nunc quum alius ſit qui ſtipendium exhibet, alius cuius arbitrio diſciplina militaris eſt commiſſa, omnia pro imperio agunt: ne dicam, maiorem annonę partem ducis & adparitorum ipſius lucro cedere. Fecit & aliud quiddam Conſtantinus, quod in ditionem populi Romani liberum barbaris aditum præbuit. Nam quum imperium Romanum extremis in limitibus vbique Diocletiani prouidentia, oppidis, & caſtellis atque burgis munitum eſſet, omnéſque copiæ militares in iis domicilium haberent: fieri non poterat vt barbari tranſirent, vbique copiis hoſtium repellendorum cauſſa occurrentibus. Hanc præſidiorum munitionem Conſtantinus abolens, maiorem militum partem, de limitibus ſubmotam, in oppidis præſidij nullius egentibus collocauit: à barbaris vexatos præſidio nudauit, tranquillas & quietas vbres militum peſte grauauit, qua iam complures ad ſolitudinem redactæ ſunt, milites ipſos theatris & voluptatibus addictos emolliuit: denique ſimpliciter vt dicam, rerum hactenus pereuntium internecioni principium & ſemina præbuit.

Vtrimq. offendicula et pericula occurrunt quibus principis prudentia facilè occurrit

Alia accuſatio in Conſtantinũ, qui tamen pacis & publicæ rei conſeruandæ ſtudioſiſſ. fuiſſe videtur.

Hæc omnia in Conſtantini odiũ & inuidiã ſcripta ſunt.

10 I A M *Conſtantinum* filium Cæſarem appellauerat, quo cum & *Conſtantio* & *Conſtante* filiis, eodem titulo cohoneſtatis, Conſtantinopolim ad amplitudinem vrbis longe maximæ tam feliciter auxit, vt plerique poſt eum principes ibidem conſtituto domicilio, maiorem quàm vſus poſcat hominum multitud

Tres filij Cõſtantini Cæſares renuntiati.

titudinem eò pellexerint, quæ vndique terrarum istuc vel militiæ, vel mercaturæ, vel aliorum negotiorum caussa confluit. quapropter & muris longè capacioribus quàm essent ij quos Constantinus struxit, eam circumdederunt, & ædificia tam esse contigua permiserunt, vt habitatores eius, siue domi se contineant, siue in compitis sint, artentur: nec sine periculo, propter ingentem hominum & animalium copiam, incedant. Nec pars vicini maris exigua solo cessit, vndique defixis palis, & ædificiis in eos impositis, quæ seorsum ad complendam vrbem amplam sufficerent. Ac mihi quidem sæpe mirari subiit, quî fieret vt quum vrbs Byzantina tantopere excreuerit, vt alia nulla cum hac, siue felicitatem siue magnitudinem spectes, comparari possit: nullum vaticinium maioribus nostris de ipsius incremento, meliorem ad fortunam euectæ, datum fuerit. In qua cogitatione dum iampridem versor, multis historiarum monumentis, & oraculorum collectionibus euolutis, & exacto nonnullo tempore in hac de istis dubitatione, vix tandem in oraculum quoddam incidi, quod Erythrææ Sibyllæ, vel Epiroticæ Phaellonis esse perhiberetur. (Nam & istæc adflata numine, fertur edidisse quædam oracula: quibus fretus Nicomedes, Prusiæ filius, qui ea suis ex commodis interpretaretur, hortatu Attali bellum patri Prusiæ fecit) Est autem oraculum huiusmodi,

Constantinopolis iis temporib. ad humanæ dignitatis fastigiũ euecta.

Vnde ista Constantinopolis gloria.

Zosimus ad vetus oraculum Cõstantinopolis, tunc præsentem & futurã gloriam atque etiam excidium refert.

Accipies Thracum rex in balantibus vrbem,
Vnguibus atque vncis magnum horribilémque leonem
Augebis, patriæ quondam cimelia terræ
Qui rapiet, terra potietur & absque labore.
Sed non aio diu te sceptris perfruiturum,
(Quippe canes vrgent vtrimque) sed his spoliandum
Sopitúmque lupum vncungem dirúmque ciebis.
Namque vel inuiti ceruices sub iuga mittet.

Oraculum autore suo, id est spiritu vertiginis, mendacis & cui mala nomina mille, dignissimum & cuius ad-

impletio ad Turcas vtcunque referri potest.

Tunc quoque Bithynos vexabit turba luporum,
Consilio Iouis:& mox regia sceptra tenebunt
Magna qui veteris habitant Byzantis in vrbe.
Felix Hellesponte,& mœnia condita diuis.
Imperio superum ----
Quam lupus ille grauis tamen inuitus trepidabit.
Norunt me,nostris habitant qui sedibus.haud iam
Amplius ipse animum celabo parentis,apertè
Mortali generi diuina oracula pandens.
Thressa malum tellus ingens parit.& prope partus:
Vsu nempe malam subolem pariter feret illi.
Ad latera adiunctæ ponto telluris & vlcus
Prætumidum crescet,cito ruptum sanguine manans.

Sententia Zosimi de hoc oraculo.

Hoc oraculum omnia, prope dixerim, reuera designat, obscurisque vocibus indicat euentura Bithynis mala, propter graue tributorum onus, quæ sequutis temporibus eis imposita fuerunt, & quòd imperium cito venturum esset ad eos

Magna qui veteris habitant Byzantis in vrbe.

Correctio huius sententiæ addita grauiss. gnoma.

Quòd autem sæculis non paucis interiectis ea quæ prædicta fuerant euenerint: non eo quis torqueat acsi de re quadam alia vaticinium hoc loquatur. Nam *omne tempus Deo breue est, qui semper & existit & erit*:atque hæc tum de rerum ipsarum euentis ratiocinando collegi. Quòd si cui videtur esse alia verborum oraculi sententia, per me sanè sic illud accipiat licet. Cæterùm Constantinus his ita perfectis, exhaurire non desinebat vectigalia largitionibus, quæ non vbi par erat, sed in homines indignos ac nullius pretij fiebant: & collatoribus quidem tributorum grauis erat, illos autem cumulabat opibus, qui nulli esse vsui poterant. Nam prodigalitatem pro munificentia ducebat. Idem & auri argentique collationem imposuit omnibus vbique terrarum negotiationes exercẽtibus, & dardanariis oppidorum, ad vilissimos vsque: ne miseris quidem meretriculis hoc

Alia Constantini errata politica, nempe profusio indigna.

Prodigalitas.

Spurcities.

hoc incommodo liberatis. Itaque videre erat, quoties quartus quisque annus adpeteret, quo vectigal illud pendendum erat, meras per vniuersam vrbem lacrumas & ploratus: vbi verò iam aduenisset, nonnisi flagra tormentáque corporibus eorum adhibita, qui propter paupertatem extremam damnum hoc sustinere non possent. Quin & liberos ipsæ matres distrahebant, & patres filias prostituebant: ex harum quæstu chrysargiri (quasi dicas aurargenti) exactoribus pecuniam offerre coacti. Quúmq; splẽdidioris etiam fortunę hominibus excogitare quiddam vellet, quod eos morderet, quemlibet horum ad præturæ dignitatem euocabat, & honoris prætextu magnum pecuniæ pondus exigebat. Iccirco quoties ad vrbes venissent qui huius rei mandatum habebant, erat videre fugam omnium, & profectionem ad extraneos, metuentium ne cum patrimonij sui detrimento, dignitatem hanc apiscerentur. Habebat autem descripta virorum clarissimorum patrimonia: quibus & tributum imposuit, quod ipse Follem nuncupauit. Quibus sane collationibus vrbes exhausit. nam quum longo tẽpore post Constantinũ duraret earũ exactio, paulatim exhaustis oppidorũ diuitiis, ab habitatorib. complura desertasunt.

Exactiones prorsus indignæ & crudeles.

Nomẽ & natura harum exactionum.

Imago reip. vectigalib. oppressa.

Tributa nimia priuatos primum exhauriũt: tandẽ remp. euertunt.

11 His omnibus modis quum reip. Constantinus nocuisset, morbo extinctus est. Eius liberi successionem in imperio nancti, qui erant omnino tres, non ex Fausta Maximiani Herculij filia nati, sed ex alia, quam insimulátam adulterij morte adfecerat: sic rebus intenti erant, vt libidinis iuuenibus potiorem, quàm cõmodi publici rationem haberent. Nam primùm inter se nationes partiebantur: & *Constantinus* quidem natu maximus, cum minimo natu *Constante*, omnia trans Alpes sita, & Italiam & Illyricum sortitus est, prӕterea Ponto Euxino finitima, & Africæ quidquid ad Carthaginé pertinet. *Constantio* datum

Mortui patris filij tres imprudẽter agunt, iudice Zosimo.

Quomodo diuidunt imperium.

eſt quid eſſet in Aſia, & oriente, & Aegypto. Erant & imperij quodam modo participes, *Dalmatius* à Conſtantino Cęſar dictus, & *Conſtantius* eius frater, & *Anaballianus*: qui purpurea & aureis ornata limbis veſte vtebantur, dignitatem nobiliſſimatus (vt vocant) ab ipſo Conſtantino propter adgnationis reuerentiam conſequuti.

Quos collegas adſciſcunt.

Diuiſo in hunc modum imperio, Conſtantius, quaſi qui data opera in hoc incumberet ne impietate a patre ſuperaretur: exorſus ab ipſo lare, cognati ſanguinis effuſione virilem omnibus animum probare voluit. Ac primùm quidem Conſtantium patruum à militibus interfici curat: deinde Dalmatio Cæſari ſimiles inſidias ſtruit, Optato quoque cum hoc interfecto, qui *patricii* dignitatem adeptus à Conſtantino fuerat. Eum honoris titulum primus Conſtantinus excogitauerat, latáque lege ſanxerat vt qui eum conſequuti fuiſſent, ſupra ipſos præfectos prætoriis ſeſſitarent. Tunc & Ablabius præfectus prætorio necatus eſt, ipſa vindicta merita hominem pœna multante, qui per inſidias Sopatro philoſopho mortem machinatus fuiſſet, dum ei Conſtantini familiaritatem inuideret. Ac veluti contra cognationem vniuerſam graſſatus, etiam his Anaballianum adiecit, quum milites ſubornaſſet, vt clamarent, alterius neminis imperium ſe ferre poſſe, quàm Conſtantini filiorum. Et hæc quidem Conſtantij fuere facinora.

Conſtantius crudelitatis accuſatus.

Et parricidij ac inuidiæ.

Patriciatus dignitas.

Cæterùm controuerſia mota inter Conſtantinum & Conſtantem, de pertinente ad Carthaginem Africa, déque Italia: Conſtans incautum fratrem opprimere volens, inimicitias toto triennio diſſimulat: expectatóque tempore quo prouinciam ſibi fidam & beneuolam ingreſſus erat, ablegat milites, ſpecie quidem tenus opem Conſtantio laturos in gerendo bello Perſico: ſed reapſe Conſtantinum, nihil tale ſcientem, oppreſſuros. Hi perficientes ea quæ imperata

Parricidia in domo Cōſtantini. Heroum filij, noxæ. Arcana ſed iuſtiſſima Dei iudicia.

rata fuerant, Constantinum occidunt. Hoc modo quum fratrem Constans è medio sustulisset, in subditos cum omni crudelitate grassabatur, & omnem intolerabilem tyrannidem excedebat. Emptis enim barbaris, quibus esset vultus elegans, & aliis itidem quos obsidum loco secum haberet, quiduis aduersus subditos agendi facultate concessa, veluti qui oculis ad impudicitiam ei gratificarentur, omnes imperio suo subiectas nationes in extrema mala præcipitabat. Quæ quum prætoriani moleste ferrent, & ipsum venationis voluptatibus deditum viderent: ducibus vsi, Marcellino ærarij præfecto, & Magnentio, cui creditum erat in Iouianos & Herculianos imperium (legionum ea nomina sunt) hoc quodam modo insidias ei moliuntur. Marcellinus, qui natalem filij sui se celebraturum diceret, ad epulum cum alios multos in castris dignitate præstantes, tum Magnentium inuitabat. Ea comessatione mediam ad noctem producta, Magnentius, quasi rei necessariæ caussa de mensa surgens, quum perexiguum ad tempus à conuiuis secessisset, eis se rursus amictum stola regia, velut in scena, spectandum exhibuit. Ibi quum eum conuiuæ regem appellassent, similiter omnes incolæ vrbis Augustoduni (qua hæc in vrbe gesta sunt) in eamdem sententiam venerunt. Et quoniam rei fama tendebat vlterius, extra vrbem rustica quoque plebs confluebat. Per idem tempus quidam Illyricanorum equitum in supplementum Celticorum ordinum missi, cum iis se coniunxerunt qui huius rei caussa conuenerant. Et vt simpliciter rem exponam, in vnum congressi quicumque cum imperio militibus præerant, quòd coniurationis principes iam proclamasse viderent, ignari propè quid ageretur, exclamabant omnes, & *Magnentium* Augustum appellabant. Hæc Constans animaduertens, quoddam ad oppidum propter Py-

Iisdem artibus quibus fratrē euerterat Constans euertitur.

Peccata peccatis puniūtur.

Principes voluptuosi in seipsos insidias struunt

Primarij aulici in malū principem facile conspirant.

Nugæ tandē seria ducūt in mala.

Vt niuis globulus per niuē agitatus tandem in ingentem cumulum crescit, ita seditiosorum cohors indies augetur.

Vanum Constantis, ad supplicium (iusto Dei iudicio) rapti effugium.

renæum montem ſitum, cui nomen eſſet Helena, profugere conatus eſt: verùm a Gaiſone, qui eo nomine cum ſelectis quibuſdam miſſus fuerat, adprehenſus, & omni deſtitutus ope, necatus eſt.

Agitato oceano illo politico, fluctibus noui fluctus ſuccedunt.

12 Magnentio imperium adepto, ac iam in poteſtate tranſalpinas nationes, & ipſam Italiam habente: *Vetranio*, Pannoniorum exercituum dux, audito Magnentium ad imperium euectum eſſe: incenſus eadem libidine, ſuarum legionum ſuffragio dictus eſt Imperator, & apud Murſam, quod eſt oppidum Pannoniæ, ſubſtitit. In hoc rerum ſtatu, Perſæ vrbes orientis, & Meſopotamiæ præſertim, infeſtis excurſionibus vexabant. Conſtantius autem, licet hoc bello Perſis inferior eſſet, tamen factiones Magnentij & Vetranionis perſequi ſtatuit. Dum hæc ſecum cogitat, & in apparatu totus eſt, apud Celtas adhuc hærente Magnentio, *Nepotianus* ſorore Conſtantij genitus, cui nomen Eutropia, collecta multitudine non ſanorum hominum, ſed latrociniis & luxu perditæ vitæ deditorum, Romam acceſſit, & imperatorio ſe habitu ſpectandum exhibuit. Sed ab Anicetio, quem Magnentius præfectum prætorio conſtituerat, quibuſdam è plebe armatis, & eductis vrbe, veluti cum Nepotiano dimicaturis, acre prælium committebatur. Romanis autem, vt imperitis & ordinem nullum ſeruantibus, non magno labore in fugam actis: præfectus prætorio fugientes conſpicatus, & vrbis periculum veritus, portas occluſit. Itaque Nepotiani milites omnes, vt qui nullam euadendi rationem habere poſſent, trucidarunt. Sed Nepotianum Magnentius non multis poſt diebus exercitu miſſo, duce Marcellino, cui commiſſum erat in palatinos ordines imperium (Romani *Magiſtrum officiorum* vocant) interfecit. Conſtantius autem ex oriente profectus ad bellum contra Magnentium gerendum, arte quadam

Bella ciuilia prius cōpeſcenda, deinde externa.

Noua turbæ à Nepotiano excitata.

Vnde ciuilis pugna.

Et luctuoſa clades.

Denique ſeditioſi ducis oppreſsio.

quadam Vetranionem prius amicitia sibi deuinciendum arbitratus est, ne cum duobus ei, sed vno perduelle, dimicandum esset. Itidem Magnentius omnem operam & studium adhibebat vt amicitiam Vetranionis impetraret, & eo socio susceptum aduersus Constantium bellum conficeret. Itaque quum vterque legatos ad Vetranionem hoc nomine misisset, ille Constantio quàm Magnentio maluit adsentiri. Vbi rebus infectis Magnentij legati discessissent, Constantius petebat vt in vnum copiæ cogerentur, & publicum de gerendo contra Magnentium bello consilium haberetur. Vetranione Constantij verbis decepto, quoddam in solium, hac ipsa de causa paratum, adscenderunt. Constantius priorem dicendi locum ob generis dignitatem nanctus, nulla non orationis parte militibus liberalitatem paternam ad animum reuocabat, cum iis sacramentis, quibus sanctè promisissent, omni se beneuolentia filios ipsius complexuros: simul petebat, ne committerent vt impune Magnentius euaderet, qui Constantini filium occidisset, quocum multa bella confecissent, & à quo muneribus adfecti maximis essent. Hæc vbi milites audiuissent, opimis iam antè donis occupati, nothos Imperatores expurgandos esse proclamarunt. Simul exutum purpura Vetranionem de solio detrahunt, vt priuatus viueret. Constantius autem, nihil in illum designari grauius passus, in Bithynia vitam exigenti quod satis esset victus adsignauit. Vbi quum ad tempus aliquod superstes fuisset, negotiis & curis solutus, rebus humanis excessit.

Constantij duobus bellum inferentis strategema, quod frustra Magnentius eludere conatur.

Artes eorũ qui sunt cõsortis impatientes. Vetranio autẽ à veterano Constantio è solio deturbatur. Nulla fides regni sociis.

Constantij petitio subdola.

Milites adornati qui Vetranionẽ de throno deiicerent.

Vetranionis dignitate spoliati obitus.

13 Hoc modo quum dolus aduersus Vetranionem reipsa successisset, Constantius in Magnentium copias ducens, *Gallum* patrui filium, germanum eius Iuliani fratrem qui secundum hæc imperauit, Cæsarem appellat, & sororem ei Constan-

Altero hoste dolis oppresso alterum vi euertere conatur.

Conſtantius, & Gallum ſibi adiũgit.

tiam deſpondet: ſiue vt Perſis reſiſteret, ſiue (quod verum erat) vt occaſionem eius interficiendi reperiret. Nam ſolus hic cum fratre de Conſtantij genere ſuperabat, aliis omnibus iam ab eo necatis, vti commemorauimus. Hoc igitur, cultu Cæſaris ornato, & Lucilliano commiſſo bello Perſico, contra Magnentium ipſe pergebat, Vetranionis ſuiſque copiis coniunctis.

Magnẽtius ſibi conſulere ſtudet, adſcito collega Decentio.

Magnentius quoque maiori apparatu occurrendum ratus, *Decentium* propinquum ſuum, vt præſidio tranſalpinis nationibus eſſet, Cæſarem deſignat. Poſteaquam exercitus in Pannoniis conueniſſent, & iuxta Murſam oppidum ad ſe inuicem propius acceſſiſſent: Magnentius ad eas fauces, quæ Adranis adiacent, collocatis inſidiis, ad Conſtantij duces nuntium mittit, qui eius itineri moram iniiceret, vt hoſtes Siſciam venire poſſent: quo loco Magnentium prælij copiam facturum aiebat, vt qui patentes campos haberet.

Et inſidiis Conſtãtium lædere putat.

His auditis Conſtantius, eóque nuntio non mediocriter lætatus, quòd idoneis equitatui locis dimicaturus eſſet, qui copiis equeſtribus hoſtem ſuperaret, caſtra Siſciam verſus mouit.

Atque incautos multos milites lapidibus obruit.

In eius milites, qui & inermes & nullis ſeruatis ordinibus incederent, nec vererentur quod futurum erat, quum irruiſſent eæ turmæ quæ inſidiarum cauſſa faucibus inſederant: omnes propè lapidibus obrutos, vlterius tranſire prohibuerunt.

Ex hac victoria Magnentius cor nua ſumit.

Compluribus cæſis, Magnentius ob rem tam bene geſtam magnopere ſeſe iactitans, ſumptis ſecum copiis, bellum diutius extrahi non patiebatur, ſed in Pannoniam contendebat: quúmque perueniſſet ad ſitos ante Cium quondam campos, quos medios Draus amnis interſecans, Noricos & Pannonios præterlapſus, in Iſtrum ſeſe exonerat: in Pannonios militem ducebat, quòd prope Sirmium manum cum hoſte conſerere cogitaret.

Nec matris audit monita.

Aiunt autem Magnentium matri, quæ illi hoc iter interdiceret, & à tran

transitu ad Illyrios arceret, non paruisse: quamquam de multis superiorum temporum prædictionibus, eam veram vatem esse, persuasum haberet. Interea deliberante Magnentio, Saúmne fluuium ponte facto transiiceret, an iunctis nauigiis militem per ea transportaret: Philippum Constantius ablegat, vnum ex iis qui maximis in dignitatibus erant constituti, & prudentia præstantem, specie quidem tenus de fœdere ac pace colloquuturum, reapse verò Magnentij copias curiosius inspecturum, & quódnam ipsius de summa belli consilium esset, quibúsve cogitaret itineribus vti, peruestigaturum.

Constantius autem suo more agit, & per cuniculos hostem aggreditur.

Quum propè Philippus à castris abesset, in Marcellinum incidit, hominem maximæ potestatis apud Magnentium, & cum hoc ad Magnentium accedit. Is, conuocatis ad concionem militibus, Philippum caussam edicere iubet, quam ob caussam aduenisset. Tum ille ad exercitum quidem dicere, non conuenire, Romanis subiectos, aduersus Romanos bellum suscipere: prȩsertim imperante Constantini filio, quocum multa tropæa statuissent aduersus barbaros: ad Magnentium verò, par esse, Constantini memoriam colat, & eorum beneficiorum quibus & ipsum & parentes ipsius adfecisset. nam ab eo in fidem receptum esse, maximósque consequutum honores. Quibus recensitis postulabat vt Italia Magnentius cederet, ac Transalpinas nationes retineret eisque cum imperio præesset vniuersis.

Marcellini imprudẽtia.

Philippi audacia tempestiua, oratione testata.

14 HAEC à Philippo dicta parum abfuit quin vniuersum exercitum conturbarent. quapropter in metum coniectus Magnentius, multóque labore permotis militibus vt se conantem aliquid proloqui tolerarent, se quoque pacem amplecti dixit, simúlque concionem dimitti iussit: interea dum ipse, considerato quid agendum esset, sententiam hac de

Orationis Philippicæ efficacia.

Magnentij astus.

Varia ratiocinationes. In triuio disputationum hærere eos necesse est, qui viam regiam deserunt.

re suam postridie indicasset. Concilio dimisso, Marcellinus Philippum excipiebat, vti quocum ius hospitij constituturus esset. Magnentius autem secum ipse disputabat an Philippus infecta re dimittendus esset, an iure legatorum violato retinendus. Interim cohortium præfectos, & decuriones, & quotquot militum ordinibus cum imperio praeerant, visum est adhibere cenæ, ac inter cenandum sententiam animi declarare. Quod quum fecisset,

Consilia Magnentij vt imperium sibi retineret, & milites ad fortiter agendum impelleret.

postridie Magnentius, collecto rursus exercitu, quęcunque Constans in eos per temulentiam designasset commemorare. Simul adiicere, milites ipsos, non ferentes magnitudinem facinorum, qua ille rempublicam per scelus & iniuriam vexabat, omnes id consilij cepisse quod expedire publicè putarent: ciuitatibus autem dirâ bellua liberatis, inuito sibi ab eis oblatum imperium. Hæc dum pronunciaret, omnes ad bellum persequendum consurgere: statimque captis armis ad transiiciendum Saum progredi.

Effecta horum consiliorum.

Quorum aduentum quum speculatores nunciassent, quotquot erant in oppidi Sisciæ præsidio, quod in ripa Saui situm est, alios in ripam fluminis adscendere volentes telis configebant, aliis pontem transire conantibus resistebant: ita vt multi trucidarentur, plures partim ab se ipsis, partim ab hostibus impulsi, in fluuium præcipitarentur.

Ingentibus periculis extrema remedia, nec prius cogitata, adhibentur.

Ingenti cæde facta, quum inter fugiendum illi de fluminis ponte caderent, hi magno cum impetu persequerentur: Magnentius ad extremum malum redactus, huiusmodi machinatione præsens euitare periculum potuit. Hasta in terram defixa, quum nutu dextræ significasset hostibus quasi de pace quid dicere vellet: vt aures sibi præberi vidit, non Imperatoris iniussu Saum se traiicere voluisse narrat:

Strategema Magnentij astutum Constantium eludentis.

qúmque Philippus subiecisset, Italia Noricisque relictis, Illyricum ei petendum esse, atque ibi de fœdere

dere tractandum: Constantius, exauditis hisce verbis, suos a persequendo reuocauit, & Magnentio facultatem concessit vt exercitum suum ad campos inter Noricum, Pannoniam, Mysiam Daciámque, sitos, transduceret: quòd impeditis istis locis liberari cuperet, & hostem in agris equitatui opportunis debellare, quum equestribus ipse copiis superior esset. Ei consilio quum euentus respondisset, locum peridoneum ad efficiendum id quod optaret, arbitratus est esse Cibalim, vbi Constantinus quoque Licinnium totis viribus conserto prælio superauit. Nam quum id oppidum habeat eum situm quem id temporis gesta commemorans exposui, partem exercitus habebat in oppido; vallóque inter collem, qui oppidum continet, & planiciem ad Saum vsque fluuium pertinentem, excitato, quidquid flumine quidem cinctum non esset, profunda fossa densóque vallo communiuit: quidquid autem flumine clauderetur, id ponte nauibus inter se connexis strauit: quum pontem quoties vellet rescinderet, & eundem nullo rursus negotio iungeret. Hic & tentoria militum vulgo fixit, & regium loco maximè medio tabernaculum construxit, quod oppidis eximia magnitudine atque elegantia exornatis nulla sui parte cedebat. Imperatore cœnam præbente, quum & ductores ordinum atque cohortium cœnæ adhiberentur, solus Latinus & Thalassus, qui principem locum apud Imperatorem tenebant, non erant eius epuli participes: de Philippo nimirum solliciti, quem ad se legationis nomine missum Magnentius detinebat.

Constantiÿ opposita cogitationes.

Quib. euentus respödet.

Maxima ducis exercitus prudentia, locũ ad castrorũ metationem & pugnam sibi idoneum maturè deligere & conseruare.

Occasiones & circunstantiæ futurarum rerum.

15 DVM his illi consiliis occupantur, venit Titianus, vir ordinis Romæ senatorij, superbas à Magnentio voces perferens: qui multis contumeliis aduersus Constantinum & alios ex eo progenitos congestis, & vrbium interitu ad Imperatoris in

Ruinã præcedit minax superbia.

gubernatione secordiam relato: Constantium Magnentio de imperio cedere iubebat, contentum si tutam ei vitam indulgeret. At ille, precatus Deum atque Vindictam, interempti Constantis vltores essent, iis se sociis bellum gesturum ait: atque ita Titiano potestas ad Magnentium redeundi facta est, quanquam Philippus apud eum mansisset. At Magnentius, eductis copiis, Sisciam primo captam impetu deleuit: quúmque regiones propter Saum omnes percurrisset, maximamque prædam abegisset, Sirmium duxit, ea quoque citra sanguinem potiturum sese arbitratus. Sed hoc conatu falsus atque deiectus (quippe repulsus fuit ab habitatoribus oppidi, quorum ingens erat numerus, & à militibus oppidi præsidio destinatis) Mursam vniuersis cum copiis contendebat. Quum autem ij qui erant in vrbe, portas occlusissent, & in propugnacula successissent: Magnentius quo pacto rem adgrederetur, animi dubius hærebat: qui neque machinas vllas haberet, nec alia ratione propius ad murum accedere posset. Telis enim saxisque petebatur ab iis qui de pinnis pugnabant. Itidem fama obsidionis ad Constantium perlata, vniuersis ille cum copiis accedebat, oppido periclitanti opitulaturus: quum præteriisset & Cibalim, & vniuersam terram per quam Draus amnis labitur. Interim Magnentius, castris ad Mursam propius admotis, portis ignem intulit: vt ferro consumpto quod ligna tegeret, exercitui aperiret aditum in vrbem, igni patefactum. Verùm hoc ei reipsa non successit, quum ij qui consistebant in mœnibus, ignem magna vi aquæ restinguerent. At vbi Constantium propius à Mursa iam abesse comperisset, aliud quiddam huiusmodi molitur. Erat ante vrbem stadium quoddam, adsignatum, superiore memoria, eorum certamini qui se in armis exercerent, ab omni parte syluis opacum. In eo quum

Constantij modestia.

Arrogantia primi impetus, ferocissimi.

Sed facilè retunditur.

Deinde animi dubia hæret.

Hostem in se attrahit.

Extrema quæque experitur, vt sibi satisfaciat.

Nihilq. intentatum relinquit.

quatuor agmina Celtarum abdidiſſet, iuſſit vt poſteaquam adductis Conſtantij copiis, ante oppidum pugna confereretur, hoſtes inopinatos adorirentur: ita vt intercepti, ad internecionem vſque delerentur. Ea re ab iis cognita qui erant in oppidi muris, ſtatim Conſtantius Scolidoam & Manadum ductores ordinum miſit. Hi ſelectiſſimis quibuſque tam grauis armaturæ militibus quàm ſagittariis, ex toto militum numero qui ſub illorum erat imperio, ſecum ſumptis, omnes ſtadij fores occluſerunt: quúmque ſtadij gradus ſuperiores occupaſſent, & vndique milites qui erant in ſtadio circundediſſent, tela in eos coniiciebant. Illorum verò nonnullis, ſublatis in capita ſcutis, fores ſtadij perfringere conatis, impetu pariter in eos facto, tela coniicere, gladiiſque ferire non deſinebant, donec vniuerſos confeciſſent. Hoc modo quum inſidiæ Magnentij recidiſſent in nihilum, adeóque contrarium euentum habuiſſent, exercitus congreſſi, manus in planicię quæ ante Murſam eſt ſita, contulerunt: quúmque prælium eiuſmodi committeretur quale propemodum prius hoc bello factum non erat, vtrimque plurimi cadunt. Conſtantius autem conſpicatus, quòd ciuile bellum hoc eſſet, ex animi ſe voto ne victoria quidem potiri poſſe, tantopere deminutis Romanis exercitibus, qui poſt talem ac tantam ſtragem vrgentibus vndique barbaris non amplius reſiſtere poſſent: cogitare cepit, certis conditionibus pacis bellum dirimendum eſſe. Quæ dum ille cum animo ſuo putaret, exercitibus adhuc inter ſe prælianti-bus, maiorem ad furorem elati Magnentianarum partium milites, ne quidem vbi nox pugnantes oppreſſiſſet, finem dimicandi faciebant: ſed perſeuerabant & ipſi duces in obeundis militum muneribus, & excitandis ſingulorum animis vt hoſtem egregiè premerent. Itidem Conſtantij duces virtutem pri-

At tum eius vires tum dolos potentiſsimus hoſtis facilè opprimit.

Et dolus in ſuperborum caput recidit.

Tandem cogitur manus conſerere.

Meritò ciuile bellum deteſtatur Cōſtantius. Omnia enim ibi miſera, ſed nihil miſerius quam ipſa victoria.

At perduelles, nil niſi nocitura arma & prælia poſcunt.

ſtinam Romanúmque decus ad animum ſibi reuocabant. Alta iam nox erat, & nihilo ſe minus inuicem feriebant haſtis, gladiis, armis cæteris, quæ ſemet offerrent, & ad manum eſſent: nec iam vel ipſæ tenebræ, vel aliud quid earum rerum quæ res laxamentum quaſi quoddam belli efficere conſueuerunt, inhibere poterat exercitum quo minus mutuis in ſe cædibus deſæuirent, & in maxima felicitatis parte ponerent ſi omnes funditus vna perirent. Ipſi duces maximis hac pugna tum fortitudinis tum virtutis facinoribus editis cum alij cecidere, tum Arcadius dux ordinis Abulcorum, & Menelaus, cui datum erat in equites ex Armenia ſagittarios imperium. Fuerit autem pretium operæ, quæ de Menelao perhibentur, ſilentio minimè præteriri. Memoriæ proditum eſt hunc arcui tria ſimul aptantem eodem tempore tela, & vna dumtaxat vtentem eiaculatione, non in vnum ea corpus ſed tria defixiſſe. quo ſagittandi modo quum vteretur, nec hoſtium exiguum numerum telis eius confectum, & eoſdem, prope dixerim, ab vno in fugam actos aiût. Sed tamen & ipſe cecidit, à Romulo totius exercitus Magnentiani duce interemptus. & Romulus itidem cecidit, qui quum telo prius à Menelao petitus eſſet, ne plaga quidem accepta pugnare deſiit, donec interfeciſſet eum qui telum in ſe contorſerat.

Ciuilis prælij horrenda effigies.

Qui alios vincere & debellare ſolebant, nunc ſibi ipſis mutuam cædem inferunt. Sic omnes potentes reſpubl. ſuis viribus ſunt euerſæ moléque ſua corruerunt.

Menelaus ſagittarius nobiliſſ. interemptus.

16 ITAQVE quum Conſtantius prælio ſuperior factus eſſet, iámque Magnentiani exercitus apertè terga darent: ingens ſtrages & hominum & equorum, & reliquorum iumentorum eſt edita. Magnentius omni ſpe deſtitutus, veritúſque ne à reliquiis ſuorum Conſtantio dederetur: iis Pannoniæ locis relictis, in Italiam excurrere ſtatuit, aliiſque collectis copiis aleam pugnæ denuo tentare. Quia verò Romæ Conſtantij partes foueri cognoſceret, vel odio ſui, vel quòd intellectum eſſet de prælij euen

Iuſtis armis fauet iuſtus iudex.

Et ſuperbus perduellis manu & animo ſpoliatur.

euentu, Alpes transscendendas decreuit, déque nationibus istic degentibus aliquod interim præsidium comparandum. Sed quòd inaudisset, Constantium maximis muneribus vicinos Rheno barbaros infestos ei reddidisse: tum ad Gallicas nationes opera quorundam Constantio fauorem conciliantium ducum præclusum esse aditum, quum nec per occidentales Hispanos ad Mauros transiicere posset, quòd istis etiam in locis fœderati Romanorum beneuolentiam Constantij captassent: inops ab omni parte consilij, mortem voluntariam turpi saluti prætulit: sed manibus suis quàm hostium, vitam eripi sibi maluit. Ac Magnentius quidem hoc modo periit, quum tribus annis, & sex præterea mensibus, imperasset. Originem generis à barbaris habebat, & vixerat apud Letos, quæ Gallica natio est. Literas Latinas didicerat: audax fortuna prospera, timidus aduersa: occultandæ natura insitæ malitiæ mirus artifex, qui mores ipsius & ingenium perspectum non habentibus simplex & bonus esse putaretur. Hæc de Magnentio propterea libuit adiicere, quòd aliquibus visus sit imperij sui tempore reipublicæ bono fuisse: vt vera de eo cognoscantur, qui nihil instituto bono gessit. Decentius arcessitus à Magnentio ad ferendum opem, iam in Italiam contendens, simulac intellexisset quid illi accidisset, in ordines quosdam turmásque militares lapsus, quum nullam salutis spem videret, obtorta laqueo ceruice mortuus est. Secundum hæc quum vniuersa rerum summa soli Constantio cessisset, adrogantior esse cepit, quòd eam fortunæ prosperitatem moderatè ferre non posset. Sumebant incrementum & officinæ calumniarum, quæ circa tales existere consueuerunt, & iis potissimùm insidiantur quorum fortunæ bene constitutæ videntur. Nam dum alios felicitate sua deiiciunt, & dignitates eorum se con-

Ac in diuersa rapitur consilia.

Tandémque amicis mente, numinis benignitate destitutus in morte turpi quærit remedium.

Magnentij stemma, conditio, mores.

De eodē Zosimi iudicium.

Decentij collegæ idem exitus.

Summa rerum penes Constātium cuius res gestas Ammianus Marcellinus prolixè persecutus est.

ſequuturos ſperant, ad calumnias aduerſus eos inſtituendas ſeſe conuertunt. Atque hi quibuſdam ſibi ſociis improbitatis adiunctis, qui erant eunuchi aulici, Conſtantium adgreſſi, Gallum patruelem ipſius dignitate Cæſaris ornatum, hac non contentum, de occupando imperio cogitare perſuadent: & quidem eius rei fide Conſtantio facta, tamquam veræ, ad ſtruendam Gallo necem illum impellunt. Qui has inſidias contexuerant, fuere Dynamius & Picentius, homines conditionis humilis, & qui per huiuſmodi mala fortunam ad ampliorem peruenire niterentur. In eodem conatu Lampadium, quoque, præfectum prætorio, conſortem habebant: qui vir ſemper apud Imperatorem plus aliis omnibus auctoritatis & potentiæ nanciſci cupiebat. Itaque Conſtantio talibus calumniis aures præbente, Gallus arceſſitur, ignarus eorum quæ in ipſum cuperentur. Eum aduenientem initio Conſtantius honore Cæſaris exuit, deinde priuatam ad fortunam redactum carnificibus necandum tradidit: non hoc primo contra cognatum ſanguinem admiſſo piaculo, ſed pluribus aliis adiecto.

Gallo ſtruuntur inſidiæ. Et quid tutum in aulis?

Inſidiarum artifices.

Gallus calumniis opprimitur: de cuius excidio luculenter Amm. Marcellinus differit.

SEXT

SEXTI AVRELII VICTORIS

Imperatores & Cęsares à Diocletiani & Maximiani obitu ad Imperium Constantij & Iuliani.

Galerius Maximianus.

GALERIVS Maximianus, consumptis genitalibus defecit. Maximianus Herculius à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere, postremò fractis laqueo ceruicibus, luit. Alexander à Constantini exercitu iugulatur. Maxentius dum aduersus Constantinum congreditur, paulo superius à ponte Miluio in pontem nauigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est, voratúmque limo pondere thoracis corpus vix repertum. Maximianus apud Tharsum morte simplici periit. Valens à Licinnio morte mulctatur. Fuerunt autem morum huiusmodi: Aurelius Maximianus cognomento Herculius, ferus natura, ardens libidine, consiliis stolidus, ortu agresti Pannonióque. Nam etiam nunc haud longè Sirmio, eminet locus, palatio ibidem constructo, vbi parentes exercebant opera mercenaria. Aetate interiit sexagenarius, an-

norum x x Imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium & Faustam coniugem Constantini: cuius patri Constantio tradiderat Theodoram priuignam. Sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere mariti animum laborantis, auspicio prauissimi cœpti à puero. Is Maximianus charus nulli vnquam fuit, nec patri aut socero quidem Galerio.

Galerius Armentarius.

GALERIVS autem fuit, licet inculta agrestique iustitia, satis laudabilis, pulcher corpore, eximius & felix bellator, ortus parentibus agrariis, pastor armentorum: vnde ei cognomen Armentarius fuit. Ortus Dacia Ripensi, ibique sepultus est, quem locum Romulianum etiam vocabulo Romulæ matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est matrem more Olympiadis Alexandri magni creatricis, compressam dracone semet concepisse.

Galerius Maximinus.

GALERIVS Maximinus, sorore Armentarij progenitus, veróque nomine ante imperium Daza dictus, Cæsar quadriennio, dehinc per orientem Augustus triennio fuit: ortu quidem atque instituto pastorali, verùm sapientissimi cuiusque ac literatorum cultor, ingenio quieto, vini auidior. quo ebrius, quædam corrupta mente aspera iubebat: qui quum pigeret factum, differri, quæ præcepit, in tempus sobrium ac matutinum statuit.

Alexan

Alexander.

ALEXANDER fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior aduerſus laborem, vitio ſenectæ ætatis. His omnibus abſumptis, imperij iura penes Conſtantinum & Licinium deuenere.

Conſtantinus.

CONSTANTINVS Conſtantij Imperatoris & Helenæ filius, imperauit annis xxx. Hic dum iuuenculus à Galerio in vrbe Roma religionis ſpecie obſes teneretur, fugam arripiens atque in fruſtrandos inſequentes, publica iumenta quaqua iter egerat, interficiens, ad patrem in Britanniam peruenit: & fortè iiſdem diebus ibidem Conſtantium parentem fata vltima perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui aderant adnitentibus, ſed præcipuè Eroco Alemannorum rege, auxilij gratia, Conſtantium comitato, imperium capit. Hic ſororem ſuam Conſtantiam, Licinio Mediolanum accito coniungit: filiúmque ſuum Criſpum nomine, ex Mineruina concubina ſuſceptum, item Conſtantinum, iiſdem diebus natum oppido Arelatenſi, Licinianúmque Licinij filium, menſium ferè x x, Cæſares effecit. Verumenimuero, vt imperia difficile concordiam cuſtodiunt, diſſidium inter Licinium Conſtantinúmque exoritur: primúmque apud Cibalas iuxta paludem Hiulcam nomine, Conſtantino nocte caſtra Licinij irrumpente, Licinius fugam petiit: Byzantiúmque fuga volucri peruenit, ibi Martinianum officiorum magiſtrum Cæſarem creat. Dehinc Conſtantinus acie potior apud Bithyniam, adegit Licinium pacta ſalute indumentum regium offerre per vxorem. Inde Theſſalonicam miſſum,

paulò post eum Martianúmque iugulari iubet. Hic Licinius annum dominationis fere post XIIII, vitæ proximè LX, occiditur, auaritiæ cupidine omnium pessimus, neque alienus à luxu venereo, asper admodum, haud mediocriter impatiens. Infestus literis, quas per inscitiam immodicam, virus ac pestem publicam nominabat, præcipuè forensem industriam. Agrariis planè rusticantibus, quia ab eo genere ortus altúsque erat, satis vtilis: ac militiæ custos ad veterum instituta seuerissimus, spadonum & aulicorum omnium vehemens domitor, tineas soricésque palatij eos appellans. At Constantinus obtento totius Romani imperij mira bellorum felicitate regimine, Fausta coniuge, vt putant suggerente, Crispum filium necari iubet. Dehinc vxorem suam Faustam in balneas ardentes coniectam interemit, quum eum mater Helena ardore nimio nepotis increparet. Fuit verò vltra quàm æstimari potest, laudis auidus. Hic Trajanum herbam parietariam, ob titulos multos ædibus inscriptos, appellare solitus erat. Hic pontem in Danubio construxit: habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen rebus multis fuit: calumnias sedare legibus seuerissimis: nutrire artes bonas, præcipuè studia literarum: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum. Quúmque liberis filióque fratris Dalmatio, Cæsaribus confirmatis, III & LX annis vixisset, ex quibus dimidios, ita vt XIII solus imperaret, morbo consumptus est, irrisor potius quàm blandus. Vnde prouerbio vulgari, Tracala X annos præstantissimus, XII sequentibus latro, X nouissimis pupillus ob perfusiones immodicas, nominatus. Corpus sepultum in Byzantio, Constantinopoli dicta: quo mortuo, Dalmatius militum vi necatur. Ita ad tres orbis Romani dominatio redacta est

eſt, Conſtantinum & Conſtantium ac Conſtantem, filios Conſtantini: hi ſinguli has partes regendas habuerunt, Conſtantinus iunior cuncta trans Alpes; Conſtantius à freto Propontidis, Aſiam atque orientem: Conſtans Illyricum, Italiámque, & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniámque, & Achaiam.

Annibalianus, Conſtantinus, Conſtans, & Conſtantius.

ANNIBALIANVS Dalmatij Cæſaris conſanguineus, Armeniam nationéſque circumſocias. Interim ob Italiæ Africæque ius diſſentire ſtatim Conſtantinus & Conſtans cœperunt. Conſtantinus latrocinij ſpecie dum incautus fœdéque temulentus in aliena irruit, obtruncatus eſt, proiectúſque in fluuium cui nomen Alſa eſt, non longè ab Aquileia. Conſtans verò venandi cupidine dum per ſyluas ſaltúſque erraret, conſpirauere aliquanti militares in eius necem, autoribus Chreſtio & Marcellino, ſimúlque Magnentio. Qui vbi patrandi negotij dies placuit, Marcellinus natalē filij ſimulans, pleroſque ad cœnam rogat. Itaque in multam noctem conuiuio celebrato, Magnentius quaſi ad ventris ſecreta ſecedens, habitum venerabilem capit. Ea re cognita, Conſtans fugere conatus, apud Helenam oppidum Peirenæo proximum, à Gaiſone cum lectiſſimis miſſo interficitur, anno XIII Auguſtæ dominationis: nam Cæſar triennio fuerat, æui ſeptimo viceſimóque. Hic fuit debilis pedibus manibúſque, articulorum dolore: fortunatus cæli temperie, fructuum prouentu, nulla à barbaris formidine. quæ profectò maiora fuerint, ſi prouinciarum rectores non pretio ſed iudicio prouexiſſet,

Huius morte cognita. Vetranio magister militum imperium in Pannonia apud Mursiam corripuit: quem Constantius non post multos dies regno exuit, grandæuo ętate non vitam modò, sed etiam voluptarium otium concedens. Fuit autem propè ad stultitiam simplicissimus.

Constantius.

CONSTANTIVS Gallum fratrem patruelem, Cæsarem pronuntiat, sororem Constantinam illi coniungens. *Magnentius* quoque Decentium consanguineum suum trans Alpes Cæsarem creauit. His diebus Romæ *Nepotianus*, Eutropiæ Constantini sororis filius, hortantibus perditis, Augusti nomen rapit: quem octauo die vicesimóque Magnentius oppressit. Hoc tempore Constantius cum Magnentio apud Mursiam dimicans, vicit. In quo bello penè nunquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiúsque imperij fortunæ pessundatæ. Dehinc quum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Thicanum plures fudit incautius, &, vt in victoria solet, audacius persequentes. Nec multo pòst apud Lugdunum coangustatus, gladio occultè prouiso, ictum pulsu parietis iuuans, transfosso latere, vt erat vasti corporis, vulnere naribúsque & ore cruorem effundens, mense imperij XLII, ætatis anno L, expirauit: ortus parentibus qui Galliam inhabitant, legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem. Eius morte audita, *Decentius* laqueo fasciæ ad collum posito, vitam finiuit. Hoc tempore Gallus Cæsar à Constantio occiditur. Imperauit annis IIII.

Tomi secundi Historiæ Augustæ

FINIS.

GNOMOLOGIA,

id eſt,

Sententiæ ex Hiſtoricis hoc tomo comprehenſis collectæ, & ordine alphabetico digeſtæ.

A.

Affectus.

Neque philoſophia neq; imperium tollit affectus. 74

Afflictiones.

Conſtat Sãctos prudentéſque ſenſu mali promptiores fieri: contráque expertes ærumnarum, dum opibus ſuis cunctos æſtimant, ſibi minus conſulere. 759

Ambitio.

Tanta eſt in ambitioſis imperandi auiditas, vt qui præeſſe cupit, & ad id faſtigium legi, vrbes & prouincias ſine diſcrimine donet. 568

Ambitioſi.

Inuiti, non ambientes, ſunt in Repub. collocandi. 417

Amici.

Principum amici quum ſe mereri omnia præſumant, ſi quicquam non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus. 5

Auaritia.

In Imperatore auaritia eſt acerbiſſimum malum. 129

Aulici.

Quicunque enormibus tyrannorum atque immenſis largitionibus inſuerunt, ij, ſi frugalius paulò aut continentius ex pecuniæ inopia agere inſtituas, non tam id moderatę cuidam diſpẽſationi prudentíque attribuunt, quàm auaritiam continuò tibi & ſordes exprobrant: neque autem cogitant, neminem poſſe cuiuis magna dilar-

FF

giri qui se à vi atque rapinis abstineat. 183

B.

Bellum.

Bellicis artibus prioribus seculis Romani homines magni atque illustres euaserunt. 141

Bellum.

Belli fortuna ita plerunque anceps est & dubia, vt magnus numerus à paucissimis, & qui potentiores creduntur ab iis qui habentur imbecilliores superantur. 477

Virtute faciendum est quicquid in rebus bellicis est gerendum. 680

Beneficia.

Vt tenax est iniuriarum memoria (quod enim offendit nunquam obliteratur) sic beneficia in ipso excidunt vsu. 183

Arduum imperium est, magnis acceptis beneficiis paria referre. Nam in beneficiorum vicissitudine, si magnam gratiam referat qui paruam debuerit, non tam facilitas remunerandi expenditur quam in ipso grati animi argumentum commendatur. Sed quum prior quispiam eximia in te quædam contulerit, tum si illum paruum amplè demerearis, non tam deesse quod reponas, quàm ipse inops sensuum ac planè ingratissimus videare. 182

C.

Cædes domesticorum.

Omnis domesticorum cędes statim atque auribus inciderit, odiosa videtur, noméque ipsum adfert grauem accusationem : quippe infelices misericordia, potentes inuidia sequitur: ac victus accepisse, victor attulisse iniuriam videtur. 299

Casus.

Humanum est humanis casibus ingemiscere, multóque magis misericordiam prouocant quæ oculis vsurpantur. 137

Aurelianus Imp. eam paucis ſed grauiter & ſcitè admodum deſcribit ad tribunum quendam, his verbis. Si vis tribunus eſſe, imò ſi vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum, nemo exigat: annona ſua contentus ſit. De præda hoſtis, non de prouincialium lachrymis habeat: arma terſa ſint: ferramenta ſamiata, calceamenta fortia. Veſtis noua veſtem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem brachialem & anulum opponat, equum ſaginarium ſuum defricet, captum animal non vendat, mulum centuriatum comiter curet. Alter alteri quaſi ſeruus obſequatur: à medicis gratis curentur, aruſpicibus nihil dent, in hoſpitiis caſtè ſe agant, qui litem fecerit vapulet. 668

Diuites.

Beatorum diuitúmque res aduerſæ, non ſolùm à plebe negliguntur, ſed eis nonnulli etiam prauo malignóque ingenio, ob inuidiam ſcilicet potentiorum atque felicium, delectantur. 457

E.

Exercitus.

Leo, hinnulorum dux, ad bellum gerendum aptus eſſe non poteſt. 85

F.

Filius.

Multùm intereſt, naſcatur an adoptetur filius, propterea quòd is qui naſcitur, talis eſt qualem eum Deus naſci voluit: eum verò qui adoptatur vnuſquiſque ſibi deligit. ex quo fit vt ille ſæpe naſcatur mutilus & demens. hic (quod certo iudicio fit) integer & ſanæ mentis deligatur. 35

Fortitudo.

Decet viros fortes atque moderatos optima quidem optare, ſed ferre quæcunque incidunt. 394

tinere. Quid multa? Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. 690

Ingenium humanum.

Quantum præterita odimus, tantum de futuris bene speramus. 183

Ingratitudo.

Nemo habendam gratiam putat, quòd rebus suis pro arbitrio vtatur, quippe id sibi deberi iure autumat: qui vero suis exuitur bonis, nunquàm sanè iniuriarum obliuiscitur. Neque quisquam lucro apponit quod vtilitatem in commune pariat: quæ enim publicè prosunt, parum cuique curæ sunt. sin quæ propria cuiusque sunt, minus ex sententia ceciderint, tum nemo satis secum benignè agi putat. 183

Iniuria.

Vt is qui prior accessit, ipse sibi iniurius videtur: ita qui propulsat iniuriam confidentior ex conscientia fit, atque ex iustitia spem bonam mutuatur. 394

Atrocitas rerum magis quàm nominum officit. 757

Iudex.

Iudex non debet dare, neque accipere. 276

Iudicia.

De præfectorum, consulum, & senatorum capitibus, mancipia ære empta iudicare non debent. 448

Iura venalia.

Necesse est, inquit Alexander Seuerus, vt qui emit vendat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possum. Erubesco enim punire illum hominem qui emit & vendit. 437

Iustitiæ amor.

Trajanus præfecto prætorij gladiū nudum porrigens, dicebat, Accipe gladium, quem pro me, si bene atque ratione imperauero, distringes: sin minus, eo ad interitum meum vtere. 14

L. *Laus.*

Viuentes laudare irrisio est, maximè Imperatores, à

Principum contemptus.

Nihil quidquam est ad audaciã malis, ad spem bonorum bonis promptius, quam quum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur imperator. 594

Proditor.

Fidem nemini seruare potest, qui patriæ non pepercit. 678

R.

Respublicæ.

In Senatu sæpe dixit Adrianus, Ita se rempub.gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam. 44

Respublica, quæ diuites & diuitiarum cupidos patitur, est misera. 133

Sub principe optimo & forti Respublica bene regi potest. 282.283

Melior est respub.& propè tutior, in qua princeps malus est, ea in qua sunt principis amici mali: siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem mali non possunt ab vno, quanuis bono, vlla ratione superari. 447

S.

Seruitus.

Non tam delectat libertas quàm seruitus offendit. 183

Seruus.

Noli inter eos ambulare, quorum potes esse adhuc seruus. *Dictum Adriani.* 55

Subditi.

Non ij quos necessitas seruire coegit, sed quos obtemperare sua quenque voluntas adegit, sunt in agendi patiendóque à suspicione omni assentationéque vacui: nunquámque imperia detrectant, nisi violenter contumelioséque sint habiti. 138

Supplicia.

Maius exemplum est viuentis miserabiliter criminosi, quàm occisi. 126

T.

V.

BREVIS

INDEX ORATIONVM,

SEV

CONCIONVM ET EPISTOLARVM

quæ in hoc Historiæ Imperat. Rom. volumine occurrunt.

ORATIONES.

EPISTOLAE.

adeptum. 747

Probi commendatoria ad Senatum in Cari gratiam. 747

Iunii Calphurnii ad præfectum vrbis, ſuper morte Cari. 748

INDEX AMPLISSIMVS, NOMINVM ET RERVM quæ in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus occurrunt.

B

C

HH

E

Elogia.

N

II

II 4

V

FINIS.